



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

IOACH. GEORGII DARJES

SERENISSIMO DVCI SAX. VIN. ET ISEN. A CONSILIIIS AVLICIS
PHIL. ET I. V. D. PHIL. MOR. ET POL. P.P.O.


OBSERVATIONES
IVRIS NATVRALIS
SOCIALIS ET GENTIVM

AD
ORDINEM SYSTEMATIS SVI
SELECTAE.



I E N A E,
SVMP TIBVS THEOD. WILH. ERNEST. GÜTH
1 7 5 1.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY
540 EAST 57TH STREET
CHICAGO, ILL. 60637



LECTORI SALVTEM.



Trado tibi, beneuole lector, iuris naturalis & gentium obseruationes. Accipe primo scribendi *occasionem* & *modum*.

Haec sane & nostrae & parentum aetati debetur laus, quod multos, eosque ingenio ac eruditione praestantissimos viros in lucem produxerit, qui in scientia iuris naturalis & gentium vniuersae iurisprudentiae publicae & priuatae, secularis & ecclesiasticae fonte omnem fe-

) 2

re,

P R A E F A T I O.

re, vt ita dicam, expromferunt induftriam, eandemque scientifica methodo compositam, clare atque perfpicue expositam folidae & non fucatae fapientiae amatoribus exhibere ftuduerunt. Verum fi nobifcum perpendimus, quot contentiones, quot diffidia e contrario fimul orta fuerint, & quomodo circa iuris naturalis & gentium conceptum primum, circa exiftentiam iuris naturalis & gentium, circa primum legum, quae funt iuris naturalis & gentium, principium, circa vsum iuris naturalis & gentium, circa illufres eas quaefiones, an hoc vel illud fit iuris naturalis & gentium, & quae funt reliqua, in partes abierunt viri docti: operae pretium nos facturos arbitrati fumus, fi ea iuris naturalis & gentium capita, quae in controuerfiam vocata funt, exponeremus; in argumenta, quibus thefes contrarias corroborare voluerunt diffidentibus, inquireremus: de eiusmodi cogitaremus principiis, quorum ope controuerfiae illae diiudicari poffent, & vsum, quem praecepta illa in decidendis controuerfiis, quae in iurisprudencia mundoque morali obueniunt, praefant, declararemus.

Vides

P R A E F A T I O.

Vides inde, quare in publicum prodeant observationes iuris naturalis & gentium? sed quales illae & quomodo elaboratae? Observationes promissi, non systema iuris naturalis. Institutiones iurisprudentiae vniuersalis a me editas systematis loco sumsi. Quae ibi in compendium redacta sunt, euolui. Quae non satis determinata, magis determinavi, quae generatim posita, varios ad casus, & si fieri poterit, illustres adcommodaui. Quae desunt, addidi. Quae in explicanda iurisprudentia positiva, & in decidendis controuersis publicis & priuatis, secularibus & ecclesiasticis usum praestant, magis corroboravi, sententias eorum, qui dissentiunt, enumeravi, & ad argumentationes, quibus easdem probant, respondi. Omnia tamen, ut opinor, ea pertractavi methodo, quam philosophicam vocant sapientes. Non usurpavi priuilegium in notionibus confusis adquiescendi, sed notiones, si in potestate mea fuerunt, posui distinctas. Non mihi adrogavi facultatem persuadendi dogmatica sermocinationibus tantum, & prouocationibus vagis atque generalibus ad testimonia, sensum & auctoritatem vulgi, vel receptas ab antiquo opinionones.

niones. Sed quae docui dogmata ex notionibus & principiis philosophice probatis, deduxi. Prouocaui ad virorum eruditione praestantissimorum testimonia non ad meas sententias corroborandas sed ad consensum aliorum declarandum, ad gratiam & viuis & mortuis, quibus ea, quae hoc in rerum genere scio, debeo, referendam, & ad occasionem lectori praebendam ea perlustrandi, quae alii ea de re, de qua meditatus sum, pertractarunt. Incidi in sententias aliorum, sed non vsus sum argumentis odiosis. Abstini ab iis, quae ad rem non pertinent, & quae nec ad corroborandam nec ad illustrandam veritatem aliquid conferunt.

Hic est, vt opinor, modus, quo hocce in volumine primo obseruationes, quae sequuntur, composui.

I. de *natura* p. 2.

II. de *iure* p. 11.

III. de *iure naturae* p. 15.

IV. de *iuris naturae existentia* p. 29.

V. de *diuersis systematis iuris naturae partibus* p. 35.

VI. de *Iure Gentium* p. 39.

VII. de *certitudine iuris naturalis obiective sumti* p. 49.

VIII.

P R A E F A T I O.


- VIII. de *methodo docendi scientiam iuris naturae* p. 58.
IX. de *usu iurisprudentiae naturalis in iure arbitrario*
p. 62.
X. de *perfectiōe & imperfectiōe* p. 75.
XI. de *consuetudine* p. 82.
XII. de *coactione & actionibus ad libertatem relatis* p. 92.
XIII. de *bonitate atque malitia actionum intrinseca* p. 100.
XIV. de *moralitate actionum nostrarum intrinseca* p. 108.
XV. de *naturali actionum humanarum indifferentia* p. 125.
XVI. de *obligatione morali* p. 135.
XVII. de *obligatione naturali & positiua* p. 145.
XVIII. de *legibus moralibus generatim* p. 155.
XIX. de *legum moralium differentia generatim & speciatim de legibus naturalibus & positiuis* p. 164.
XX. *An leges positiuae etiam legislatorem obligent* p. 198.
XXI. de *legis ratione* p. 211.
XXII. de *interpretatione* p. 227.
XXIII. de *regula interpretationis: fauorabilia lato, odiosa stricte sunt interpretanda* p. 243.
XXIV. de *interpretatione authentica & usuali* p. 249.
XXV. de *poenis generatim & poenis moralibus speciatim* p. 253.
XXVI. de *iure naturali permissiuo* p. 268.

XXVII.

P R A E F A T I O.

- XXVII. de dispensatione p. 276.
XXVIII. de legum collisione generatim p. 282.
XXIX. de collisione legum naturalium p. 289.
XXX. de collisione legum positivarum cum naturalibus
p. 305.
XXXI. de collisione legum positivarum inter se p. 311.
XXXII. de controuersis circa principium iuris natu-
ralis p. 323.
XXXIII. de lege iuris naturalis absolute fundamen-
tali p. 335.
XXXIV. de Legibus iuris naturalis secundum quid fun-
damentalibus p. 345.
XXXV. de principiis iuris naturalis plane non admit-
tendis p. 354.

Probent Eruditi qui sunt Philosophi, quae
bona sunt: cetera configant obelis; me non
obluctante. Nemini cui haec displicent, in-
terdictum, quin aut ab aliis aut a nobis speret
meliora. Dab. Ienae M D C C L L.
m. April.



OBSER-

OBSERVATIONES
IVRIS NATVRALIS
ET GENTIVM

AD
PRAECOGNOSCENDA.



OBSERVATIO L
DE
N A T V R A.

§. I.

Recte B. *dubiorum Iuris naturae ad Generosissimum* Ratio infi-
Dominum... Autor a) monuit: „operam dan- susi,
„dam esse, vt recte intelligamus, quid sit natura.
„Alioquin nihil eorum, quae ad eam pertinent, af-
„sequi poterimus, quicquid etiam faciamus aut
„moliatur: nec quid veteres de iure Naturae scripserunt,
„intelligemus... Nobis tanti semper visum fuit id scire, vt
„sine eo nihil solide demonstrari posse existimemus. Natu-
„ra adeo cognita & perspecta nobis esse debet, vt certi simus,
„nos ab eius placitis non aberrare. Nec solum necesse est
„scire, quid ipsa sit, sed & an vna sit, an vero multiplex:
„deinde, quale sit opus illius, quid moliatur, quomodo res
„omnes producat, quibus modis eas obseruet, & ad quem
„finem: qui sint limites naturae, vbi subsistat. Alias enim
„ignoramus, vbi reliqui iuris non naturalis initium consti-
„tuendum sit. His cognitis forte de iure hominum quaere-
„re licebit, non ante.” Minus vero mea quidem senten-
„tia, vniuersaliter vera sunt, quae addidit: „mihi nihil ob-
„scurius est, nihil difficilius. Qua via ad earum rerum co-
„gnitionem tendendum sit, aequae difficile est.” Hoc ad pro-
bandum

bandum considerabo *primo* Philosophorum de natura sententias, *deinde* veram naturae definitionem euoluam, & *tandem* viam monstrabo, ad naturae cognitionem, quae datus naturalem, ducentem.

a) Cap. II. §. 14.

§. II.

*Sententia
Aristotelis
de natura.*

Ex Aristotelis sententia a) natura duobus consistit, materia nimirum atque forma, ita tamen ut forma magis natura sit quam materia, quia est actus. Non sine ratione magno BRVCKERO b) Aristoteles in definienda naturae notione obscurissimus videtur. Operae itaque pretium erit, sententiam illam ipso ex Philosophi systemate clariorem reddere. Duo hac ex causa euoluenda sunt, quid sit materia? & quid sit forma? *Materia*, nisi omnia me fallunt, Philosopho hoc loco est id, quo essentia rei est existens, & *forma* est virtus seu potentia, qua res illa aeternitatem suam probare potest. Ex quo manifestum est, hanc esse Philosophi de natura sententiam: *Natura* rei est ipsa rei essentia existens. Huic existentiae aut inest virtus & potentia per se vi agendi pollens, aut non. Si illud, natura rei perfectior est, quia non existit solum, sed & existentiam suam per se probare potest.

SCH. Haec interpretatio non abhorret a veterum philosophorum dogmatibus. Duas enim crediderunt in orbe naturas, *alteram*, in qua nihil est, praeter unam sustinendi ac perpetuendi, id est, existendi facultatem: *alteram*, in qua praeter illam facultatem est virtus quaedam efficiens atque agens. c)

a) in Phys. Lib. II. cap. I. & Metaph. I. c. VII.

b) Tom. I. Historiae philosophicae P. II. Lib. II. cap. VII. §. VIII.

c) Conf. CVDWORTHII System. intell. Edit. Per-III. de MOSHEMII. p. 1115. ff.

§. III.

*Sententia
Zenonis.*

ZENO, Interprete MOSHEMIO a) naturam definiuit „habitum ex se ipso motum accipientem iuxta seminales rationes,

„tiones, efficientemque & continentem, quae ex ipsa constant, statutis definitisque temporibus, taliaque facientem, qualia sunt ea, a quibus secreta fuerit.“ Duo hac in definitione latent, conceptus nimirum Stoicorum de natura, & hypothesis Stoicorum de ordine naturae. De posteriori ut hoc loco dicamus, non est. Prioris ratione illa ex definitione facili inferri poterit negotio, naturam secundum Stoicorum hypothesis esse vim ad agendum per rei, cui inest, essentiam determinatam.

a) In notis ad CUDWORTH. l. c. p. 132.

§. IV.

SENECA a) ipsum Deum vocavit naturam, quia *Senecae*. omnia, quae existunt, agendo creavit. Quare, quum secundum hypotheses Stoicorum creatio sit necessaria essentiae divinae operatio: consequens est, ut quoque ex sententia Senecae natura sit vis, quae ea ratione agit, qua per essentiam rei, cui competit, determinatur.

a) L. IV. de offic.

§. V.

Hac ex causa Scholastici a) naturam aliam esse *naturam Scholasticam* aliam *naturatam* docuerunt. *Natura* nimirum *naturans* ^{rum} est ipse Deus, qui infinitis operationibus existentiam suam probat, & *natura naturata* sunt entia, quae a Deo id habent, quo existunt, existentiasque suas probare possunt.

a) vid. PET. HURTADVM de MENDOZA in vniu. Philos. Disp. VII. Phys. Sect. I.

§. VI.

Per-Illustri L. B. de WOLFIO a) natura est principium *Per-III. de actionum et passionum entis internum.* WOLFII.

a) vid. Cosmol. §. 145.

§. VII.

Perspicuum hinc est vocem naturae primario significare *His ex praesentiam rei cuiusdam existentem.* Notum est, in quo *Artae colligitur pri-*
 pr-

*varia natura
ras signifi-
catio.*

cunque ente primo loco id ponendum esse, per quod est tale, huncce primum, quem de ente formamus conceptum metaphysicis esse essentiam. Haecce essentia aut vere existit, aut non est nisi idea. Si vere existit, ens cuius est essentia plus est quam possibile. Si ea obseruamus, quae quotidie fiunt, intelligimus, alterum ens ex altero nasci, et hoc facto, ens illud plus esse quam possibile. Haec, nisi me omnia fallunt, est causa, ob quam essentia rei existens a nascendo *natura rei* vocata est.

SCH. Euoluas, quaeso, significationem enunciationum: *naturae suae conuenienter viuere, et contra naturam rei agere*; et facile perspicias, definitionem de natura datam vsui loquendi conuenientem esse. Is enim contra naturam suam agit, qui ea ratione agit, qua durationem existentiae essentiae suae minuit, aut existentiam essentiae suae corrumpit atque destruit. Is vero naturae suae conuenienter viuit, qui ea agit ratione, qua durationem existentiae suae auget, existentiamque essentiae suae conseruat. Confer. Clar. BOEHMII Diss. in qua completa sit euolutio conceptuum naturae et rationis ac utriusque connexorum.

§. VIII.

*Ex qua varia
riae vocis
significatio-
nis secundariae
flunt, quarum
vnum prima,*

Praeter hancce significationem variae significationes secundariae cum voce naturae connexae sunt. Cuius causa *partim* in origine vocis, *partim* in naturae strictiore significatione acceptae consideratione, *partim* in consuetudinibus naturae latet. Quod originem vocis adinet, dixi, vocem naturae originem trahere a nascendo. Ideoque natura secundum etymologiam est quasi nascencia siue nascitura siue ratio nascendi. Qua ex causa natura saepissime *pro generatione* accipitur. Hac itaque significatione per naturam tale esse, idem est, ac tale esse per generationem.

SCH. Sic Aristotelici loquuti sunt de *seruis natura talibus*, & philosophiae moralis Doctores de *hominibus per naturam melancholicis, phlegmaticis*. Et quae reliqua.

§. IX.

§. IX.

Proxima est significatio vocis naturae, cuius causa in *Secunda*, significacionis strictioris consideratione latet. Quum enim natura significacione strictiore accepta idem sit ac ejusdem rei essentia existens (§. 7.): manifestum est, in eiusmodi naturae conceptu duo latere, quae distinguenda sunt, nimirum essentiam atque existentiam. Notum est ex metaphysicis *a)*, existentiam esse ipsam rei existentis essentiam. Sequitur inde ratio, quae secundam vocis naturae significacionem secundariam posuit, qua nimirum natura idem est ac ipsa rei essentia.

SCH. Hac significacione vox naturae accipitur a logicis, qui docent, definitionem esse orationem explicantem rei naturam.

a) vid. §. LXXVI. Phil. primae.

§. X.

Denique de significacionibus, quae cum voce naturae ob *Tertia*, confectaria, quae ex primario naturae conceptu fluunt, connexae sunt, quarum prima est vis per essentiam rei nimirum existentis modificata. Rationem huius accipe. Ens, quod existit, habet vim, quia existit (§. XIX. Ontol.). Hacce vi agere potest, eiusmodique actionibus existentiam suam probat. Si itaque ea ratione agit, qua per essentiam suam existentem fieri potest, habemus, ex quo colligimus, eiusmodi ens existere, id est, habere naturam. Ex quo patet, eiusmodi operationes esse naturae effectus, quae ex ratione etiam naturales vocantur. Substituamus effectum pro causa, & manifesta erit ratio, quae effecit, ut quoque vis per essentiam rei existentem modificata vocata sit natura.

SCH. Haec est definitio, qua Per-III. L. B. de WOLF L. c. naturam explicavit. Principium enim actionum & passionum entis internum idem est, ac vis entis per essentiam existentem modificata. Hac quoque ex causa conatus essentiales seu conatus ipsa rei essentia existente excitati vocantur conatus seu stimuli naturales.

§. XI.

§. XI.

Quarta

Qua ex significatione sequitur ratio, per quam id, quod rei dat actiuitatem intrinsecam, rei natura vocata est. Quum enim natura sit vis per essentiam rei existentem modificata: sequitur, vt natura hac significatione accepta rei det actiuitatem intrinsecam. Et quum id, quod rei dat actiuitatem intrinsecam, debet esse intrinsecum, quod vim rei modificat, id est, ad agendum determinat, ideoque essentiam; sequitur, ab intrinseca rei actiuitate ad rei naturam valere consequentiam. Quae quum ita sint, manifestum est, facile fieri posse, vt id, quod rei dat actiuitatem intrinsecam, vocetur natura.

SCH. Hac ex causa a W. GROTIŒ aliisque dicitur: *naturam humanam consistere in ratione.* Ratio enim (die Vernunft) est id, quod hominibus dat actiuitatem humanam.

§. XII.

Et quinta explicatur.

Ex quibus facile patet origo quintae significationis secundariae cum voce naturae connexae. Quum enim faciliiori negotio id agamus, ad quod agendum essentia nos determinat: & quum vis per essentiam modificata, & id, quod nobis dat actiuitatem intrinsecam, sit natura; facile quoque fieri potest, vt facilitas certo modo certoque ordine agendi vocetur natura. Et haec est quinta vocis naturae significatio secundaria.

SCH. Sic dicitur: *consuetudinem esse alteram naturam*, quia altera facilitas certo modo certoque ordine agendi est essentialis, altera vsu aduicta, id est, consuetudo.

§. XIII.

Significatio vocis naturae, quae dat ius.

Iam quaeritur, qua significatione vox naturae accipienda, si sermo sit de natura, quae dat ius, seu de iure naturali, & de natura, quae ius illud docet? Primum iudicandum est ex fine iuris, qui est, ducere ad id, quod rectum seu bonum est. Quum conceptus boni non sit absolutus

solutus sed relatius, ideoque fieri non possit, ut aliquid vocetur bonum, nisi in relatione ad determinatum aliquod subiectum, ita, ut bonum significet id, quod cum determinatae cuiusdam rei essentia conuenit; manifestum est, naturam, quae dat ius, significare tale, quod determinatum aliquod subiectum ad id ducit, quod cum essentia sua conuenit. Ex quo patet, naturam hac ratione significare essentiam nostram existentem, ideoque nos vocem naturae, si fermo sit de natura, quae dat ius, significatione primaria accipere (§. 7.).

§. XIV.

Veritatem dicti hac ratione probo: Non opus est, nisi ^{Quae probatur.} attentione, ut de hoc certi simus, essentiam nostram existentem quouis momento excitare conatus ad aliquid producendum. In eiusmodi conatuum fines inquisiturus, facile perspiciet, hos esse durationem existentiae nostrae conseruare, existentiamque nostram, id est, vires nostras perficere. Ipsa itaque essentia nostra existens nos ducit ad id, quod nobis bonum atque rectum est, ideoque est ea natura, quae nobis dat ius. Plura de hoc infra.

SCH. Hinc facile patet, quid in systemate iuris naturalis significet essentia, si fermo sit de essentia, ex qua oritur ius naturale, de essentiae conuenienter vivere, et quae reliqua? Vox nimirum essentiae non sumitur in significatione metaphysica, pro primo rei conceptu, sed pro eiusmodi rei conceptu, qui existens est, ideoque pro natura significatione primaria accepta. Qua ex causa status essentialis §. 3. Cor. Praecogn. I. V. non immutabilis sed constans vocatur. Ex quo porro intelliges, cur §. cit. mutabile non in oppositione ad immutabile, sed in oppositione ad constans a me sit positum. Haec, ut opinor, sufficiunt, ad meam hac de re sententiam defendendam.

§. XV.

Haec de significatione naturae, quae dat ius: progre- ^{Significatio}
dimur ad naturam, quae ius naturale docet, quae commo- ^{vocis natu-}
B ^{diffime} ^{ras, quas}

*docet ius,
quatenus
obiectiue.*

diffime in naturam *obiectiue & subiectiue spectatam* diuiditur. Si obiectiue spectatur, natura idem significat, quod rei, de qua sermo est, essentia seu conceptus primus. Quum enim natura hac significatione accepta sit principium cognoscendi iuris naturalis: manifestum est, naturam hac ratione significare id, ex quo colligere possumus, quae obuiæ rei vi essentiae bona vel mala sunt. Sed hoc est ipsa rei essentia seu conceptus primus. Ergo & necesse est, vt natura, quae docet ius, & quae obiectiue spectatur, idem significet, quod rei essentia seu conceptus primus.

§. XVI.

*Et quatenus
subiectiue
spectatur.*

Si vero natura, quae docet ius, subiectiue spectatur, idem significat, quod ratio (die Vernunft). Id affirmamus, quia omnia adsunt requisita. Natura enim hac ratione accepta perspiciunt ea, quae per rerum essentias bona atque mala sunt. Ideoque est facultas perspiciendi rerum nexus, atque adeo idem, quod ratio.

§. XVII.

*Responsio
dubii.*

Ex his facile intelligitur, quid respondendum sit dubio ab autore dubiorum Iuris naturalis Cap. II. allato. *Dubii sensus*, nisi omnia me fallunt, *hic est*. Doctores, qui de iure naturali loquuntur, non accurate sciunt, quid sit natura, a qua ius naturæ nomen habet, quod partim ex eo patet, quia vocem naturæ diuersa ratione definiunt, partim ex eo, quia definitiones, quibus vocem naturæ explicant, non constant verbis propriis, perspicuis & certe iam ante definitis. *Respondeo quoad primum*: Doctores iuris naturalis vocem naturæ modo pro natura, quae dat ius, modo pro natura, quae ius docet, & si hoc, modo obiectiue, modo subiectiue sumere. Hoc si notet in praecepta iuris naturalis inquisiturus, facile perspiciet, philosophos in definienda natura, de qua in iure naturali sermo est, consentire. *Quoad alterum*: definitionem naturæ, quae dat ius §. 13. definitionem naturæ, quae docet ius, obiectiue spectatae §. 15. & definitionem eiusmodi naturæ subiectiue consideratae eiusmodi vitiis, mea quidem sententia, non laborare.

OBSER.



OBSERVATIO II.

DE

I V R E.

§. I.

Sequitur, ut, quid sit ius, perpendamus. Iuris vocabu- *Vocis origo*
lum valde ambiguum esse, notum est. Inquiramus in *indicatur,*
eas termini significationes, quae huius sunt loci. Vox *iur*
est verbum e graecorum lingua in latinam inductum. Est
enim a verbo graeco *δῆον*, *εον* in *vs* & *δ* in *i* mutato, ut plus
a *πλεον*, & iaceo a *διακω*, iabolenus a *διαβοληνος*. Quare
cum Graecis *δῆον* idem significet, quod conuenit, seu quod
oportet facere; sequitur ius, si origo vocis spectatur, idem
esse, quod conuenit, seu quod oportet facere, seu quod
bonum est. Haec forsitan est causa, ob quam GROTIVS *a)*
docet: ius nihil aliud, quam quod iustum est, significare.

a) de I. B. & P. Lib. I. cap. I. §. 3. I. add. Per. III. de COCCEN Ad-
not. & Addit. ad h. l.

§. II.

Manifestum inde est, nomen iuris ratione originis no- *Huius ra-*
tare *attributum actionis*, ideoque conformitatem seu conue- *tione ius su-*
nientiam in agendo *a)*. Hac itaque ratione actio bona & *miatur pro*
actio iusta sunt synonyma. *atribute*
actionis

a) vid. PUPENDORF. de officio hom. & civ. Lib. I. Cap. II. §. 13.

§. III.

Hocce ius ad actiones relatum referri quoque potest ad *Ex quo fluit*
personas, quae id, quod conuenit, seu quod bonum est, *altera signi-*
agent. Hac ex relatione oriuntur reliquae vocis significatio- *ficatio pro*
nes, quae huius sunt loci. Qui enim id, quod bonum est, *tribute*
agat, non facultate solum ea, quae sibi bona sunt, agendi *personae.*
gaudere, sed & ea, quae sibi bona sunt, intelligere debet.
Ex primo venit altera iuris significatio, quae ad personam
refertur, seu vi cuius ius est attributum personae. Quo sensu

ius est facultas, ea, quae sibi bona sunt, agendi *a*). Hac itaque significatione non quaeritur, quid in abstracto iustum seu bonum sit, sed in concreto, quid persona ut iustum seu bonum facere possit *b*).

SCH. Notandum est, per facultatem nos non intelligere quamcunque agendi possibilitatem, sed talem, quae in omnibus circumstantiis seu omnimode poni potest. Quae ex causa a GROTIUS vocatur qualitas moralis, & a me *c*) dictum est, ius esse facultatem *libere* seu proprio pro arbitrio agendi:

a) vid. GROTIUS I. B. & P. Lib. I. Cap. I. §. IV. r.

b) Conf. Per-III. de COCCII in Adn. ad I. c.

c) §. 9. Praec. Instit. Iurispr. vniuers.

§. IV.

*tertia pro
legi,*

Ex *secundo*, quod §. 3. positum, fuit tertia iuris significatio, ut cuius ius denotat principium seu propositionem, quae id, quod iustum seu bonum est, indicat atque docet. Propositio, quae id, quod iustum seu bonum est, docet, seu ad cuius praescriptum actiones instituere debemus, vocatur lex, quoties vox legis largissime sumitur. Hac itaque significatione ius idem valet quod lex. *a*)

a) Sunt verba GROTIUS I. c. §. IX. I.

§. V.

*Et quarta
pro Iuris-
prudencia.*

Quum propositiones, ad quarum praescripta actiones instituere debemus & separatim & systematice seu ea ratione considerari possint, quae earum causas atque nexus perspicere possimus; manifesta est ratio, ob quam etiam iurisprudencia seu scientia de bono & malo seu de iusto & iniusto vocata sit *ius*.

SCH. Hoc sensu nomen *iuris* a CELSO *a*) sumitur, ius artem boni & aequi definiente, & iurisprudencia civilis, ius civile, iurisprudencia ecclesiastica, ius ecclesiasticum vocatur.

a) L. I. pr. D. de Iust. & Iur.

§. VI.

§. VI.

Ne diuersae illae vocis iuris significaciones causam dent disputandi, necesse est, vt eiusmodi significaciones in ordinem adducamus, quem hac ratione accipe. Nomen iuris aut sumitur *grammaticae*, aut *technice*. *Grammaticae* sumitur pro attributo rei, & significat id, quod conuenit, seu quod bonum est (§. 2.). *Technice* sumitur aut *subiectiue* aut *obiectiue*. *Subiectiue sumtum* significat qualitatem quandam personae, quae est facultas, ea, quae sibi bona sunt, agendi (§. 3.). Si *obiectiue* spectatur, aut idem valet quod lex, seu propositio, ad cuius praescriptum actiones instituere debemus (§. 4.), aut sumitur *systematice* pro scientia de iis, quae bona & mala, seu quae iusta & iniusta sunt (§. 5.).

Significaciones illae in ordinem adducuntur.

§. VII.

His praemissis, facile erit respondere ad ea, quae Doctoribus iuris naturalis Autor dubiorum iuris naturae a) obiecit; eiusmodi nimirum scientiae Doctores de iure naturae dicere, & non intelligere, quid sit ius, sed in definitionibus de iure obscurum per aequum & per verba impropria explicare. Ita enim ille b): „Illa iuris significatio, qua denotat iustum, aequum & bonum, quid ius sit non indicat, quia obscurum per aequum & per verba impropria explicat. Quid enim iustum sit, intelligi nequit, nisi ante scias, quid ius sit. Ab hoc enim iustum omne descendit, ac denominationem accipit. Hinc quaerenti quid ius sit, non apte respondetur, ius esse iustum: quemadmodum nec recte dixeris, iustum esse ius. Si, quid vtrumque sit, scias, poteris deinde obseruare, ius saepe poni pro iusto. Altera significatione, qua ius pro facultate hominis sumitur, supponimus nos scire, quid ius, pro lege acceptum, sit. Ius enim hominis est: id, quod lex illi tribuit. Tertia ergo significatione, qua pro lege ponitur, definitur, quod sit regula actuum moralium, obligans ad id, quod rectum est. Haec definitio effectum magis iuris, quam essentiam eius declarat.

Obiectio Autoris dubiorum I. N.

„Ostendit enim, quam potestatem ius habet in homines; nempe ut regat actiones nostras, & nos obliget ad id, quod iustum est; Intimam vero iuris naturam non declarat, sed ut dixi, quid istud nobis praestet, vel quam relationem ad nos habeat, non quid in se & origine sua sit, indicat. Idem enim est, ac si equum descripturus, diceres esse animal, quod homines utantur ad vehendum & equitandum, &c. Ac proinde nihil differt ab illa Pindari descriptione: qua legem dicit esse omnium Reginam, mortalium & immortalium, teste Platone in Georgia. Neque differt ab illa Ciceronis, qui legem aeternam quiddam dicit, quod uniuersum mundum regit, imperandi prohibendique sapientia. Cicero tamen etsi legem dicat regulam iuris & iniuriae, in eo non subsistit, sed praemittit, quod sit vis naturae, mens atque ratio prudentis. Idem, legem dicit rationem summam insitam in natura. Plato autem: Lex est ratio ab immortali naturae impressa. Quae omnia etsi naturam iuris non satis exprimaat, indicant tamen conceptum regulæ non sufficere.

a) Cap. III.

b) l. c. §. 2.

§. VIII.

*Responsio
ad huius ob-
iectionis par-
tem primam,*

Respondeo ad primam obiectionis partem. Supponitur falso, enunciationem: *ius idem significat quod bonum*, esse veram iuris definitionem, cum potius sit versio vocabuli ex graeco in latinum sermonem (§. 1.), ideoque notet, *deus* ius latinis idem esse quod bonum seu quod conuenit. Eiusmodi vero enunciatio, quum quilibet, quid sit bonum, intelligat, sufficit ad indicandam vocabuli iuris significationem. Quemadmodum quaerenti: quid sit theologia? apte responderetur, theologiam esse scientiam de Deo: quid sit ontologia? ontologiam esse scientiam de ente: ita & minus accurate dicitur: obscurum per aequè obscurum explicatum esse ab eo, qui quaerenti: quid sit ius? responderet, ius latinis idem significare, quod bonum seu quod conuenit.

§. IX.

§. IX.

Altera obiectionis pars precario sumit, ius pro facultate *ad partem* hominis sumentem supponere nos scire, quid sit ius pro *secundam,* lege acceptum. Quod nos negamus. Quum enim ius hac significatione acceptum idem valeat, quod facultas ea, quae nobis bona sunt, agendi (§. 3.): manifestum est, ius pro qualitate personae sumentem supponere solum nos scire, quid significet bonum. Fortasse dixerit quispiam, nos non intelligere, quid sit bonum, nisi sciamus, quid sit lex, quia lex id, quod bonum est, demonstrat. Sed nego consequentiam. Aliud enim est intelligere, quid significet bonum, aliud est definire seu determinare, quid sit bonum.

§. X.

Quoad *partem obiectionis tertiam* fateor, legem esse esse- & *ad partem* effectum iuris pro attributo rei sumti. Sed qui ius pro lege ponit, *tem tertiam.* non dicit de iure pro attributo rei sed de iure technice atque obiective sumto (§. 6.), ideoque effectum iuris pro attributo rei sumti, & essentiam iuris technice atque obiective sumti declarat. Manifestum inde est, totam hanc controuersiam esse *λογωμαχίαν.*

OBSERVATIO III.

DE

IVRE NATVRAE.

§. I.

EXpensa utriusque vocis & Iuris & Naturae significatione, *Primo iuris* restat, ut terminos illos componamus, paucisque indi- *naturae si-* cemus, quot modis ius naturae accipiatur. Ius *gnificatio-* primo subiective, pro facultate ea, quae bona sunt, agendi (§. 6. Obs. 2.). Hocce cum iure combinetur significatio naturae, quae dat ius (§. 13. obs. 1.), & facile intelliges, *ius* naturae hac ratione esse conatus essentiae existente constitutos *seu.*

feu stimulos essentielles, qui ducunt ad id, quod essentiae existenti conuenit, seu quod nobis bonum est. Ius naturae hac significatione acceptum perspicuitatis causa vocabimus *ius naturae subiectiue sumtum*.

§. II.

*Quae magis
explicatur.*

Animalia in fines essentiis suis existentibus congruentes per conatus essentielles, seu, vt alii dicunt, per inclinationes sibi congenitas dirigi, non praeclare solum ARISTOTELES a), sed & quotidiana docet experientia. Prouocamus hic modo ad conatum essentialem, quo animalia ad sui ipsius conseruationem, ad sui generis animalium procreationem, atque educationem ducuntur. Quae cum ita sint, manifestum est, non per animalia solum fieri posse, vt ea agant, quae sibi bona sunt, sed & ipsam essentiam existentem seu naturam animalia ad ea, quae sibi bona sunt, agenda ducere. Eadem itaque ex ratione, qua essentia existens natura, & facultas ea agendi, quae conueniunt, seu quae bona sunt, ius vocatur, stimuli illi essentielles ius naturae vocari possunt.

a) L. II. Physf. cap. VIII.

§. III.

*Ex quo fuit
ius, quod
natura o-
mnia ani-
malia docet.*

His praemissis, facile est intelligere, quid sit ius illud naturale, de quo VLPPIANVS a) dicit, quod sit ius, *quod natura omnia animalia docuit*. Est nimirum stimulus ille essentialis, qui animal ad id, quod essentiae suae existenti conuenit, seu quod sibi bonum est, ducit. Hancce interpretationem VLPPIANI menti respondere manifestum est ex verbis CICERONIS b): *Placet his*, inquit, (Cato, quem Stoicorum rationem explicantem Cicero sistit) *quorum ratio mihi probatur, simul atque natum sit animal, hinc enim est ordiendum, ipsum sibi conciliari & commendari ad se conseruandum, & ad suum statum, & ad ea, quae conseruansia sunt eius status, diligenda: alienari autem ab interitu usque rebus, quae interitum videantur adferre*. Porro ille c): *Ergo insti-*

instituto veterum, quo etiam Stoici utuntur, hinc capiamus exordium: omne animal se ipsum diligit, ac simul ut ortum est, id agit, ut se conseruet; quod hic ei primus ad omnem vitam tuendam appetitus a natura datur, se ut conseruet, atque ita sit adfectum, ut optime secundum naturam adfectum esse possit. Et quae reliqua.

a) L. I. §. 3. ff. de Iust. & Iure.

b) Lib. III. cap. X. de finibus.

c) Lib. V. cap. IX. l. c.

§. IV.

Quum a conatu seu stimulo ad actum non valeat consequentia; sequitur, necesse esse, ut in eam inquiramus causam, quae facit, ut animalia stimulis illis essentialibus convenienter agant. Ex eo, quod animalia sponte (willkürlich) agunt, manifestum est, animalia non esse machinas a nudo partium impetu secundum leges motus mouendas. Necesse itaque est, ut eiusmodi instructa sint facultatibus, quibus id, quod essentiali suae conueniens, id est, quod sibi bonum est, cognoscere, cognitumque hocce bonum appetere possunt.

Facultates
animalium
ad naturae
conuenienter
viventium
necessariae

§. V.

Quum bruta nec intellectu nec ratione gaudeant; manifestum est, bruta, quae sibi bona sunt, non cognoscere nisi sensu, ideoque aut externo aut interno. Sensum externum hic non sufficere, inde patet, quia hic solum praesentiam rei docet, non vero eiusmodi rei relationem ad essentialiam eius, qui eandem rem sentit. Patet itaque, bruta, quae sibi bona sunt, sensu interno cognoscere. Ex notionibus de stimulis essentialibus, atque de sensu interno manifestum est, bruta eiusmodi stimulos interne sentire. Porro inde patet, stimulos illos naturales bruta ad id agendum ducere, quod sibi bonum est. Ex quibus colligimus, non alia ratione fieri posse, ut brutum id, quod sibi bonum est, cognoscat, quam quia stimulum essentialem, quo ad illud

modus,
quo bruta
huic conuenienter
viventium

C

agen-

agendum ducitur, interne sentit. Iam facile est intelligere modum, quo brutum naturae suae convenienter viuit. Ipsa essentia existens seu natura brutum ad id, quod sibi bonum est, agendum stimulat. Huncce stimulum essentialem brutum interne sentit. Hic sensus excitat cogitationem boni. Haec cogitatio excitat appetitum. Hic appetitus determinat vim, ad id agendum, ad quod natura stimulat. Et quae reliqua.

SCH. Si eadem fere dicta legere cupis, adeas *PLINIVM a)*: *Callent in hac cuncta animalia, sciuntque non sua modo commoda verum & hostium aduersa: norunt sua tela, norunt occasiones partesque dissidentium imbelles.* *SENECAM b)*: *Officia etiam ferae sentiunt, nec ullum tam immansuetum animal est, quod non cura mitiget, & in amorem sui vertat.* Porro *c)*: *quaerebamus, an esset omnibus constitutionis suae sensus? Sensum autem esse ex eo maxime adparet, nulli non partium suarum agilitas est - - Animal in omnem usum sui mobile - - nemo aegre molitur artus suos, nemo in usu sui haesit: ad hoc edita, protinus faciunt. Cum hac scientia prodeunt, instituta nascuntur - - ergo omnibus constitutionis suae sensus est, & inde membrorum tam expedita tractatio, nec ullum maius indicium habemus, cum hac illa ad viuendum venire notitia, quam quod nullum animal ad usum sui rude est.*

a) Hist. nat. Lib. VIII. cap. XXV.

b) de benef. Lib. I. cap. III.

c) Epist. CXXI.

§. VI.

*atque homi-
nis huic
conuenien-
ter viuunt
explicatur.*

Homines a Creatoris benignitate praeter sensum acceperunt intellectum atque rationem, quorum beneficio non ea solum, ad quae stimuli essentialia ducunt, seu quae essentiae suae existenti conueniunt, clare atque distincte cognoscere, sed & rerum ex notionibus ordinem mediorum ad finem optime ducentium perspicere possunt. Homo itaque stimulum essentialem sentit. Hic sensus dat occasionem eiusmodi stimuli scopum euoluendi. Quo facto rationis ope

in rerum nexus inquirat, & inde colligit propositiones, ad quarum praescripta actiones instituendae, si stimulo essentiali sint convenientes. Eiusmodi propositionum cogitationes excitant voluntatem, quae determinat vim, ad ea agenda, ad quae natura stimulat. Et quae sunt reliqua.

§. VII.

Sequitur inde altera iuris naturalis significatio. Quum enim propositio, ad cuius praescriptum actiones instituere debemus, vocetur ius obiectivae sumtum (§. 6. obl. 2.): & quum natura, quae docet ius, idem valeat, quod rei notio seu conceptus primus, atque ratio, quae in ea inquirat, quae eiusmodi ex notionibus fluunt (§. 15. 16. obl. 1.); manifestum est, propositiones rerum ex notionibus collectas, ad quarum praescripta actiones instituere debemus, seu quae id docent, quod nobis bonum atque malum est, ideoque essentiae nostrae existenti convenit, nomen *iuris naturalis* merito accepisse. Ius naturale hac significatione acceptum perspicuitatis causa *ius naturae obiectivae sumtum*, seu *dictamen rectae rationis* vocabimus.

SCIL. Hanc ad significationem spectant formulae: est ius naturalis; est contra ius naturae. Id enim iuris naturalis est, cuius convenientia cum essentia rei existente ex ipsis rerum notionibus fluit. Et id est contra ius naturae, cuius disconvenientia cum rei essentia existente ex rerum notionibus colligitur. Hac quoque significatione GROTIUS a) *ius naturale* definiuit dictamen rectae rationis indicans adui alicui ex eius convenientia aut disconvenientia cum ipsa natura rationali inesse moralem turpitudinem aut necessitatem moralem.

a) I. B. & P. L. L. cap. I. §. X.

§. VIII.

Quum porro scientia de iis, quae bona atque mala seu iusta atque iniusta sunt, a Doctoribus ius systematice sumtum vocetur (§. 7. obl. 2.); patet, scientiam, quae rerum ex notionibus ea, quae bona atque mala, seu iusta atque iniusta

iniusta sunt, infert, merito vocari *ius naturae systematicae sumtam*, seu *iurisprudentiam naturalem*.

§. IX.

*Qua signifi-
catione et-
iam ius phi-
losophicum*

Quemadmodum scientia, quae in ea inquiri, quae ex rerum essentiis seu ex notionibus fluunt, *philosophicae* accepit nomen: ita & iurisprudentia naturalis, quae rerum ex notionibus quod bonum, & malum, seu iustum atque iniustum est infert, *iurisprudentia philosophica* vocari poterit.

§. X.

*Et uniuersale
vocalur.*

Praeterea eadem ex ratione colligitur, iurisprudentiam illam naturalem merito nomen *iurisprudentiae uniuersalis* accepisse. Quum enim haec sit veritatum ex determinatae rei cuiusdam notione seu essentia illatarum constitutio, vt de omnibus valeat, quibus notio illa, ex qua illatae sunt, inest; sequitur, vt de omnibus, quae sunt eiusdem generis vel speciei, valeat, quod iurisprudentia naturalis seu philosophica obuia quadam de re docet.

SCH. Hac forsitan ex causa ARISTOTELES a) Ius naturale definiuit per ius, quod vbiq; eandem vim habet, & non, quia ita videtur, vel non videtur.

a) L. V. cap. VII. ad Nicom. Conf. Programma de vera & fidei philosophia practica anno 1744. Jenae editum.

§. XI.

*Sententia
illa de iuris
naturalis
significatio-
nibus illu-
stratur.*

Hanc meam de iuris naturalis significationibus sententiam ab vsu loquendi non abhorre, vel inde patet, quod eadem fere ratione de Logica loquuti sint Philosophi; *Logicam in naturalem seu conmatam & artificialem seu systematicam* diuidentes. Per Logicam enim naturalem intelligunt stimulos essentiales, qui nos ad cognoscendam & perspiciendam veritatem ducunt. Per Logicam vero artificialem seu systematicam intelligunt scientiam, quae rerum ex notionibus infert propositiones, ad quartum praescripta facultates nostras in inuestigandis atque perspiciendis veritatibus diri-

dirigere debemus a). Quemadmodum itaque Logica naturalis nos ad cognoscendas & perspiciendas veritates stimulat, & Logica systematica rerum ex notionibus nos clare atque distincte docet modum: stimulis hisce conuenienter agendi: ita & ius naturale subiectiue sumtum nos stimulat ad ea agenda, quae nobis bona sunt, seu quae essentiae nostrae conueniunt, & iurisprudentia naturalis seu ius naturae systematice acceptum rerum ex notionibus clare & perspicue ea docet, quae nobis bona sunt, stimulisque illis congruentia.

a) Praec. Log. Cap. VI. §. 209. ff. A

§. XII.

Haec de iuris naturalis significationibus: proximum est, *Ius naturae* ut quaedam inde deducamus consectaria. Primum sit hoc: *Ius naturae obiectiue vel systematice sumtum, quod, ut cum Philosophis dicam, ratione collocatur (§. 7. 8.), iuri naturali subiectiue sumto, seu quod stimulis essentialibus constituitur, non repugnat.* Quum enim ius naturale obiectiue vel systematice sumtum doceat propositiones rerum ex notionibus illatas, quae id, quod nobis bonum vel malum est, clare & perspicue indicant (§. 7. 8.): quum porro stimuli essentialis nos non nisi ad ea agenda, quae nobis bona, & vitanda, quae nobis mala sunt, (§. 1. 2.) ducant; manifestum est, ius naturae obiectiue sumtum nos id docere, quod per ius naturae subiectiue sumtum fieri debet. Ex quo porro immediate fluit, illud huic non repugnare.

§. XIII.

Ex quo sequitur alterum: *Ius naturae obiectiue vel systematice sumtum, ius naturae subiectiue sumtum perficere.* Sed illud Quod hac ratione evincitur: Stimulis essentialibus perceptis, oritur quaestio: quid sit bonum? & quomodo stimulis illis conuenienter viuendum? Deficiente iure naturali obiectiue vel systematice sumto, solus respondet sensus internus. Ideoque animal nude sequitur naturam seu stimulos illos essentialis,

riales, & neque nexus rerum spectat, neque ex diuersis agendi modis eum, qui optimus est, eligere potest. (§. 5.). Posito vero iure naturali obiectiue vel systematice sumto, respondet ratio. Ideoque non necesse est, vt homo naturam seu stimulos illos essentialis nude sequatur, sed nexus rerum perspicere, & ex diuersis agendi modis eum, qui optimus est, eligere potest (§. 6. 7. 8.). Quae cum ita sint, manifestum est, ius naturae obiectiue vel systematice sumtum ius naturae subiectiue sumtum perficere.

SCH. DAVIDI MEVIO a) placuit distinguere inter *ius naturae* & *ius naturale*. Illud vocauit facultatem naturalem, quae rei cuique inest. Ideoque idem est, quod ius illud naturale subiectiue sumtum seu, vt alii dicunt, connatum. Hoc vocauit vinculum mentis cum ratione inditum, ad obseruandum honesta & congrua, vitandum turpia atque iniqua.

a) In Prodomo Iurispr. Gent. Communis. Disp. II. n. 5.

§. XIV.

Duae po-
nuntur
quaestiones

His praestructis quaeritur *primo*: an ius illud naturale subiectiue sumtum seu connatum, quod natura omnia animalia docet, & quod stimulis essentialibus constituitur, proprie vocetur ius? *secundo*: quaenam sit differentia inter ius illud naturale subiectiue sumtum, quod hominibus cum brutis commune, & quod hominibus proprium est?

§. XV.

Ratione pri-
mae senten-
tia Grotii,

Primum negauit GROTIUS a) hanc ob causam, quia de brutorum actionibus iustitia praedicari nequeat, nisi per figuram & improprie dicta, & quia nihil sit iuris capax, nisi natura generalibus praecipis vtens. Fluit haecce sententia ex angustioribus, quos iuri posuit, limitibus. Quum enim quidquid ius est, ex natura sociali descendere pro certo habuerit, necesse illi fuit, humanam rationem ad iuris intellectum requirere, sine qua leges socialitatis neque intelligi, neque obseruari queunt.

a) I. B. & P. §. VII. Proleg. & Lib. I. cap. I. §. XI.

§. XI.

§. XVI.

PVFENDORFIVS a) concedit quidem brutis libertatem intra certum gradum, nihilo tamen minus illis nullum ius, quo aut inter se, aut aduersus homines uti debeant, inesse affirmat. Neque vero aliter pronunciare potuit, quia in eadem, qua GROTIUS, fuit persuasione, ut omne ius ex socialitate oriatur.

a) Lib. II. cap. I. §. IV. I. N. & G.

§. XVII.

SELDENVS a) eandem sententiam argumento, quod sequitur, corroborare voluit: Illis non competit ius, in quae ipse VLPPIANVS b) iniuriam cadere negat, quia iniuria ab eo, quod non sit iure, nomen habet. Sed in bruta non cadit iniuria. Ergo ius, quod natura omnia animalia docet, non est ius, nisi per figuram & improprie dictum.

a) I. N. & G. Lib. I. cap. V.

b) L. I. §. 3. ff. si quad. paup. fecisse dic.

§. XVIII.

Reliqua, quae ad corroborandam illam sententiam a philosophis adducuntur, argumenta, cum iisdem ex fortibus manent, mittamus, nostram hac de re sententiam explicaturi. Concedo, si fermo sit de iure, quod natura omnia animalia docet, vocem iuris non ea in significatione sumendam esse, qua denotat ius in ratione collocatum, & ius quod e natura sociali euoluitur, id est, dictamen rectae rationis & ius naturae systematice sumtum (§. 7. 8.). Hoc tantum vrgeo, varias esse iuris significationes, ideoque alia significatione proprie ius vocari posse, quod alia in significatione non est ius, nisi per figuram & improprie dictum. Itaque concedimus, quae a GROTIO, PVFENDORFIO, SELDENO aliisque monita sunt. Sed & hoc concedimus, ius illud, quod natura omnia animalia docet, proprie vocari ius, si vox iuris sumatur subiectiue. Quippe quae sunt sententiae inter se coherentes (§. 6. obl. 2.).

SCH.

SCH. Ex sententia ZOESII a) aliorumque ius illud, quod natura omnia animalia docet, proprie est ius *materialiter*, non vero *formaliter*. Huic mea sententia plane congruit. Notionibus enim euolutis manifestum est, ius materialiter spectatum ZOESIO idem valere, quod conatus essentialis, qui ad ea, quae bona sunt, agenda ducit, & ius formaliter spectatum idem, quod dictamen rationis atque ius systematice sumtum vocauimus. Aperte loquutus est ZOESIVS: Quum enim ex Philosophorum sententia id rei cuiusdam *materiale* sit, quod magis determinari potest, & *formale*, per quod magis determinatur: & quum dictamina rationis atque ius systematice sumtum conatus illos essentialis dirigant, modumque ea, quae per eiusmodi conatus fieri debent, agendi magis determinent, sequitur, eiusmodi terminorum significationes vsui loquendia Philosophis recepto non repugnare.

a) ad ff. T. l. de Iust. & Iur. Conf. KORTTE Diss. de iure, quod natura omnia animalia docet. Lipsiae 1727. habita.

§. XIX.

*Responsio ad
quaestionem
secundam.*

Altera quaestio, quam §. 14. posui, haec est: *quae-
quaestionem nam sit differentia inter ius illud naturale subiectiue sumtum,
quod hominibus cum brutis commune, & quod hominibus pro-
prium est.* Ad quam hac ratione respondeo. Notum est, duo esse bonorum genera, quorum alterum existentiam nostram conseruat, alterum vires nostras non conseruat solum, sed & auget, magisque perficit a). Ex quo patet, fieri posse, vt conatus seu stimuli essentialis animalia ad ea solum agenda ducant, quae ad conseruandam existentiam suam necessaria: fieri quoque posse, vt eiusmodi sit stimu-
lorum essentialium constitutio, vt non ad ea solum ducant, quae ad conseruationem necessaria, sed & ad ea, quibus vires augeri magisque perfici queunt. In actiones brutorum conatusque hominum essentialis inquisiturus facile perspiciet, stimulos brutorum essentialis esse solum prioris generis, stimulos vero hominum essentialis esse generis posterioris. Ex quo merito colligimus, ius naturale subiectiue consideratum, quod hominibus cum brutis com-
mune,

mune, esse ius naturale infimae perfectionis, ius vero illud naturale, quod hominibus proprium, esse maioris perfectionis. Ideoque ius illud naturale, quod hominibus competit, esse essentialiter perfectius iure naturali, quod brutis inest.

SC H. In eadem fere sententia fuit GREGORIUS de VALENTIA, qui *b)* tres iuris naturalis posuit gradus, *primum*, qui respondet appetitui, quo simpliciter in sui conservationem animal fertur, sui que interitum iuxta cum omnibus rebus refugit; *alterum*, quo ab appetitu sensitivo ducitur ad ea, quae sunt convenientia naturae animalis; *tertium*, quo obligatur ad actus naturae rationali proprios & honestati congruos. Sed mea quidem sententia gradus secundus, quem posuit, ad primum reduci debet. Appetitus enim ille sensitivus, qua talis, nos non nisi ad ea ducit, quae ad conservandum necessaria. Et quum actus naturae rationali proprii & honestati congrui non ad conservandas solum vires, sed & ad eas augendas atque perfectiores reddendas ducant; sequitur, non sine ratione duo & non tres eiusmodi iuris naturalis gradus a me positos esse.

a) vid. Phil. mor. Part. Gen. §. 10. ff.

b) Tom. II. Disp. VII. q. 4. p. 2.

§. XX.

Haec est mea, & ut opinor, satis probata de iure naturali, huiusque diversis significationibus sententia. Audiamus argumenta, ex quibus elucere sibi persuadet laudatus Auctor dubiorum iuris naturae, Cap. III. huius scientiae Doctores neque distincte neque clare, quid sit ius naturae, posse explicare, ideoque, quae sit vera iuris naturalis definitio, difficile esse dictu atque periculosum. Refert B. ille Auctor §. 1. definitiones, quibus W. Grotius, H. Grotius, Aristoteles, Hobbesius, Cumberland alique, quid sit ius naturae, explicarunt. Et his relatis pergit §. 2: „quis sit „Juris Naturae status, quae conditio, in tanta definitionum „varietate & multitudine difficile est pronuntiare. Nisi forte „te facile id videatur illi, qui vni sententiae addictus, eam,

D

„vt

„vt fieri solet, ceu propriam, reliquis omnibus praefert;
 „Sed cui veritas cordi est, quique eam ad aliorum hominum
 „opinionem plane non respiciens quaerit, eiusque scintillam
 „aliquam vidit, difficulter ille tam diuersas Juris Naturae de-
 „finitiones credo componet. Et quid fiet de eo, qui veri-
 „tatis ignarus opinionibus hominum nititur, iisque vt ven-
 „tis agitur? Omnes enim non sine ingenio excogitatas de-
 „scriptiones indistincte reiicere nimium audacis & temera-
 „rii est. Certum enim videtur, vnumquemque in illis in-
 „ueniendis aliqua luce vsum fuisse, quae eum duxit, quo
 „voluit, illique persuasit vera esse, quae in luce illa vidit.
 „Vt omnes autem definitiones recipiamus, fieri non posse
 „videtur, cum ratio, qua conciliari possint, non appareat.
 „Vnam autem vel alteram eligere, res non minus periculosa
 „est, quam dubii euentus. Facile enim posset accidere, vt
 „quis nubem pro Iunone amplectatur.,,

§. XXI.

Risponso.

Respondeo. Cuilibet, qui diuersas vocis significatio-
 nes in superioribus euolutas perspicit, facile apparebit ra-
 tio, qua omnes definitiones a B. opponente relatae possunt
 conciliari. Manifestum enim est, in definitione W. GROTIJ,
 qua ius naturae est *ius, quod cum ipso genere humano natu-
 ra prodidit, seu, quod naturalis ratio inter omnes homines
 constituit*, sermonem esse de iure naturae subiectiue sumto
 (§. 1. & 2.). Porro H. GROTIUM ius naturae definientem
 per *dictamen rectae rationis, indicans actui alicui ex eius con-
 uenientia aut disconuenientia cum ipsa natura rationali inesse
 moralem turpitudinem aut necessitatem moralem, & consequen-
 ter ab Auctore naturae, Deo, talem actum aut vetari, aut praeci-
 pi*, dicere de iure naturae obiectiue sumto (§. 7.). ARI-
 STOTELEM ius naturae describentem per *ius, quod ubique
 eandem habet vim obligandi, non ex eo, quod ita visum fuerit
 aut non fuerit, spectare effectum iuris naturalis obiectiue
 vel systematice sumti* (§. 10.). CUMBERLAND legem natu-
 rae definientem per *propositionem a natura rerum ex volun-
 tate primae causae menti satis aperte oblatam vel impressam,*
 quae

quae actionem agentis rationalis possibilem communi bono maxime deseruientem indicat, & integram singulorum felicitatem exinde solum obtineri posse, ius naturae subiectiue, & ius naturae obiectiue sumtum connectere. Et quæ sunt reliquæ.

§. XXII.

Quod HOBBSIVM attinet, qui a) docet, ius naturæ esse libertatem, quam quisque habet, facultatibus naturalibus secundum rationem utendi, generatim moneo, mea quidem ex sententia HOBBSIVM meditationes de ciue non eo composuisse consilio, vt explicassent ius naturæ, sed vt indicassent, libertatem naturalem, qua quis iura sua propria vi exercere potest, pro præsentis rerum statu felicitati hominum minus conuenientem esse. Hoc est, quod scriptus fati probat.

a) de ciue cap. I. §. 7.

§. XXIII.

Pergit B. opponens §. 3.: „Idque tanto periculosius esse videtur, quanto certius est, Iuris Naturæ definitionem toti iuris illius corpori formam dare, atque demonstrationis fundamentum omne inde sumendum esse, si disciplina ratione constat, certisque rationibus nixa ex proprio semine producenda est. Veritas eius, quod diximus, liquido apparet ex diuersorum principiorum systematibus. Nam v. gr. doctrina Hobbesii (quo nemo construxit systema suis principiis melius cohaerens, sibi que magis simile) alia plane est, quam quæ vulgo recepta hodie floret. Quem tamen ille de Iure Naturæ habuit intellectum, eum per totum opus accurate obseruauit, & materias iuris ita demonstrauit, vti eum facere par est, qui disciplinam aliam quam legitime demonstratam tradere intendit.”

§. XXIV.

Respondeo primo, Iuris naturæ definitionem toti iuris illius corpori formam dare, atque demonstrationis fundamentum

damentum omne inde sumendum esse, concedo; nego tamen consequentiam, quam inde intulit. Satis enim clare & ut opinor, perspicue §. 21. docui, omnes iuris naturalis definitiones, discrimine inter ius naturae subiectivae, obiectivae atque systematice sumtum observato, sensu inter se convenire. Ex quo fluit, non esse periculosum, unam vel alteram definitionem eligere. Omnes enim conclusiones ex definitione iuris naturalis subiectivae sumti legitime illatae verae sunt, si sermo sit de iure naturali subiectivae sumto. Nec minus ea, quae ex definitione iuris naturalis obiectivae vel systematice sumti legitime deducuntur, vera sunt, si de iure naturali obiectivae vel systematice sumto dicatur. Ex quo tamen non sequitur, illa principia hisce, & haec illis repugnare, sed omnia inter se sunt cohaerentia (§. 12. 13.). Vberius haecce infra in meditatione de primo iuris naturalis principio persequuturi sumus.

§. XXV.

Continuatio.

Quod porro ad ea adinet, quae de systemate Hobbesii dicta sunt, concedo, Hobbesium construxisse systema principiis suis mediocriter cohaerens. Indicaui vero §. 22. meditationes illas de civitate non esse systema iuris naturalis. Quod magis adhuc est, sunt meditationes politicae falsa ex hypothese deductae, quibus imperfectionem libertatis naturalis oculis concivium, ut ita dicam, subiicere voluit. Atque ideo, ex systemate Hobbesiano praecepta iuris naturalis iudicare, non convenit.

§. XXVI.

*Obiectio 177.
11a.*

Praeterea B. opponens §. 7.: „Sententiam, qua Ius Naturae in ratione collocatur, tuentur plerique veteres Philosophi, Graeci & Latini. Horum quidem tanta apud me est auctoritas, ut vitio nemini vertam, si quis ab ea discendum non putet. Multis tamen difficultatibus illa premitur: quas an remouerint harum rerum periti, tuum erit iudicare.”

§. XXVII.

§. XXVII.

Remoueamus illas difficultates. Vox *ratio* (die *Wort* *Response*) sumitur, vt cum Philosophis loquar, & obiectiue & subiectiue. Ratio obiectiue spectata idem valet, quod nexus veritatum. Et ratio subiectiue considerata significat facultatem nexus rerum suis ex notionibus perspiciendi. His praemissis facile erit intellectu, quid significet *in ratione collocatum esse*. Substituas nimirum rationis definitiones, & intelliges, enunciationem illam idem valere, quod in veritatum nexu eo modo collocatum esse, vt rerum ex notionibus euolui atque perspicui possit. His praestructis patet, ius naturae illa in enunciatione sumendum esse obiectiue, ideoque hunc esse dicti sensum: Ius naturae esse veritates seu propositiones, quae docent id, quod bonum vel malum, seu iustum vel iniustum est, & quae in nexu veritatum eo modo collocatae sunt, vt rerum ex notionibus euolui atque perspicui possint. Et ita difficultates, de quibus B. opponens dixit, satis, vt opinor, remotae sunt.

SCH. Reliqua, quae in contrarium adduxit, non spectant iuris naturalis definitionem, sed iuris naturalis existentiam atque vim obligatoriam. De illa in obseruatione, quae sequitur, & de hac infra dicendum sumus.

OBSERVATIO IV.

DE
IVRIS NATVRAE EXISTENTIA.

§. I.

HAec de iuris naturalis definitione: proximum est, vt de *Scopus ob-*
eiusdem existentia agamus. Indicauimus, Philosophos *seruationis.*
ius naturae & subiectiue & obiectiue vel systematice sumere.
Quaerendum itaque est, *primo*: an existat ius naturae subie-
ctiue sumtum? *secundo*: an existat ius naturae obiectiue acce-
ptum? & *tertio*: an deur ius naturae systematice sumtum?

§. II.

*Existentiæ
iuris natu-
ralis subie-
ctive summi,*

Prima quaestio hæc est: *an existat ius naturæ subiective sumtum?* Huius quaestionis affirmatiuam defendimus, eandemque a posteriori probamus argumentatione, quæ sequitur: Quotidie & animæ, & corporis sentimus conatus, qui nos ad aliquid agendum vel omittendum ducunt. In eiusmodi conatuum causas atque fontes inquisiturus facile perspiciet, alios esse essentielles, alios adquiretos, & conatus illos essentielles nos tam ad ea ducere, quæ ad conferuandam existentiam nostram necessaria, quam ad ea, quibus vires nostras augere magisque perficere possumus. Sic quotidie sentimus conatus essentielles ad inquirendas in rerum rationes, ad ea vitanda, quæ vitam nostram destruunt, ad res ad viuendum necessarias acquirendas, ad euitandas læsiones, & qui sunt reliqui. Quare, quum eiusmodi conatus constituent ius naturæ subiective sumtum (§. 1. & 19. Obs. 3.); sequitur, ius naturæ subiective sumtum existere.

§. III.

*Iuris natu-
ralis obie-
ctive accepti*

Altera quaestio, quam §. 1. posui, hæc est: *an existat ius naturæ obiective acceptum?* Huius quoque quaestionis affirmatiuam defendimus, eandemque argumento, quod sequitur, corroboramus: Intellectus atque rationis ope ex actionum notionibus aut in se aut in relatione ad circumstantias, quæ obueniunt, consideratis consecutaria, quæ ex actionibus fluunt, inferre, illata illa consecutaria cum essentia nostra existente conferre, atque inde iudicare possumus, actionem illam nobis aut bonam aut malam esse. Id est, quod non ipsa solum experientia loquitur, sed & ex eo patet, quia intellectus, quo gaudemus, de rebus, quæ obueniunt, notiones format, & beneficio rationis, quam creatoris benignitate accepimus, in eiusmodi rerum qualitates inquirimus, quæ rerum notionibus constituuntur. Quæ cum ita sint, satis manifestum est, nos eiusmodi gaudere facultatibus, quibus propositiones rerum ex notionibus

bus collectas formamus, quae id docent, quod nobis bonum vel malum est. Eiusmodi propositiones dant ius naturae obiectivae sumtum (§. 7. Obl. 3.). Ergo & eiusmodi iuris naturalis existentia satis euieta est.

§. IV.

Ultima, quam §. I. posui, quaestio haec est: *an syste. & iuris ma-*
ma iuris naturalis possit componi? Ad hanc quoque quaestio- *turalis sy-*
 nem respondemus affirmando. Quum enim fieri possit, ut *stematico*
 rerum ex notionibus inferamus propositiones, quae id do- *summi pro-*
 cent, quod nobis bonum atque malum est (§. 3.); fieri *batnr.*
 quoque poterit, ut rerum ex notionibus deducamus scien-
 tiam, quae id, quod nobis bonum vel malum est, explicat.
 Eiusmodi scientia est systema iuris naturalis (§. 8. Obl. 3.).
 Ergo & manifestum est, systema iuris naturalis inter ea re-
 ferendum esse, quae componi possunt.

§. V.

Sunt non-nulli, qui existentiam iuris naturalis negant. *Obiectio pri-*
 Inquiramus in argumentorum capita, erroneasque, quae in *ma.*
 illis latent, persuasionses. *Primo* de argumentatione, qua
 usus est CARNEADES ex Schola Cyrenaea, novae Acade-
 miae conditor a). Hic posuit hypothesein: *omnes & homi-*
nes & alias animantes suas ad utilitates natura ducente
ferri, & hac ex hypothesei intulit, nullum esse ius natu-
rale.

a) Conf. GROTIUS de I. B. & P. Proleg. g. V. ff. & Per-III. de COE-
 CEII addit. atque obseru. ad cit. loc.

§. VI.

Respondeo: Posita in hypothesei aut sermo est de vera *Responso.*
 utilitate, aut de utilitate apparente. *Si hoc,* nego hypothe-
 sin experientiae repugnantem. Natura enim seu stimuli
 essentielles nos non ducunt nisi ad ea, quae nobis vere bona
 sunt. Si illud, concedo acceptam illam hypothesein. Et
 hoc posito nego consequentiam: Qui enim concedit,
 omnes

omnes & homines & alias animantes suas ad utilitates veras nimirum natura ducente ferri, is quoque conatus essentialis seu stimulus naturales concedere debet, qui nos ad ea agenda ducunt, quae nobis bona sunt, & ad ea vitanda, quae nobis mala sunt. Hoc vero, concesso manifesta est iuris naturalis subiectivae summi existentia (§. 2.). Ex qua iuris naturalis obiectivae & systematicae accepti existentia facili negotio inferri poterit (§. 3. 4.).

§. VII.

*Obiectio
secunda.*

Pergunt alii *a)*, eiusmodi quidem fuisse hominis conditionem atque dignitatem, in qua rerum opifex illum collocavit, ut conatu essentiali seu stimulo naturali ad ea agenda, quae sibi bona sunt, & vitanda, quae sibi mala sunt, sit ductus: hocce vero ius naturae peccato adamitico plane esse amissum, ideoque naturam homines post lapsum consideratos ducere ad ea agenda, quae sibi mala sunt.

a) Confer. HOMBERGII *Diss. de lege aeterna.*

§. VIII.

Responsio.

Respondeo: Homini post lapsum consideratis inesse conatum atque stimulum ad ea agenda, quae sibi mala sunt, & ad ea vitanda, quae sibi sunt bona, concedo quidem, nego tamen, conatum illum esse essentialem, & inde sequi, peccato adamitico ius illud naturale esse amissum. *Primum* argumentatione, quae sequitur, corroboro: Si conatus ille, quo homo post lapsum ad mala agenda ducitur, sit essentialis; consequens erit, hominem peccato adamitico talem accepisse essentialiam, ex qua talia fluunt, quae iis, quae essentialia humana a Deo creata constituuntur, repugnant; Hoc vero posito, manifestum erit, peccato adamitico ipsam hominis essentialiam esse mutatam. Sed hoc falsum est, repugnat enim veritatibus necessariis, inter quas hoc quoque referri debet principium: essentialiae rerum sunt sicut numeri, seu, essentialia non recipit magis & minus, seu, ut alii dicunt: essentialiae rerum sunt immutabiles. Sunt igitur conatus

natus illi, quibus homines ad mala agenda ducuntur, non essentialis sed accidentalis. *Alterum* hac ratione probatur: Si peccato adamitico essentia humana non sit mutata; sequitur, post lapsum quoque ea ponenda esse, quae essentia hominis existente constituuntur, posita essentia hominis existente. Verum est prius per ante dicta. Ergo & posterius. Sed posita essentia hominis existente ponitur ius illud naturale subiective sumtum. Falsum igitur est, peccato adamitico ipsi illud naturale subiective sumtum amissum esse. Id quod nos volumus. Adde, quod idem experientia confirmet. Vnde, quaeso, tanta Alexandri M. Themistoclis fortitudo? Vnde tanta Socratis, Pythagorae temperantia? Vnde tanta Aristidis, Catonis iustitia? Vnde praecepta moralia Aristotelis? Non certe ex libro scripturae, sed libro naturae: tertium enim non datur. Naturae lumen & rectae rationis dictamen vnicum illud dicitur principium, cuius beneficio gentes honesta a turpibus discriminarunt, ut adeo non opus sit dicere, ius naturae homini non natura inesse, & lumine naturae non posse cognosci, sed ad reuelationem recurrendum, indeque principia de discrimine honestorum & turpium petenda. Vti post lapsum adhuc non quidem mirabilia sed potius miserabilis quaedam rudera & reliquiae imaginis diuinae in nobis supersunt: ita etiam certum, scintillas quasdam & fauillas in nobis esse, ex quibus honestorum & turpium discrimen tanquam ex lydio lapide elicere possumus. Sunt verba AMMERSBACHII *d*).

a) in *Diff. de iure naturali* §. 4. Conf. GLASERII *Diff. de iure naturae* Helmstadii 1662. habita.

§. IX.

Secundum MACHIAVELLUM *a*) id, quod ius naturae *Obiectio iur-* vocamus, nihil aliud est quam praeconcepta hominum opinio iucundi atque iniucundi. Qua ex hypothese nonnulli argumentati sunt: Opiniones hominum de iucundis
B
atque

atque iniucundo inter se non congruunt. Ergo non datur ius naturae.

a) Disp. Lib. I. Cap. II.

§. X.

Responsio.

Respondeo. *Primo* nego hypothesin a MACHIAVELLO positum. Praeconceptae enim hominum de iucundo atque iniucundo opiniones nec essentiales sunt conatus, nec semper sunt propositiones veris ex notionibus legitime illatae. Ex quo manifestum est, eiusmodi opiniones nec ius naturale subiectivae (§. 1. Obf. 3.) nec ius naturale obiectivae atque systematice sumtum constituere (§. 7. 8. Obf. 3.). *Deinde* nego consequentiam. Legitime enim inde solummodo inferri poterit, homines non semper stimulos naturales sequi, nec satis perspicue intelligere, quid sibi bonum atque malum sit.

§. XI.

*Obiectio
quarta.*

Qui ad sententiam HOBBSII a) accedunt, quod nimirum ius naturae sit potestas sine resistentia externa agendi, inde inferunt: Id mihi iuris est naturalis, quod per vim meam, cui resistentia externa, quae sufficiens est, poni nequit, fieri potest. Resistentia illa externa maior minorque fieri potest. Quicquid itaque mihi hodie est iuris naturalis, id alio quodam tempore non est iuris naturalis. Ergo non datur ius naturae.

a) Elem. de Civ. Cap. II.

§. XII.

Responsio.

Respondeo. Sententia HOBBSII iam pridem est explosa. Ex eo enim, quod aliquid per vim meam fieri possit, non fluit, idem per me fieri posse iure. Eiusmodi itaque potestas agendi non est ius, ergo nec ius naturale. Porro notandum est, HOBBSIVM, mea quidem ex sententia, libertatem naturalem a iure naturali non distinxisse. Haec est indoles atque constitutio libertatis naturalis, ut iura nostra propriam per vim exerceamus. Eiusmodi vero agendi

agendi potestas generatim spectata inter iura referri nequit.
Conf. Obs.

§ XIII.

Tandem non nulli sententiae, quae existentiam iuris *Obiectio*
naturalis docet, argumentatione, quae sequitur, occurrunt: *quinta.*
Si ius naturae, quod natura omnia docet animalia, existat; consequens erit, ut omnes homines & docti & indocti ius illud cognoscant. Sed non multi solum homines, immo integrae nationes, teste *Aulo Gellio a)* ius illud naturae ignorant. Ergo non datur ius naturae.

a) *Lib. II. Noct. Attic.*

§ XIV.

Respondeo: Nego consequentiam. Concedo quidem, *Responsio.*
permultos ius naturae ignorare. Sed causa huius ignorantiae non est iuris naturalis, sed debitae attentionis defectus, praeiudicia atque errores, quibus intellectum rationemque suam homines obnubilant. Et quae sunt reliqua a).

a) Conf. B. WEIDNERI *4. Dissert. de Jure naturae omnibus congenito atque iusto, Rostochii 1712. habitae.* & HEREBORD. *Disp. select. Vol. I. Disp. 41.*

OBSERVATIO V.

DE

DIVERSIS SYSTEMATIS IVRIS
NATVRAE PARTIBVS.

§ I

Quum ius naturae systematice sumtum sit scientia, quae *Partes iuris*
rerum ex notionibus ea, quae bona atque mala, seu *naturalis &*
iusta atque iniusta sunt, infert (§. 9. Obs. 3.): & quum *per scopum*
duo sint iuris naturalis subiective sumti gradus, quorum *& per obiectum*
primus ad ea ducit, quae ad conferuandum necessaria, *se-*
cundus ad ea ducit, quibus vires augeri magisque perfici *tuntur.*

queunt (§. 19. Obf. 3.); fequitur, duas effe cauffas, quae diuerfas iuris naturalis systematice fumti partes conftituunt. *Alter* eft fcopus, qui gradum iuris naturae fubiectiue fumti docet, *altera* eft obiectum, ex cuius notione quae bona atque mala funt, inferuntur.

§. II.

Partes i. n. quae ex fcopo

Quoad primum hac ratione argumentor: Scientia, quae rerum ex notionibus ea, quae bona atque mala feu iufta atque iniufta funt, infert, aut rerum ex notionibus ea, quae ad vires conseruandas neceffaria, aut ea, quae ad vires augendas atque perficiendas requiruntur, docet. *Illud* eft fyftema de primo, & *hoc* eft fyftema de fecundo iuris naturalis fubiectiue fumti gradu. *Illud* dat ius naturae, quod *cogens* feu *neceffitatis*, & hoc ius naturae, quod *humanitatis* vocant. *Illius* fundamentum eft, *neminem laedas, fuum cuique tribuas*, & huius fundamentum eft, *honeftum*.

§. III.

Et quae ex obiecto funt eorum. Prima huius diuifio.

Quoad fecundum *primo* hac ratione argumentor: Quae bona atque mala, feu iufta atque iniufta funt, aut inferuntur ex notione hominis in fe coniderati, aut ex notione relationis hominis ad homines, aut ex notione relationis hominis ad Deum. *Primum* dat *theoriam Ethicæ*, *alterum* exhibet *Iurisprudentiam naturalem simpliciter fe dictam*, & *ultimum* eft *theoria theologiae moralis philofophicae*.

SCH. Addunt non nulli quartum iuris naturalis caput, quod rerum ex notionibus in ea inquirat, quae in relatione ad bruta atque res ceteras inanimatas bona atque mala, feu iufta atque iniufta funt. Sed officia erga bruta ceterasque res inanimatas, ab officiis erga fe ipfum, erga proximos & erga Deum diuerfa an dentur, in dubium incertumque reuoco, hancque meam fententiam argumento, quod fequitur, corroboro: Deus bruta ceterasque res inanimatas noftrum in vsum condidit, ideoque conideranda funt ceu subsidia noftrae aliorumque conseruationis, atque adquirendae

quirendae perfectionis. Ex quo patet, vsum brutorum ceterarumque rerum inanimatarum bonum, seu iustum esse, quo nos aliosque conferuamus atque perficimus, & malum seu iniustum, quo nos aliosque destruimus atque imperficiores reddimus. Quae cum ita sint, manifestum est, nulla esse officia erga bruta ceterasque res inanimatas ab officiis erga nos, erga proximos & erga Deum diuersa. a)

a) Conf. Cap. vltimum meiner philosophischen Sitten-Lehre. I MANVEL PROELEVUM in denen GrundSätzen des Rechts der Natur im Anhange p. 75. ff. OMEISIVM in Diss. de officiis erga bruta anno 1702. Altorfi habita.

§. IV.

Porro. Qui rerum ex notionibus ea, quae bona atque mala, seu iusta atque iniusta sunt, infert, aut res ea ratione spectat, qua nuda natura, aut qua institutis, naturae adiectis, constituuntur. Si illud, *ius naturae* vocatur *absolutum*, & si hoc, *hypotheticum*.

SCH. Sic iuris naturalis absoluti est: *conferua te ipsum*. Et iuris naturalis hypothetici: *pacta seruanda sunt*.

§. V.

Praeterea, quum ex praeceptis Logicorum manifestum sit, rerum notiones & in se & in relatione ad alia certaeque determinationes accidentales considerandas esse; consequens est, vt rerum ex notionibus ea, quae bona atque mala, seu iusta atque iniusta sunt inferens, tam ea docere possit, quae ex rerum notionibus in se consideratis, quam quae ex rerum notionibus, quatenus in relatione ad alia certaeque determinationes accidentales considerantur, fluunt. Illud dat *ius naturae*, quod *necessarium*, & hoc *ius naturae*, quod *contingens* vocamus. Nec abhorret eiusmodi terminorum vsus ab vsu loquendi recepto. Notum enim est, id subiecto necessario inesse, quod per ipsam subiecti notionem seu essentiam constituitur: & id subiecto contingenter competere, quod non per ipsam subiecti notio-

nem, sed per relationem subiecti ad alia certasque determinationes accidentales inest.

SCH. Sic in doctrina de matrimonio est iuris naturalis necessarii, ut negotia in commodum societatis domesticae dirigantur. Iuris vero naturalis contingentis esse potest, ut marito sit imperium in uxorem.

§. VI.

4 quarta.

Tandem quum permultae hominum ad homines relationes cogitari possint; sequitur, ut permultae quoque inde iurisprudentiae naturalis oriantur partes, quae nomina sua a relationibus illius accipiunt. Ex quo facile intelliges, quid sit *ius naturale sociale, ius naturale civile, ius naturale ecclesiasticum, ius naturale feudale*. Et quae sunt reliqua. Formes enim notionem de societate, & hac ex notione quae iusta atque iniusta sunt, inferas, & habebis *ius naturale sociale*. Formes notionem de ciuitate, & hac ex notione colligas, quae in ciuitate iusta atque iniusta sunt, & scientia, quae inde oritur, erit *ius civile naturale*. Et sic porro.

§. VII.

Conclusio
generalis ex
dictis infer-
tur.

Quum aliud sit fundamentum, quo ius naturae incogens & humanum (§. 2.), aliud, quo in absolutum & hypotheticum (§. 4.), aliud, quo in necessarium & contingens diuiditur (§. 5.); manifestum est, fieri posse, ut aliquid sit iuris naturalis cogentis absoluti atque necessarii; fieri posse, ut aliquid sit iuris naturalis cogentis hypothetici necessarii; fieri posse, ut aliquid sit iuris naturalis cogentis absoluti atque contingentis. Et quae sunt reliqua. Porro ex dictis facile intelliges, quid sit ius naturale civile necessarium & contingens, ius ecclesiasticum naturale necessarium atque contingens, absolutum atque hypotheticum. Et quae sunt reliqua.

OBSER-

OBSERVATIO VI.
DE
IVRE GENTIVM.

§. I.

NOTISSIMA est quaestio & controuersia, *num ius naturae & gentium sint unum idemque ius, an specie differant?* Negant HOBBSIVS a), PUFENDORFIVS b), HERTIVS c), Per-III. de COCCII d) aliique. *Primo*, quia gentes, quippe in statu naturali constitutae, se non obligant. *Secundo*, quia pleraque, quae ad ius Gentium referuntur, vel ad ius naturae, vel ad ius ciuile singularem gentium pertinent. *Tertio*, quia multa pertinent ad meras consuetudines, tacito consensu adprobatae, quas obseruant gentes cultiores, si tamen gens quaedam seruare nolit, nihil est, quod eam adstringat. *Quarto*, quia si mos ad ius naturale referri possit, eius dignationi magis consulitur, quam si eius origo ad simplicem gentium conuentionem referatur. Et quae sunt reliqua e).

Argumenta eorum, quae ius Gentium negant,

a) de Ciue Cap. XIV. §. 5. 6.

b) de Iure Nat. & Gent. Lib. II. Cap. III. §. 22.

c) In comment. de Lytro Sect. I. quae est Opusc. IV. Tom. I. Vol. I. Opusc.

d) In Diff. proemiali quarta de iure gent. voluntario Cap. II.

e) Conf. HOCHSTETTERI Colleg. Pufendorfsianum Exerc. III. §. XVIII.

§. II.

Affirmant GROTIUS a), CHRISTOPHORVS BECMAN- & quae ius
NVS b), HVBERSVS c), CONRINGIVS d) aliique. *Primo*, *Gentium do-*
quia id, quod ex certis principiis certa argumentatione de-
cunt.
duci non potest, & tamen ubique obseruatur, ex libera at-
que tacita gentium voluntate ad causam vniuersalem refer-
ri debet. *Secundo*, quia gentes etiam liberae se inuicem obli-
gare

gare possunt, ut vniuersas, quemadmodum in Democratia atque Politia fit. *Tertio*, quia ex eo, quod quae iuris gentium dicuntur, ad ius naturae reduci queunt, ac inde reuera deriuantur, non maiori ratione sequitur, ut non sint a iure naturae diuersa, quam ex eo, quod flumen ex fonte oritur, deducatur, fontem & flumen non esse res diuersas. *Quarto*, quia gentes pacto se obligare possunt ad ea praestanda, ad quae per naturam non sunt obligatae. Et quae reliqua.

a) de I. B. & P. Proleg. §. 10. & Lib. I. Cap. I. §. 14.

b) Medit. Polit. Cap. II. §. 8. & Polit. parall. Cap. II. §. 14.

c) in Praelect. ad L. I. Digest.

d) Diss. de iure.

§. III.

*Prima iuris
gentium si-
gnificatio.*

Quae cum ita sint, operae pretium esse videtur, ut, quid de illustri illa quaestione censendum, anquiramus. Hunc in finem *primo* varios iuris gentium significatus euoluamus, & *deinde* determinemus, qua significatione ius gentium a iure naturae distinctum componi possit. *Ius Gentium* primo accipitur in oppositione ad stimulos naturales, & vocatur ius, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit *a)*, quod etiam iuris romani scriptoribus audit ius homini proprium. Manifestum inde est, ius naturae hac in oppositione idem esse, quod ius illud naturale, quod natura omnia animalia docet, de quo §. 3. obs. 3. & ius gentium idem significare, quod ius illud naturale, quod dictamen rectae rationis vocatur, de quo §. 7. & 8. obs. 3. Ideoque positis hisee terminorum significationibus ius Gentium a iure naturae distinctum concipiendum esse (§. 12. ff. Obs. 3.). Sed eiusmodi terminorum significationes non sunt huius loci.

a) §. 1. Inst. de iure nat. & Gent, Conf. BECMANNVS in Med. pol. p. 12.

§. IV.

§. IV.

Nec sub considerationem nostram hic venit ea iuris gentium significatio, quam HOBBSIVS a) accepit, quae idem sit quod lex alicuius civitatis in particulari. Sic enim cum iure civili voluntate superioris cuiusdam posito confunditur, ideoque improprie sumitur. Ius gentium proprie acceptum non explicat id, quod iusti atque iniusti est in hac vel illa civitate, sed quod iusti atque iniusti est in relatione gentis ad gentem, id est, in relatione civitatis ad civitatem, quarum altera ab altera non dependet.

a) de Eius Cap. XIV. §. 4.

§. V.

HEINECCIUS a) ius gentium idem est, ac scientia de iis, quae in societatibus atque inter eas iusta atque iniusta sunt. Et hac in oppositione philosophicam, quae id, quod inter singulos homines iustum atque iniustum sit, praecipit. Positis hisce terminorum significationibus, ius gentium a iure naturali distinctum a Philosopho quoque componi posse, hac ratione evinco: Homines, prout certas in societas coaluerunt, considerati certas habent determinationes, quae illis, quatenus ut singuli seorsum considerantur, non insunt. Positis novis determinationibus novae quoque ponuntur notiones, ex quibus, quod iustum atque iniustum est, inferri potest. Ergo & fieri potest, ut in relatione ad hominem, qui ut socius consideratur, aliquid per naturam societatis sit iniustum, quod in relatione ad illum hominem, qui extra societatem consideratur, iniustum vocari nequit. Ex quo potro sequitur, ut scientia componi possit, quae in ea inquirat, quae per naturam societatis iusta atque iniusta sunt, id est, ius gentium, ab eo iure naturali, quod rerum ex notionibus ea, quae inter singulos homines iusta atque iniusta sunt, evoluit, distinctum. Sed mea quidem sententia, eiusmodi scientia minus accurate ius gentium vocatur. Quum enim scientia illa rerum ex notionibus ea evoluat, quae in relatione ma-

F

riti

ziti ad uxorem, in relatione domini ad seruum, in relatione parentum ad descendentes, & quae sunt reliquae, iusta atque iniusta sunt; consequens erit, maritum atque uxorem, dominum atque seruum, parentes atque descendentes esse gentes, si scientia illa proprie ius gentium possit vocari. Ex quo manifestum est, eiusmodi vocis acceptationem vsui loquendi repugnare. Qua ex ratione scientia illa a non-nullis *ius naturale sociale* vocatur.

a) in *Elem. Jur. nat. & gent.* §. XXI.

§. VI.

Quarta & propria iuris gentium significatio.

Haec de iure gentium improprie accepto. Progre-
dimur ad propriam huius vocis acceptationem. Quum *gentes*
sint ciuitates, quarum vna ab altera non dependet; sequi-
tur, *ius gentium* proprie acceptum esse scientiam de iis,
quae inter ciuitates, quarum vna ab altera non dependet,
iusta atque iniusta sunt.

§. VII.

*Qua signifi-
catione ius
gentium pri-
mo in uni-
uersale &
particulare,*

Qua ex notione patet, duo hic esse fundamenta diui-
sionis. Alterum praebent *gentes*, alterum scientia. Ratio-
ne primi ius gentium est vel *uniuersale*, vel *particulare*.
Uniuersale est scientia de iis, quae inter omnes gentes iusta
atque iniusta sunt. *Particulare* est scientia de iis, quae li-
cet non inter omnes tamen inter quosdam gentes sunt iusta
atque iniusta.

§. VIII.

*& deinde
in philoso-
phicum &
positiuum
diuiditur.*

Ratione secundi ius gentium in *philosophicum* & *posi-
tiuum* diuiditur. Scientia enim, quae docet, quae inter gen-
tes iusta atque iniusta sunt, aut philosophica, id est, talis
est, quae rerum ex notionibus, quae inter gentes iusta at-
que iniusta sunt, infert: aut non-philosophica, seu talis
est, quae id, quod inter gentes iustum atque iniustum, non
ex rerum notionibus infert. Si prius, scientia illa voca-
tur *ius gentium philosophicum* seu *ius gentium naturale*, ab
aliis,

aliis, *ius gentium primum*. Si posterius, scientia illa accepit nomen *iuris gentium positum*, & a non-nullis, *iuris gentium secundarii*.

§. IX.

Ius gentium philosophicum seu naturale est vniuersale. Inquisitionem
 Quum enim *ius gentium philosophicum seu naturale* ex philosophi-
 solum doceat, quae per notionem relationis gentis ad cum est vni-
 gentem iusta atque iniusta sunt (§. 8.): & quum posita rela- uersale
 tione gentis ad gentem eiusmodi quoque notio poni de-
 beat; sequitur, vt inter omnes gentes iusta atque iniusta
 sint, quae *ius gentium philosophicum seu naturale* praeci-
 pit. Ex quo manifestum est, *ius gentium philosophicum*
seu naturale esse ius gentium vniuersale (§. 7.).

§. X.

Porro ex notione de *iure gentium philosophico formata* & caput ius
 manifestum est, hocce *ius esse caput iuris naturalis systematice* ris natura-
 summi. Quum enim *ius naturae systematice sumtum* sit lis
 scientia, quae rerum ex notionibus ea, quae iusta atque
 iniusta sunt, infert (§. 8. obi. 3.); sequitur, scientiam,
 quae ex determinatae cuiusdam rei notione ea, quae hu-
 ius rei ratione iusta atque iniusta sunt, colligit, esse partem
 seu caput *iuris naturalis*. *Ius gentium philosophicum* ex
 notione relationis gentis ad gentem, quae inter gentes iusta
 atque iniusta sunt, infert (§. 8.). Ergo & *ius illud gentium*
 est caput *iuris naturalis systematice summi*.

§. XI.

Iis itaque, qui *ius gentium philosophicum* a *iure na-* *Ius naturae*
turae & sociali diuersum ponunt, *ius naturae* est scientia, & sociale a
 quae in ea inquirat, quae per notionem relationis hominis *iure genti-*
 ad homines, qui vt singuli seorsum considerantur, iusta *um diuer-*
 atque iniusta sunt: & *ius sociale*, scientia, quae ex notio- *sum quid.*
 nibus societatum, quae in societatibus iusta atque iniusta
 sunt, infert.

§. XII.

*Eiusmodi
ius gentium
a iure natu-
rae non solo
obiecto.*

His praemissis ponamus quaestionem: *utrum ius gentium philosophicum a iure naturali & sociali solo obiecto, an a iure naturali ipsis regulis differat?* Sunt, qui cum HEINECCIO a) ad illam; sunt quoque, qui ad hancce accedunt sententiam. Sed dicam, quod sentio. Ponamus ius gentium philosophicum a iure naturali solo obiecto differre; consequens erit, ius gentium philosophicum nil esse, nisi ius naturae ad relationem gentis ad gentem adcommodatum. Sed quemadmodum adcommodatio regularum, quae logica praescribit, ad inuestigandas veritates, quae in iurisprudencia obueniunt, non est noua quaedam scientia, seu Logica iuridica: ita & nullum erit ius gentium philosophicum a iure naturali diuersum, si ius illud gentium esset nuda iuris naturalis ad gentes adcommodatio. Ex quo manifestum est, ius gentium philosophicum a iure naturali solo obiecto distinctum non esse nouam quandam scientiam, sed ipsum ius naturae.

a) in *Elementis iuris nat. & gent.* Lib. I. §. XXII.

§. XIII.

*sed ipsis re-
gulis differt.*

Itaque ius gentium philosophicum a iure naturali distinctum compositurustale docere debet ius gentium, quod a iure naturali ipsis regulis differt, id est, ius naturae latius sic dictum per notionem relationis gentis ad gentem magis debet determinare. Eadem itaque est relatio iuris gentium ad ius naturae latius sic dictum, quae est psychologiae ad monadologiam. Quemadmodum enim praecepta monadologiae per notionem animae atque spiritus magis determinata dant psychologiam; ita & praecepta iuris naturae latius sumti per notionem relationis gentis ad gentes magis determinata constituunt ius gentium philosophicum.

§. XIV.

*Eiusmodi
ius gentium*

Hoc est ius gentium a iure naturae diuersum, cuius elementa in Institutionibus iurisprudenciae vniuersalis explanauit.

planavi. Eiusmodi vero ius gentium non, vt HEINEC-^{componi}
 CIVS ^{a)} voluit, esse fictiones, sed verum ius gentium, ^{posse proba-}
 quod a iure naturae latius sumto ipsis regulis differt, hac ^{tur.}
 ratione euinco: Quum ciuitas sit societas magis determi-
 nata, & quum societas inuoluat relationem hominis ad
 hominem naturali magis determinatam; sequitur, vt in
 societate iniusta esse queant, quae in naturali hominis ad
 hominem relatione inter iniusta referri nequeunt, & vt
 quaedam sint iuris in ciuitate, quae non aequae commode
 applicantur societatibus non-ciuilibus. Integrae ciuitates
 constituunt gentes, ideoque relatio gentis ad gentem est
 relatio ciuitatis ad ciuitatem. Ergo & per naturam rela-
 tionis gentis ad gentem quaedam iniusta esse possunt,
 quae non aequae iniusta sunt per naturam relationis so-
 cietatis ad societatem vel hominis ad hominem. Quare
 quum ius gentium philosophicum in ea inquirat, quae
 per naturam relationis gentis ad gentem iusta atque iniusta
 sunt (§. 8.); manifestum est, ius gentium philosophicum,
 quod a iure naturae latius sumto ipsis regulis differt, posse
 componi.

SCH. Idem a posteriori v. g. doctrina de indictione belli, de
 iure legatorum & quae sunt reliqua, corroborari potest.

a) In Elem. I. N. & G. Lib. I. §. XXII.

§. XV.

Haec de iure gentium philosophico. Iam quaestio ^{Tres gene-}
 ponenda est de *iure gentium positiuo seu voluntario*, quod ^{ratum poni}
 etiam non-nulli *secundarium* vocant. Quum ius gentium ^{possunt ra-}
 voluntarium sit scientia de iis, quae inter gentes, sed non per ^{tiones, quae}
 ipsam relationis gentis ad gentem naturam iusta atque iniu- ^{dant ius}
 sta sunt (§. 8.); manifestum est, eiusmodi ius gentium ^{gentium vo-}
 non posse componi, nisi fieri possit, vt per voluntatem ^{luntarium.}
 superioris, aut per pacta, aut per consuetudines quaedam
 inter gentes constituentur iusta vel iniusta, quae per natu-
 ram relationis gentis ad gentem inter talia referri nequeunt.
 Inquiramus in dictorum veritatem.

F 3

§. XVI.

§. XVI.

*Prima re-
icitur.*

Scientia de iis, quae inter gentes per voluntatem superioris iuris sunt, non potest componi. Quum enim gentes sint integrae ciuitates, quarum vna ab altera non dependet: sequitur, vt inter gentes non detur superior. Fieri itaque non potest, vt per superioris voluntatem aliquid constituat, quod inter gentes, qua tales, iustum atque iniustum sit. Ergo & scientiam de iis, quae inter gentes per voluntatem superioris iuris sunt, inter ea referre debemus, quae sunt commenta.

§. XVII.

*Altera de-
fenditur.*

Fieri potest, vt inter gentes quaedam per pacta sint iuris, ad quae praestanda gentes per naturalem gentis ad gentem relationem non sunt obligatae. Quum enim, quod voluntatis fuit, per pactum fieri possit necessitatis: & quum quilibet, qui vsu intellectus atque rationis gaudet, pacto se obligare possit, ad alteri id praestandum, ad quod praestandum per se non est perfecte obligatus; sequitur, fieri quoque posse, vt inter gentes quaedam per pacta sint iuris, ad quae praestanda per naturalem gentis ad gentem relationem non sunt obligatae.

§. XVIII.

*Huius con-
tinuatio.*

Si itaque cum HERM. CONRINGIO a) & SAM. RACHELIO b) scientiam de iis, quae inter gentes per pacta sunt iuris, ius gentium voluntarium velimus vocare; consequens erit, ius gentium voluntarium inter eas referendum esse scientias, quae possunt componi.

a) in Diff. de iure.

b) in Diff. de iure gentium.

§. XIX.

*Fundamen-
tum, ex quo
veritas ser-
uatio dedu-*

Quoad tertiam rationem, quae ius gentium voluntarium seu secundarium constituere potest, hocce pono principium: Si quis alteri aliquid praestiterit, praesumendum erit, illum

illum idem ad praestandum fuisse obligatum. Quod in Institutionibus Jurisprudentiae priuatae Romano-Germanicae a) cedam, ponitur. hac ratione corroborauit. Sine ratione aliquid factum esse, non potest praesumi. Ratio vero, cur quis alteri aliquid praestiterit, aut in eo est, quia hoc ad praestandum perfecte obligatus, aut, quia singulari quadam amicitia ad praestandum commotus. Ergo & in dubio praesumi debet, eum, qui alteri aliquid praestitit, hoc ad praestandum aut perfecte fuisse obligatum, aut singulari quadam amicitia commotum. Quum vero vltimum non nisi ex singularibus quibusdam circumstantiis inferri possit: sequitur, regulariter praesumendum esse, illum, qui alteri aliquid praestitit, hoc ad praestandum perfecte fuisse obligatum.

SCH. Hac de praesumptione infra in obseruatione de vsu possessionis secundum principia iuris naturalis adcurate copioseque disputaturus sum.

a) §. 479.

§. XX.

Hoc ex principio constat, genti per ius naturae competere ius ab altera gente postulandi, vt actus, qui semel atque iterum interuenerunt, & quos, nullo actu contrario interueniente, admisit, iterum iterumque admittat, donec satis probauit, se eiusmodi actus non animo se obligandi, sed vltro ex humanitate admisisse. Quae cum ita sint, sequitur, fieri posse, vt scientia componatur, quae in ea, quae inter gentes per consuetudinem iuris sunt, inquirat. Quae est scientia, quam GROTIUS a) *ius gentium voluntarium* vocauit. Ex quo sequitur secundum iuris gentium voluntarii significatio.

a) de I. B. & F. Lib. I. Cap. I. §. XIV.

§. XXI.

Hactenus ex explicatis manifestum est, necesse esse, vt de iure gentium voluntario disputaturi distinguant scientiam de iis, quae inter gentes per pacta sunt iuris, a scientia de iis, quae inter gentes per consuetudinem sunt iusta atque iniusta Ex quibus deducitur, ius gentium voluntarium esse voluntarium pactuum.

iniusta. Illam peffpicuitatis cauffa vocamus *ius gentium pa-*
ctitium, & hanc, *ius gentium confuetudinarium*.

§. XXII.

Quae sunt
iura parti-
cularia.

His praemiffis, noua ponenda est quaefio: vtrum ni-
 mirum eiusmodi ius gentium pactitium aut confuetudina-
 rium fit ius gentium vniuerfale an particulare. Accedo ad
 fententiam posteriorem. Quum enim plurimae fint gen-
 tes nobis vix nomine cognitae, cum quibus nec com-
 mercium nec focietas nobis est: quum actus ab altero
 adiffi alterum, qui eiusmodi actus non admiffi, non
 obligent (§. 19.): quum porro vix vllum reperiatur pactum
 ab omnibus gentibus factum; fequitur, vt non detur ius
 gentium voluntarium nec pactitium nec confuetudinarium
 omnibus gentibus commune feu vniuerfale. Iura itaque
 gentium pactitia atque confuetudinaria funt particularia
 (§. 7.).

SCH. Idem est, quod folidiffime demonftrauit Per- Ill. de
 COCCII in Diff. prooemiali IV. §. XXXII. Et quod GROTIUS
 l. c. monuit verbis, quae fequuntur: Ius gentium, voluntarium
 nimirum, est, quod gentium omnium aut multarum voluntate vim
 obligandi accepit. Multarum addidi, quia vix vllum ius reperi-
 tur extra ius naturale, quod omnibus gentibus commune. Imo
 faepe in vna parte terrarum est ius gentium, quod alibi non est, vt
 de captiuitate ac poftliminio.

§. XXIII.

Idoque ius
gentium v-
niuerfale est
philofophi-
cum.

Ex quo porro fluit, ius gentium vniuerfale, quod a iu-
 re naturali ipsis regulis differt, non effe nifi philofophi-
 cum, id est, tale, quod ius naturae latius fumtum per na-
 turalem gentis ad gentem relationem magis determinat
 (§. 8. 13.). Qua ex cauffa non-nulli monuerunt ^{a)}, ius gen-
 tium voluntarium minus adcurate ius gentium vocari: cum
 nec, fi quid inter priuatos conuenit, id ius ciuile queat nun-
 cupari.

^{a)} conf. HERTIUS in Comment. cit. de Lytro Sect. I. s. II. & IOH.
 DAV. SCWERTNERI Diff. de Discrimine Iuris Gent. a Iure
 naturali. Lipsiae 1685. hab.

OBSERVATIO VII.
DE
CERTITVDINE IVRIS NATVRALIS
OBIECTIVE SVMTI.

§. I.

Quid sit ius naturae, sermo est de iure naturae obiective *Scopus ob-*
atque systematice sumto, notum iam est. Sed quae *seruationis.*
sit eiusmodi veritatum certitudo, & quo ordine docendae,
restant quaestiones. Primo de illa. Permulti in ea sunt
persuasioe, veritatibus iuris naturae illam deesse certitudi-
nem, qua scientiae mathematicae gaudent. Hanc ad com-
ponendam controuersiam *primo* certitudinem mathemati-
cam delineabo. Porro quae de veritatibus iuris naturae ser-
monem facturi distinguere debent, indicabo. *Deinde*, qua
ratione veritates iuris naturae eadem certitudine, qua verita-
tes mathematicae, gaudent, probabo. *Tandem* ad ea, quae
in contrarium adducuntur, respondebo.

§. II.

Notum est ex Logica, certitudinem, quae veritati- *Delinatio*
bus mathematicis inest, potissimum inde promanare, quod *certitudinis*
non sumantur principia, nisi quae per se patent, aut quae *mathemati-*
indubitatae sunt experientiae, & quod veritates, quae se- *cas.*
quuntur, illis e principiis, tanquam suis causis syllogistice
deducantur. Ex quo manifestum est, veritates, quae ex
primitiuis principiis atque indubitata experientia syllogisti-
ce deducuntur, eadem gaudere certitudine, quae veritatibus
inest mathematicis.

§. III.

Ex ea itaque definitione consequitur, *vt veritas, cui cer-* *Qua posita*
titudo mathematica inest, sit necessaria. Propositio enim, *veritas ne-*
quae datis ex principiis syllogistice deducitur, ita compa- *cessaria poni*
rata est, vt oppositum praedicatum positis illis principiis *debet.*

G

subiecto

subiecto repugnet. Si itaque non sumantur principia, nisi quae per se patent, aut quae indubitatae sunt experientiae; consequens erit, propositionem illam ita comparatam esse, ut oppositum praedicatum subiecto simpliciter repugnet, ideoque propositionem illam esse necessario veram. Ex quo manifestum est, veritatem, cui inest certitudo mathematica, inter necessarias esse referendam.

§. IV.

*Ex quo non-
nulla infe-
runtur con-
suetaria.*

Hinc facile patet, *primo* veritates necessarias certitudine gaudere mathematica. Eadem enim ratione, qua §. 3. argumentati sumus, probari potest. Porro, necesse esse, ut veritatibus quibusdam illam deesse certitudinem, qua veritates mathematicae gaudent, affirmaturi, probent, eiusmodi veritates esse contingentes. *Deinde* veritatibus contingentibus, qua talibus *a)*, certitudinem deesse mathematicam. *Tandem*, veritates ab arbitrio entis cuiusdam intelligentis dependentes certitudine mathematica esse destitutas.

SCH. a) Dixi de veritatibus contingentibus, qua talibus. Nonnullae enim veritates contingentes ita comparatae sunt, ut data ex hypothesi syllogistice fluant. Quae cum ita sint, manifestum est, eiusmodi veritates, posita illa hypothesi, naturam veritatum necessariarum accipere, licet hypothesis illa certitudine mathematica sit destituta. Dicta exemplo quodam, quod sequitur, illustrabo. Sic veritas contingens est, ut testamentum priuatum ciuilitur validum septenarium testium requirat numerum, ideoque huic veritati deest certitudo mathematica. Si vero haecce sumatur hypothesis, ut testamentum priuatum per imaginem populi romani sit condendum: consequens erit, propositionem illam data ex hypothesi syllogistice fluere, ideoque posita illa hypothesi naturam veritatis necessariae accipere. *b)*

b) Conf. *Institutiones iurisprudentiae priuatae romano-germanicae* §. 892. ff.

§. V.

§. V.

Haec de certitudine mathematica. Sequitur euolutio *De iure na*
 eorum, quae de veritatibus iuris naturae sermonem facturi *turæ sermo-*
 distinguere debent. Quemadmodum in Physica leges mo- *nem factu-*
 tus ab operationibus, quae secundum eiusmodi leges fiunt, *rus quæstio-*
 distinguuntur: ita quoque in iure naturae leges, seu quæ- *nes iuris a*
 siones iuris, ab actionibus, quae eiusmodi legibus adtem- *quæstionibus*
 perantur aut non adtemperantur, seu quæstiones facti di- *falli distin-*
 stinguere debemus. Cuius rei ratio dependet a diuersa na- *gnere debet.*
 tura veritatis vniuersalis, & operationis. Certum enim esse
 potest, vt adcommodatio vis, quae fit secundum leges mo-
 tus, id, quod desideratur, efficiat, licet non certum sit,
 vt circumstantiae, quae obueniunt, ita sint comparatae, vt
 vis secundum leges adcommodari queat. Eadem est ratio
 in quæstionibus moralibus, atque iuris naturae. Itaque
 v. gr. alia est quæstio, an bellum, quod secundum deter-
 minata quaedam principia geritur, sit iustum; & alia, quae
 circa bellum suscipiendum mouetur. Illa certa esse possunt,
 licet hac ratione dubium oriatur, vel, vt cum PUFEN-
 DORFIO *a)* loquar, quia de facto, ob quod bellum moue-
 tur, nondum liquido constat, iustum an iniustum fuerit;
 vel quia non adparet, an illud ad bellum, rem periculosae
 plenam aleae, & secum tanta mala trahentem, sufficiat; vel
 quia adhuc ancipiti momento nutant rationes, an tempori-
 bus reipublicae expediat iniurias bello exsequi, an potius
 easdem digerere aut differre, ne intempestiue suscepta vltio
 plura mala arcescat.

a) in Jure nat. & Gent. Lib. I. Cap. II. §. IX.

§. VI.

His praemissis facile erit intelligere, qua ratione verita- *Illae gaudent*
 tes iuris naturae eadem, qua veritates mathematicae, gau- *certitudine*
 deant certitudine. Valet nimirum, si sermo sit de quæ- *mathemati-*
 sionibus iuris, seu de legibus naturalibus, quae sunt prin- *ca*
 cipia rerum ex notionibus deducta, quae docent id, quod

rectum atque minus rectum, iustum atque iniustum est. Quod hac ratione euinco: Veritates, quae ex primitiuis principiis atque indubitata experientia legitime seu syllogistice deducuntur, eadem, qua veritates mathematicae, gaudent certitudine (§. 2.). Principia, ex quibus leges naturales colligendae, sint rerum notiones, quae aut a priori, legitima primarum idearum compositione, aut a posteriori, indubitata nimirum ex experientia secundum praecepta, quae philosophia docet rationalis, formatae: & modus, quo eiusmodi ex principiis leges naturales inferendae, legitimus esse debet. Manifestum itaque est, leges naturales eo, quo fieri debet ordine, constitutas eadem, quae veritatibus mathematicis inest, gaudere certitudine.

SCH. Sic mathematice certum est, pactum violare esse iniustum, & pacta seruare esse iustum. Ex ipsa enim pacti notione legitime fluit, eum, qui pacta violat, alterum laedere, & eum, qui pacta seruat, iuri alterius perfecto conuenienter viuere.

§. VII.

*Quae de
quaestionibus
facti non
praedicanda.* Alia certe erit ratio, si sermo sit de quaestionibus facti. Quum enim eiusmodi facta a libertatis humanae dependeant adcommodatione; sequitur, vt inter veritates contingentes, ideoque inter eas, quae certitudine mathematica destitutae sunt, referri debeant (§. 4.). Certitudo itaque, quae eiusmodi veritatibus inest, non est nisi praesumptio, probabilibus subnixa rationibus, quae non nisi rarissime fallit. Notatu digna sunt verba a GROTIO a) hac de re prolata: *De factis nulla est certa persuasio: sed ea, quae solent in hominum conspectu fieri, sui generis certitudinem habent ex testimonio: quo sensu mater certa esse dicitur, quia inueniuntur, qui quaeue partui & educationi adfuerint; at de patre huius gradus certitudo haberi non potest.*

SCH. Sic mathematice certum est: *iustum est, pacta seruare & iniustum, pacta violare.* Minime vero certitudine mathematica sed firma solum praesumptione gaudet: Caium, qui est vir bonus, pacta

paeta seruaturum esse. Verum quidem est, Caium paeta seruaturum esse, si libertatem suam ea ratione, qua a viro bono fieri debet, adcommodabit: nihilo tamen minus contrarium fieri poterit. Per limites enim, qui libertati humanae positi sunt, fieri potest, ut quoque homo, qui iustus atque bonus est, virtute sua deficiat. Conf. die vierte Abhandlung der ersten Sammlung meiner philosophischen Nebenstunden.

a) Lib. II. Cap. VII. §. 8. n. 1.

§. VIII.

Ex quibus per se patet, eos, qui de certitudinis moralis natura disputant, saepissime certitudinem moralem, quae veritatibus moralibus quaestionem iuris spectantibus inest, cum certitudine morali, qua veritates morales quaestionem facti spectantes gaudent, confundere. Illam cum certitudine mathematica eandem esse, satis, ut opinor, §. 6 demonstratum est. Hanc vero a certitudine mathematica distinguendam esse, manifestum est ex §. 7. Hoc perspicuitatis causa addamus: Certitudinem moralem, quae illius generis veritatibus competit, a qualitate principiorum atque concludendi modo, certitudinem vero moralem, quae huius generis veritatibus inest, a qualitate libertatis huiusque adcommodatione dependere. Illam esse veram atque perfectam certitudinem; hanc vero firmam quamdam praesumptionem. Et quae sunt reliqua.

§. IX.

Euoluamus tandem argumenta, quibus dissentientes iuri naturae eam, qua scientiae mathematicae gaudent, esse certitudinem, corroborare voluerunt. Primo inquiramus in argumentum, quod GROTIUS a) verbis, quae sequuntur, proposuit: „Verissimum est, quod scripsit ARISTOTELES, in moralibus non aequae ut in mathematicis disciplinis certitudinem inueniri: quod eo euenit, quia mathematicae disciplinae a materia omni formas separant, & quia formae ipsae tales plerumque sunt, ut nihil habeant inter-

„iectum, sicut inter rectum & curvum nihil est medii. At in
 „moralibus circumstantiae etiam minimae variant materiam,
 „& formae de quibus agitur solent habere interiectum ali-
 „quid, ea latitudine, vt modo ad hoc, modo ad illud extre-
 „mum propius accedatur. Ita enim inter id quod fieri
 „oportet & inter id quod fieri nefas est, medium est quod
 „licet, sed modo huic modo illi parti propinquius: vnde
 „ambiguitas saepe incidit, vt in crepusculo, aut in aqua fri-
 „gida calecente.,,

a) Lib. II. Cap. XXIII. §. I.

§. X.

*Responso ad
 huius obie-
 ctionis par-
 tem primam.*

Respondeo. Tria in argumentatione, qua vsus est GRO-
 TIVS, latent accurate distinguenda. *Primum* est, quod de
 causa docuit, cur in disciplinis mathematicis tam accuratae
 dentur demonstrationes. *Alterum* spectat ad accommoda-
 tionem principii: Minimae circumstantiae variant rem. *Ter-
 tium* est sententia, quam inferre voluit hocce ex principio:
 Inter id, quod fieri oportet, & inter id, quod fieri nefas
 est, medium est quod licet. De singulis breuiter. Quod pri-
 mum adinet, idem sentio, quod PVFENDORFIVS a), nimi-
 rum causam, cur in disciplinis mathematicis tam accuratae
 dentur demonstrationes, a GROTIO adlatam esse falsam.
 In ea est persuasione GROTIVS, causam huius certitudinis
 mathematicae esse abstractionem a materia. Sed in metho-
 dum mathematicorum inquisiturus facile perspiciet, causam
 illam esse, quia non sumunt principia, nisi quae nulla indi-
 gent probatione, id est, per se certa, & quia non ponunt
 conclusiones, nisi ex principiiis illis syllogistice illatas, id-
 eoque certitudinem illam non dependere a qualitate obiecti,
 de quo dicitur, sed a modo docendi. Quare, quum ea-
 dem docendi ratio in iure naturali locum habeat; conse-
 quens erit, eadem quoque certitudine praecepta iuris na-
 turalis gaudere.

a) in I. N. & G. Lib. I. Cap. II. §. IX.

§. XI.

§. XI.

Haec de prima obiectionis parte. Quoad alteram, qua GROTIUS ad thesin, quam posuit, corroborandam hocce vsus est principio: *in veritatibus moralibus minimae circumstantiae variant rem*, respondeo. Hoc principium aut spectat quaestiones iuris, aut quaestiones facti. Si prius, hic erit sensus, minimam quoque circumstantiam considerandam esse ab eo, qui in principia, quae id, quod per naturam iusti atque iniusti est, docent, inquirere cupit. Sed hoc ad incertitudinem iuris naturalis nil facit. Quum enim praecepta iuris naturalis ea ex ratione certa sint, quia ex veris atque satis determinatis notionibus legitime atque syllogistice illata; & quum fieri possit, ut quaelibet circumstantia nouam rei, de qua sermo fuit, constituat faciem: sequitur, potius ad certitudinem quam ad incertitudinem iuris naturalis aliquid facere, quod minimam quoque circumstantiam in praecepta iuris naturalis accurate inquisiturus spectare debeat. Estne quoque in disciplinis mathematicis, si veritates, quae docentur, sint certae, necessarium, ut minima spectetur circumstantia? Quod de triangulo rectangulo demonstratum est, id non statim valet de triangulo acutangulo. Et quod ratione trianguli acuilateri verum est, id non statim verum est ratione trianguli aequicruri. Quemadmodum in disciplinis mathematicis semper qualitatem rationis, per quam principium aliquod sit constitutum, spectare debet principium illud ad alios casus adcommodaturus: ita & in iure naturali necesse erit, ut leges iuris naturalis obuios ad casus adcommodaturus, rationem, ex qua lex illa deducta est, circumspectat. Vniuersalissima enim est regula: Cessante ratione, qua propositio quaedam corroborata, cessat quoque propositionis veritas, nisi alia quadam ratione confirmari poterit a). Certitudini itaque in veritatibus iuris naturalis hanc ob causam nil detrahitur.

SCH. a) Sic si hac ex ratione, quia quotidie in mundo observamus mutationes, deducam, mundum esse contingentem, legitime fieri non poterit, ut propositio illa adcommodetur, si sermo sit de mundi

mundi existentia. Illa enim argumentatio mundi contingentiam non nisi quoad operationes confirmat. Eadem est ratio in iure naturali. v. gr. Si ponitur lex naturalis: *non committas furtum*; ratio est, *quia nemini competit ius alterum turbandi in eo, quod suum est*. Iam ponamus, Caium esse in statu summae necessitatis, ita, ut nulla ratione vitam suam conseruare possit, nisi violento quodam rerum alienarum vsu; manifestum erit, Caium vim bonis alienis inferentem legem illam naturalem non violare. Cessat enim legis ratio, ideoque eiusmodi legis dispositio.

§. XII.

*Huius contin-
nentio.*

Si *posterius*, quod §. II. posui, hic erit sensus, minimam circumstantiam qualitatem actionis variare, id est, efficere, ut de bonitate vel prauitate eiusmodi actionis alia ratione, quam ante, iudicandum. Ponamus hoc, quid inde? Minima circumstantia qualitatem quoque motus variat; fluit inde legum motus incertitudo? Eadem est ratio in iure naturae. Actiones nostrae bonae sunt, quatenus cum legibus conueniunt, & malae, quatenus legibus repugnant. Minima vero circumstantia eiusmodi conuenientiam vel repugnantiam variare potest, salua tamen legum certitudine. Id est, syllogismus, qui adplicationem legis obuuium ad factum explicat, hic erit:

Quaecunque actio est talis, ea legibus naturalibus conueniens est.

Atqui obuia actio est talis;

Ergo obuia actio legibus naturalibus conueniens est.

Hocce in syllogismo maior est quaestio iuris, & minor quaestio facti. Si minima circumstantia variet qualitatem actionis; eiusmodi variatio non maiorem, sed minorem spectabit. Nulla itaque erit iuris naturalis mutatio, ideoque nec incertitudo.

§. XIII.

*Responsio ad
obiectionis
partem ter-
tiam.*

Tertium, quod GROTIUS ad corroborandam iuris naturalis incertitudinem adtulit, hoc est: Inter id, quod per naturam bonum, & id, quod per naturam malum est, datur tertium,

tertium, nimirum indifferens, quod modo bono modo malo propinquius. Qua ex ratione saepe ambiguum est, vtrum obuia actio sit bona an mala, ideoque non eadem est certitudo in moralibus, quae in mathematicis. Sed primo nego consequentiam. Dubium enim, quod circa eiusmodi actionem suscipiendam oritur, non spectat ius, sed qualitatem facti. Certum manet principium iuris naturalis: *actio, quae est talis, est bona; & actio, quae est talis, est mala*, & ad huius incertitudinem nil facit, si de obuia facti qualitate nondum liquido constat, vtrum sit talis, qua actio est bona, an talis, qua actio est mala. Deinde nego, inter bonum & malum dari tertium, nimirum indifferens. Quemadmodum in Geometria quaelibet linea aut est recta aut curva; ita & in iure naturali quaelibet actio est aut bona aut mala. Sunt quidem non-nullae actiones; quae id, per quod bonae vel malae sunt, non habent per ipsam notionem, sed per circumstantias, sub quibus suscipiuntur, ideoque quae sub aliis circumstantiis sunt bonae, sub aliis vero malae, & quae, si ab eiusmodi circumstantiis abstrahatur, merito indifferentes vocantur; sed hoc posito, certitudini principii: *quaelibet actio aut est bona aut mala*, nil detrahitur. Etenim si actio quaedam vocatur indifferens, hic erit sensus: actio obuia ita comparata est, vt eius notio non sufficiat ad respondendum ad quaestionem vtrum sit bona an mala, sed hanc responsonem ex circumstantiis, sub quibus suscipitur, colligere debemus.

§. XIV.

Pergunt alii, fieri non posse, vt maior sit ipsius scientiae certitudo, quam earum rerum, quae sciuntur. Si itaque eadem sit certitudo in iure naturali, quae est in disciplinis mathematicis; consequens esse, vt eadem quoque sit certitudo in actionibus moralibus. Ex quo porro colligunt, posita illa iuris naturalis certitudine hominum operationes omni destitutas esse libertate.

*Obiectio se-
cunda.*

H

§. XV.

§. XV.

Responsio

Sed nego consequentiam. Huic enim inhaeret vitium, quod Logici vocant fallaciam dicti simpliciter. De actionibus moralibus sermonem facturus distinguere debet eiusmodi actionum in se spectatarum qualitatem ab adcommodatione vis, qua aguntur. Ius naturae inquit in qualitatem actionum moralium in se spectatarum, ideoque haec erit consequentia, si sit legitima: fieri non potest, vt maior sit ipsius scientiae certitudo, quam earum rerum, quae sciuntur. Si itaque eadem sit certitudo in iure naturali, quae est in disciplinis mathematicis; consequens erit, vt eadem quoque gaudeant certitudine praecipua, quae qualitatem actionum moralium in se spectatarum docent. Sequitur inde, operationes hominum, quatenus ab adcommodatione vis dependent, certitudinem quoque mathematicam habere? Mathematicae certum est, vt actiones, quas ius naturae bonas vocat, sint bonae, & quas ius naturae malas vocat, sint malae, etsi, vt eiusmodi actiones fiant atque existant, libera hominum voluntas, seu libera vis humanae adcommodatio efficiat. Sed de his satis. Plura vide in PUFENDORFII I. N. & G. Lib. I. cap. II. Edit. III. MASCOVII.

OBSERVATIO VIII.

DE

METHODO DOCENDI SCIENTIAM
IVRIS, NATVRAE.

§. I.

*Methodus
iuris natu-
ralis eadem
est, quae ma-
thematica.*

Quum praecipua iuris naturalis eadem, qua veritates mathematicae gaudeant certitudine (§. 6. obs. 7.); quum porro eiusmodi certitudo a methodo, qua veritates mathematicae euoluuntur atque probantur, dependeat (§. 2. Obs. 7.): sequitur, partium eius, qui ius naturae euoluere cupit, esse, vt

vt

vt in praecepta huius disciplinae eadem, qua mathematici vtuntur, methodo inquireat.

§. II.

Ex quo colligimus, regulas, quas ius naturae explicaturus obseruare debet, esse *primo*, vt non sumat principia nisi per se vera atque certa; *deinde*, vt obuiio de obiecto formet notionem receptae loquendi rationi conuenientem; *tandem*, vt, quae eiusmodi rei ratione conueniunt vel non conueniunt, seu iusta atque iniusta sunt, ex principiis illis atque notionibus syllogistice legitimeque deducat.

Ex quo regulae huius methodi patent

SCH. Patet inde, quod iam ante in praecognoscendis Logices a) monui, methodum, quam mathematicam vocant, eandem esse, quae methodus philosophica, seu quam sana ratio in veritatibus cum certitudine inuestigandis docet. Quemadmodum enim fieri non potest, vt veritatem a priori euolutam certam vocemus, nisi principia, quae primo loco, id est, sine probatione sumuntur, sint indubitata, notiones rerum sint rite formatae, & modus, quo eiusmodi ex principiis conclusiones inferuntur, sit syllogisticus atque legitimus: ita & philosophi, cuius animus est, veritates cum certitudine a priori inuestigare, partium erit, vt in docendis explicandisque veritatibus easdem obseruet regulas. Eiusmodi itaque methodus vocatur mathematica, non quia est, vt ita dicam, mathematicorum mancipium, sed quia a plerisque mathematicorum obseruata, a ceteris vero eruditis plerumque neglecta.

a) §. 202. Praecogn. Logices.

§. III.

De recta itaque, mea quidem opinione, deflectunt via, qui praecepta iuris naturalis cum ALBERTI a) PRASCHIO b) HEMMINGIO c) aliisque ex S. Scriptura; qui praecepta iuris naturalis cum POIRET d) ex immediata quadam reuelatione; qui tandem praecepta iuris naturalis cum CICERONE e) SELDENO f) aliisque ex historia eruenda esse docent. Scopus enim S. Scripturae atque reuelationis diuinae non est docere ea, quae sana docet ratio, sed inopi-

Opiniones dissentiantium uicissim.

am rationis in acquirenda vera perpetuaque felicitate leuare. Et facta hominum, licet recte instituta sint, non probant aliquid esse iuris naturalis, sed vsum iuris naturalis docent, praeceptaque huius disciplinae magis determinant.

a) in Compendio I. N. orthodoxi. Conf. THOMASIVS in Iurispr. diuina L. I. Cap. IV. §. 40. ff. & in Historia I. N. Cap. VI. §. 23. ff.

b) in Designatione I. N. & G. ex disciplina Christianorum.

c) in Apodictica methodo de lege naturae.

d) de Eruditione solida.

e) in Quaestionibus tusculanis Lib. I. cap. 30.

f) de I. N. & G. iuxta disciplinam Ebraeorum.

§. IV.

Quid significet quaestio: estne hoc iuris naturalis?

His praemissis facile quoque intelligi poterit, quid significet quaestio: *an hoc vel illud sit iuris naturalis?* & quid faciendum ab eo, qui eiusmodi controuersias diiudicare cupit. Quoad primum, notandum est, duo esse praeceptorum iuris naturalis genera. Quaedam sunt *principia* seu, vt alii dicunt, *primaria*; quaedam *conclusiones* seu *secundaria*. Illa, si sint iuris naturalis, ita comparata esse debent, vt consequentia, quae ex eiusmodi praeceptorum violatione immediate descendit, sit quaedam cum natura agentis, id est, essentia existente disconuenientia. v. g. *Conserua te ipsum*. Haec, si sint iuris naturalis, eiusmodi esse debent conditionis, vt ex subiecti, de quo eiusmodi in praeceptis fermo est, notione talia syllogistice fluant coniectaria, ex quibus patet, eiusmodi praecepti violationem simul esse violationem praecepti cuiusdam iuris naturalis primarii. v. g. *Neminem laedas*. *Pacta seruanda sunt*.

§. V.

Methodus ad quaestionem illam respondendam docetur.

Controuersiam itaque, *an hoc vel illud sit iuris naturalis?* diiudicaturus primo de obiecto, de quo obuia ponitur quaestio, formare debet notionem receptae loquendi rationi conuenientem; secundo eiusmodi ex notione syllogistice

stice deducere conſectaria; & tandem conſectaria illa cum conſervatione eſſentiae noſtræ atque cum præceptis iuris naturalis primariis conferre. His obſervatis regulis facile patebit, vtrum illud, de quo ſermo eſt, ſit iuris naturalis nec ne; & ſi ſit iuris naturalis, vtrum ſit iuris naturalis primario an ſecundario (§. 4.).

SCH. E. g. Qui demonſtrare cupit, teſtamenta eſſe iuris naturalis, id eſt, teſtamenta ſecundum præcepta iuris naturalis iuſtum dare titulum: is de teſtamento notionem evoluït, hac ex notionẽ conſectaria ſyllogiſtice deducit, & hæc conſectaria cum præceptis, quæ euidenter ſunt iuris naturalis, conſert. Hoc facto intelligit, ſi verum ſit, vt teſtamenta ſecundum præcepta iuris naturalis non dent iuſtum acquisitionis titulum, verum quoque eſſe, vt ius naturæ, aliquem lædere, permittat. Et ex hoc, quia euidenter eſt contra ius naturæ, iuſert, teſtamenta eſſe iuris naturalis.

§. VI.

Non ſine commodo erit, hic notare differentiam, quæ inter præcepta iuris naturalis & politices intercedit. Quum præcepta iuris naturalis ita comparata ſint, vt eorum violatio aut conſervationi eſſentiae noſtræ exiſtentis, aut obſervationi præcepti cuiuſdam, quod euidenter iuris naturalis eſt, repugnet (§. 4. §.); ſequitur, vt eiuſmodi præcepta inter præcepta iuris naturalis referri nequeant, quorum violatio nec conſervationi eſſentiae, nec obſervationi præcepti cuiuſdam, quod euidenter iuris naturalis eſt, repugnat, licet facile occasione præbere poſſit, ad minuendam eſſentiae durationem, & ad violanda præcepta iuris naturalis euidentia. Præcepta, quæ huius ſunt conditionis, vocantur politices. Quia Politica non docet quod bonum atque malum, iuſtum atque iniuſtum ſit, ſed quod obuiis pro circumſtantiis vtilius.

§. VII.

Hæc de eſſentialibus methodi, qua ius naturæ docendum; addamus quaedam de accidentalibus, quæ præcepta iuris naturalis non quidem demonſtrant, ita tamen inſtruunt,

vt faciliori negotio ad hominum controuersias, & ad praecepta iuris arbitrarii euoluenda explicandaque adcommodari queant. *Primum* ad obtinendum finem necesse esse videtur, vt secundum praecepta iuris naturalis, quae explicata atque demonstrata sunt, de controuersis hominum & secularibus & ecclesiasticis, tam de iis, quae ad statum ciuitatis publicum, quam quae ad statum ciuitatis priuatum pertinent, constituamus. *Quoad alterum* non sine commo-
modo erit ea accurate indicare, quae praecepta iuris naturalis indeterminata relinquunt, & modos docere, quibus magis determinari possunt. Ex quae sunt reliqua.

OBSERVATIO IX.

DE

VSU IURISPRUDENTIAE NATURALIS
IN IVRE ARBITRARIO.

§. I.

*Philosophia
est fundamen-
tum iuris
positiui.*

Quemadmodum philosophia omnium artium disciplina-
rumque mater: ita &, vt cum CICERONE a) loquar,
non a Praetoris edicto neque XII. Tabulis, sed penitus ex
intima philosophia iuris disciplina est haurienda, & qui aliter
iuris scientiam tradunt, si non tam iustitiae, quam liti-
gandi vias tradunt. Qua ex causa BIERLINGIUS b) prae-
clare docuit, neglecta philosophia nos in iurisprudentia
habituos esse leuileios & tabulas. Notatu digna hic sunt
verba OTTONIS c) quae sequuntur: „On fait que la plu-
part, pour ne pas dire presque tous ceux qui étudient les
sciences dans les Universitéez negligent entièrement de
cultiver leur Raison par l'étude d'une bonne philosophie;
desorte que, si l'on n'y supplée autant qu'il est possible
en leur donnant des idées juste de ce qu'on leur enseigne,
& en les accoutument ainsi à apprendre au moins par l'usa-
ge la manière de bien raisonner, ils prendront tout pour
argent comptant, ils tiendront pour certain ce qui est le
plus

plus incertain, & il y en aura bien peu, qui reviennent jamais de l'entêtement, où ils font une fois pour certaines décisions appaîcés le fait assez voir & dans les Etudiâns en Droit, & dans ceux, qui s'attachent à d'autres sciences. Il est également doux à Maître, & commode aux disciples, de regarder comme des Oracles tout ce qu'il a décidé.

a) Orat. I. de legibus.

b) in Diff. de Eruditione politica.

c) Bibliotheq. raisonnée Tom. III. p. 391.

§. II.

Licet facile demonstrari possit, & Logicam, & Metaphysicam ceterasque philosophiae partes permultum facere ad intelligendas adplicandasque leges positivas; Logica enim demonstrat viam in veras praeceptorum rationes penetrandi, veritatesque legitime connectendi, & Metaphysica nos edocet, accidentalibus ab essentialibus bene separare, & non satis determinata per ea, quae obveniunt, magis determinare; pro scripti tamen scopo sufficiens erit, id evolueri adiuventum atque praesidium, quod ius naturae ad explicandas adplicandasque leges positivas atque ad excolendam legum positivarum & humanarum & diuinarum, & scriptarum & non-scriptarum disciplinam affert. Hunc in finem primo probare debemus, ius naturae esse eam philosophiae partem, quae proximum est fundamentum iuris positivi.

§. III.

Hanc thesin argumentatione, quae sequitur, corrobore. Iuris arbitrarii seu positivi & humani & diuini tam scripti quam non-scripti scopum esse, colere iustitiam, manifestum est. Quae itaque leges positivae praecipunt, aut essentialiter aut per accidens inter iusta, & quae prohibent, aut essentialiter aut per accidens inter iniusta referuntur. Praecepta, quae id docent, quod rerum per essentias iustum atque iniustum est, inter ea referri debent, quae sunt iuris

iuris naturalis. Si itaque eiusmodi praecepta in iure positivo obueniant, consequens erit, ut non sint iuris positivi, sed praecepta iuris naturalis a iure positivo adoptata. Ex quo merito colligitur, praecepta iuris positivi, quae talis, id docere, quod per accidens iustum vel iniustum est. Quare, quum ex Metaphysica pateat, conditiones praedicatorum, quae rei cuidam per accidens competant, esse, ut per eiusmodi rei essentiam sint possibilis, licet per eandem non determinentur; sequitur, ius naturae eam esse philosophiae partem, quae proximum iuris positivi fundamentum merito vocatur.

§. IV.

*Ex quo su-
nat usus
I. N. in iure
positivo.*

Hac praemissa demonstratione facile erit delineare fructus atque emolumenta, quae disciplinae legum positivarum ex iuris naturalis systemate capere possunt; de quibus per multi eruditissimorum accurate deditaque opera scripserunt. Compendii causa sufficiet nominare IO. DOMAT. a) SCHILTERVM b) LAURENT. ARNOLD. c) IO. EISENHART. d) GLAFEY. e) BERN. KLEPPERBEIN. f) IO. GOTTL. DE HADCKEMANN. g) IO. BALTHAS. WERNHERVM h) CHRIST. WILDSVOGELIVM i). Et qui sunt reliqui. Capita eorum, quae a viris illis laudatis exposita sunt, in breuem colligamus summam.

- a) *les loix civiles dans leur ordre naturelles.*
- b) *de vera, nec simulata iurisprudencia*
- c) *Collatio philosophiae moralis cum iure scripto.*
- d) *Diss. de usu principiorum moralis philosophiae in iure civili interpretando.*
- e) *in der Vorbereitung der vollständigen Geschichte des Rechts der Vernunft.*
- f) *vernünftige Einigkeit des natürlichen und bürgerlichen Rechts.*
- g) *De iure naturae genuino iurium reliquorum parente.*
- h) *Diss. VI. De usu iuris naturae & Gentium in foro civili.*
- i) *Diss. de usu iuris naturalis in actionibus Principum conspicuo.*

§. V.

§. V.

Primus usus hic est, ut iuris naturalis disciplinam sine *usus pri-*
 simulatione intelligens in quocunque iurisprudentiae titulo *mus.*
 ea, quae iuris naturalis, ab iis, quae iuris voluntarii, accurate
 secernere atque internoscere possit (per dem. §. 2).

§. VI.

Caeterum ut haec distinguantur est magni momenti, *Ex quo non-*
 modusque illa distinguendi scitu maxime est necessarius. *nulla sunt*
 Inde enim dependet *primo* accurata legum suis ex fontibus *commode,*
 deductio atque explicatio. Sicut, quod etiam GYND- *quorum pri-*
 LANG a) notavit, ad ineptias abeunt, qui communia ratio- *num*
 cinandi, definiendi atque diuidendi principia, propriis
 principiis suffulta, ex legibus romanis deducunt; ita & insa-
 nia erit, existimare, quod ea, quae omnibus hominibus sunt
 communia, a Romanis debeant. Qua ex causa TITI-
 vs b) in eiusmodi docendi methodo leguleiorum posuit
 characterem.

a) *Obs. sel. Tom. IV. Obs. XVIII.*

b) *in Iurispr. privata Lib. I. Cap. I. §. 31.*

§. VII.

Porro inde dependet responsio ad quaestionem: *An ex*
aliquo secun-
dam eorum-
ratione,
praeceptis
naturalibus
conuenienter
viuant;
sequitur,
principia
iuris,
quae sunt
iuris
voluntarii
humani,
ad decidendas
prin-
cipum
controuersias
non adferenda,
ex principiis
vero
iuris,
si sint
iuris
naturalis,
eiusmodi
controuersias
iudican-
das esse.

SCH.

SCH. Quaeritur v. g. an princeps *legitimam* liberis suis relinquere teneatur? Hanc ad quaestionem vt respondere possimus, necesse erit, distinguere materiale legitimae a formali. *Illud* est portio ad alimenta necessaria, *boc* est portio, quam lex titulo institutionis relinqui iubet. *Illud* iure naturali quibusuis liberis debetur, *boc* est iuris humani voluntarii. His evolutis responsio est in promptu. Princeps nimirum tenetur liberis suis *legitimam* quoad materiale non vero quoad formale relinquere a). Porro si quaeritur: an princeps contra principem *praescriptionis* remedio vti possit? negando erit respondendum, quia obseruata, quam posui, regula manifestum erit, praescriptionem non esse iuris naturalis, sed inuentum ciuile, poenam nimirum a superioribus negligentiae constitutam. Qua de re *PVTEANVS* b) hac ratione loquutus est: „La prescription est une espèce de peine, que la loy inflige aux negligens, ce qui ne peut convenir aux Rois, qui n'ont point les loix entre eux, qui obligent.,” Et quae sunt reliqua.

a) H. Grotius *de I. B. & P. Lib. II. Cap. VII. §. 4. n. 3.*

b) *in Disput. Si la prescription a lieu entre les Princes souverains.*

§. VIII.

Vsus secundus.

Secundus, quem ius naturae in componenda legum arbitrariarum disciplina praestat, vsus hic est, vt intelligantur ea, quae ratione iusti atque iniusti natura indeterminata relinquit, & quomodo praecepta illa naturalia salua iniustitia magis determinari possunt. Hunc ita demonstramus. Qui satis distinctas de rerum essentis habet notiones, non ea solum perspicit, quae per rerum essentias constituuntur, sed & ea, quae eiusmodi rebus saluis manentibus essentis competere possunt, id est, intelligit, quae eiusmodi rebus vi essentiae insunt, quae essentia illa indeterminata relinquit, & quomodo essentialia illa salua veritate magis determinari possunt. Qui ea perspicit, quae sunt iuris naturalis, satis distinctas de rebus moralibus ideoque de iusto atque iniusto habet notiones. Ex quo sequitur, vt non ea solum intelligat, quae per rerum essentias iusta atque iniusta sunt, sed & ea,

ea, quae ratione iusti atque iniusti rerum essentiae indeterminata relinquunt, & quomodo praecepta illa salva veritate, ideoque salva iustitia, magis possunt determinari.

SCH. Exemplum huius esto: Ius naturae docet, *laesum in laedentem habere ius postulandi, ut praestet damnum.* Qui nexum veritatum iuris naturalis respectum habet, facile intelligit, ius naturae hic indeterminatum relinquere: *quomodo eiusmodi ius exercendum? utrum propria vi, an aliorum auctoritate?* Ideoque principium illud, quod iuris naturalis est, duplici ratione salva manente iustitia magis posse determinari; fieri nimirum posse, ut laesus ius postulandi praestationem damni propria vi exercent; fieri quoque posse, ut eiusmodi ius non nisi aliorum auctoritate iuste possit exercere.

§. IX.

Ex quo sequitur *usus tertius*, qui hic est: *Qui ius naturae intelligit, simul perspicit, quomodo circumstantiae comparatae esse debeant, si praecepta naturalia, salva manente iustitia, hac vel illa ratione magis determinanda.* Quum enim, qui ius naturae intelligit, rerum ex notionibus perspiciat, quomodo ea, quae ratione iusti atque iniusti natura indeterminata relinquit, salva iustitia magis possint determinari (§. 8.); sequitur, ut simul perspiciat rationes, quae praecepta illa naturalia salva iustitia magis determinant. Hoc, mea quidem opinione, sufficit ad probandum, quod ius naturae intelligens simul perfectum habeat, quomodo circumstantiae comparatae esse debeant, si praecepta naturalia salva manente iustitia hac vel illa ratione magis determinanda.

SCH. Sic patet, principium illud naturale: *Laeso competit ius a laedente postulandi, ut damnum praestet,* hac ratione determinandum esse: *Laesus ius suum a laedente postulandi praestationem damni*

domini auctoritate aliorum exercere debet, si imperio alterius subiectus est; ius vero illud propria vi exercere potest, si alterius cuiusdam imperio non subiectus.

§. X.

*Ex quo non
nulla sunt
emolumenta,
quorum
primum,*

Hoc vero disciplinae iuris voluntarii emolumento esse, inde patet, quia *primo* facit ad determinandam legis positivae significationem aequitati convenientem. Notum enim est, significationem legis ex ratione, qua constituta est, inferendam esse, ideoque necesse esse, ut significationem legis aequitati convenientem esse probaturus non rationem solum legis, sed &, an eiusmodi ratio aequitati conveniens sit, perspiciat. Qui ius naturae intelligit, non perspicit solum rationes, quae praecepta naturalia magis determinare possunt (§. 8.), sed, & quomodo rationes illae comparatae esse debeant, si praecepta naturalia, salva manente iustitia, hoc vel illo modo, magis determinanda (§. 9.). Patet itaque iuris naturalis intelligentiam permultum facere ad determinandam legis positivae significationem aequitati convenientem.

SCH. Idem est, quod iubet Imperator a): *Placuit in omnibus rebus praecipuam esse iustitiae aequitatisque, quam stricti iuris rationem.* Quanam v. g. est causa, cur non nulli, in solutione quaestionis, quo iure Deus Israeliticis, Aegypto demigraturis praecipere potuerit, vasa ab Aegyptiis in mutuum accepta secum auferre, misere sese distorserint? Causa sane est defectus intelligentiae iuris naturalis. Hoc enim intelligens facile perspicet casus, quibus aliena vel inuitis quoque dominis iuste possunt subripi. Et casibus hisce obuiis cum circumstantiis collatis manifestum erit, hocce mandatum ea ex ratione & iustitiae & aequitati

tati conueniens esse, quia est effectus iuris puniendi, quod sapientissimo benignissimoque Deo competit b).

a) L. 8. C. de iudiciis.

b) Conf. 10. GOTTHELF ROSA in Diff. de utilitate iurisprudentiae naturalis ad Theologiam. Ienae 1720. b4b.

§. XI.

Secundum emolumentum, quod inde fluit, hoc est, ^{Secundum} vt accurate respondere possimus ad quaestionem: *an lex quaedam obuiio in casu salua iustitia atque aequitate adcommodanda?* Quum enim manifestum sit, legem eo in casu salua iustitia atque aequitate non esse adcommodandam, in quo ratio legis iustitiae atque aequitati conueniens non habet locum; sequitur, quicquid facit ad intelligendam legis rationem aequitati & iustitiae conuenientem, id quoque facere, vt accurate iudicare possimus, an lex quaedam obuiio in casu salua aequitate & iustitia adcommodari queat. Hoc sufficet ad corroborandam thesin, quam posuimus (§. 8-10.).

SCH. Sit e. g. quaestio: an dominium rei, quam quis mala fide possidet, praescriptionis ope iuste adquiri possit? ius naturae docebit, respondendum esse negando. Quum enim ratio praescriptionis aequitati atque iustitiae conueniens non sit, nisi vt puniatur negligentia; sequitur, salua iustitia atque aequitate praescriptionem non esse admittendam, vbi dominum negligentem fuisse probari nequit. Si rei alienae possessor in mala versetur fide, non erit praesumendum, dominum fuisse negligentem. Itaque patet, praescriptionem hoc in casu non habere locum.

§. XII.

atque ter-
tium expli-
catur.

Tertium, quod inde fluit, emolumentum ad prudentiam spectat legislatoriam, quae docet methodum ferendi leges arbitrarias, quae sunt regulae iusti. Id quidem, quod principi placet, legis habet vigorem; nihilo tamen minus principi, qui, ut legibus naturalibus conuenienter viuat, obligatus est, prius de legum rationibus, an aequitati iustitiaeque naturali conuenientes sint, disputandum est, quam leges ferantur. Notandae hic sunt regulae, quas ZIEGLER *a)* posuit. 1. Quicquid natura mandauit simpliciter, illud prohiberi a maiestate nequit. 2. Quicquid natura absolute prohibet, iuberi a maiestate nequit. 3. Quicquid iussit natura simpliciter & absolute, id simpliciter iubere & praecipere licet maiestati. 4. Quicquid prohibet natura absolute, prohibere etiam licet maiestati. 5. Quicquid natura iussit sub certa limitatione & restrictione, & sub certo statu, licet maiestati in casu sub ista limitatione & statu non comprehenso prohibere. 6. Quicquid natura nec iussit nec prohibuit, sed indeterminatum reliquit, id a maiestate prohiberi potest pro lubitu aut praecipere. Quae quum ita sint, ex principiis §. 8. 9. positis manifestum est, intelligentiam iuris naturalis Principi, ministrisque principum, quatenus prudentia spectatur legislatoria, maiorem praestare utilitatem, quam quae vulgo adparet.

SCH. Idem quoque per indirectum erit manifestum. Quae nam est ratio, cur lex, quam Cabades rex Persarum de eo, ut omnes faeminae essent communes, fanciuerat, non lex sed potius corruptela a prudentibus sit vocata? *b)* Haec sane est ratio, quia est lex aequitati & iustitiae naturali repugnans.

a) de Iur. Maiestat. L. I. Cap. V. §. 40. ff.

b) Conf. PROCOPIVS de bello Persarum Lib. I. p. 121. & ZIEGLER Dicast. Concl. 37. §. I.

§. XIII.

§. XIII.

Quartum, quem ius naturale disciplinae iuris voluntarii praestat vsum, in eo ponimus, quod inde rectius cognoscatur, vtrum consuetudines inter gentes atque in ciuitatibus sint rectae an pravae, ideoque an id, quod eiusmodi consuetudinibus introductum est, inter iura aut potius inter corruptelas referendum. Quum enim vsum non det ius, sed vsum qualitas; sequitur, fieri non posse, vt moribus aequitati atque iustitiae naturali repugnantibus leges, quae id, quod iustum est, docent, introducantur. In vigorem itaque eius, quod ius-consuetudinarium vocatur, inquisiturus mores, qui eiusmodi iuris sint fons atque origo, cum aequitate atque iustitia naturali conferre, ideoque disciplinam iuris naturalis claram atque perfectam habere debet.

SCH. Sic iuris naturalis ope manifestum est; bona naufragorum inter regalia referre, & filco principis adplicare, quod ex consuetudine Siciliae, Angliae, Italiae, & quae sunt reliquae, iustum censetur, iniquum esse atque iniustum a). Quae ex causa, vt monuit *KVLPISIVS* b), apud moratiores gentes sere vbique abolitum reperitur, & in Germania olim a *FERDINANDO* II. c) & deinde a *CAROLO* V. d) sublatum.

a) conf. *GROTIUS Lib. II. Cap. VII. §. 1.* & *HOCHSTETER in Colleg. Pufendorf. Exerc. VIII. §. 7. lit. f.*

b) *Colleg. Grotiano ad l. c.*

c) *in Authent. Nauigia C. de furtis.*

d) *in Constit. criminali art. 218.*

§. XIV.

Et haec quidem de vtilitate iuris naturalis in disciplina iuris arbitrarii in praesenti sufficiant. Pauca sunt, quae

quae diximus, sufficientia tamen ad corroborandam sententiam, quam HERTIVS a) verbis, quae sequuntur, explicavit: „In veritatibus, quas ius naturae docet, vera sunt „iuris fundamenta, quibus vniuersum iuris cuiuscunque fastigium innititur: sunt fontes, ex quibus veluti per canales atque riuulos ius educitur: sunt semina, quae procedente proficienteque iudicio vsuque in ramos postea quam „latissime se diffundunt atque explicant: sunt scintillae, „quibus mens vbique collustratur: sunt clauae, quibus „adyta iuris referantur: sunt denique cynosurae in vastissimo iuris & humani & diuini Oceano nauigantibus propositae. Et quae sunt reliqua.

a) *De Iurispr. vniuers. Sect. I. §. VIII.*

§. XV.

Monitum.

Minime tamen haec mea est mens, vt accederem ad sententiam eorum, qui diiudicationes causarum ex naturali iurisprudencia vnice fieri praeceptant, ideoque omnes fere libros iuridici argumenti fastidiunt, lectionum illorum rabulis atque caufidicis penitus relinquentes. Hi enim in excessu peccare vel inde patet, quod & ratio & experientia doceat, ius naturae omnia atque singula non ita definire, vt non plurima ad vsus & ciuiles & ecclesiasticos componi atque adcommodari ciuitatum atque gentium intersit. Sed hoc dixisse hic sufficiat. Infra ad thesin illam corroborandam plura explicaturus sumus.



OBSER-

OBSERVATIONES
IVRIS NATURALIS
ET GENTIVM

AD

PARTEM GENERALEM.

REPRODUCTION
OF THE
MILITARY SERVICE
RECORDS
OF THE
UNITED STATES ARMY

OBSERVATIO X.

Ad s. 13.

DE

PERFECTIONE ET IMPERFECTIONE.

§. I.

Alia est negatio, quae *verbalis*, alia, quae *realis* vocari potest. Illa fit verbis, & indicatur *quod non esse*; haec est in ipsa re, & remouet aliquid, quod in eadem fuit positum. Ex quo fluit, *a negatione reali ad negationem verbalem, & a negatione verbalis ad negationem realem non valere consequentiam.*

SCH. E. g. si dico, *Deum non posse peccare*, haec negatio est nuda verbalis; nihil enim, quod in Deo positum est, remouet, & potius confirmat. Sin dico, *hominem non esse omniscium*; hoc est negatio & verbalis & realis. Qui enim hominem dicit, ponit potentiam cognoscendi atque intelligendi; ideoque negatio omniscientiae aliquid de eo, quod in homine positum, remouet. Porro si dico, *hominem esse peccatorem*; hoc non est negatio verbalis, tamen realis. Posito enim homine, ponitur potentia rationi conuenienter viuendi. Sed idea peccatoris remouet *quod* rationi conuenienter viuere. Ergo idea peccatoris in homine aliquid negat.

§. II.

Omnis rei determinatio, quae in eadem aliquid ponit, id est, non verbis solum sed re ipsa *quod* esse inuoluit, vocatur *perfectio*. Et rei determinatio, quae realiter in eadem aliquid negat, appellatur *imperfectio*. Ex quo patet, ex eo, quod determinatio quaedam verbis negatur, non sequi, ut sit imperfectio (§. I.).

SCH. Sic *intellectus* perfectio est animi; non enim solum verbis sed re ipsa *quod* esse inuoluit, id est, nihil de iis, quae posito animo ponuntur, remouet. Contra *ignorantia* est imperfectio, quia

K 2

realiter

realiter aliquid in anima negat. Posito enim animo, ponitur facultas perspiciendi veritates. Ignorantia vero intelligentiam veritatum remouet. Porro I^o non esse peccatorem est negatio, si verba spectentur; re vero ipsa est perfectio.

§. III.

Quibus ex definitionibus hodie receptae deducuntur. Ponamus, *duo consentire*; consequens erit, vnum id non remouere, quod per alterum ponitur. Ponamus porro, *duo dissentire*; consequens erit, vnum id remouere, quod per alterum ponitur. Consensus itaque variorum est perfectio, & dissensus imperfectio (§. 2.).

§. IV.

Et inferuntur omnes vel determinationes aut esse perfectiones aut imperfectio-nes. Quicquid in re est, vel de ea dicitur; aut est eius perfectio aut imperfectio. Quum enim inter I^o esse & non esse non datur tertium: manifestum est, quicquid in re est, vel de ea dicitur; in eadem aut aliquid ponere aut negare, seu aliquid de eo, quod in re illa positum, remouere. Quare, quum primum sit notio perfectionis, & alterum notio imperfectio- nis (§. 2.); sequitur, vt, quicquid in re est, vel de re dicitur, aut sit eius perfectio aut imperfectio.

§. V.

Ponitur ob- iectio & re- spondetur. Sunt, qui tertium fingunt, dissensum a negatione consen- sus distinguentes. Hi dicunt, consensum dare perfectio- nem, dissensum imperfectio- nem; nudam vero consensus negationem, indifferens, quod nec perfectio nec imperfectio est. Sed quid est nuda consensus negatio? Quicquid in re est, vel de ea dicitur; & non consentit, id non ponit; ergo I^o non esse inuoluit, ideoque aut verbis solum aut re ipsa. Si illud; re ipsa ponit, ideoque est perfectio (§. 2.). Si hoc; dissentit, ideoque est imperfectio (§. 2. 3; 4.). Verum itaque manebit, quod §. 4. demonstraui- mus.

§. VI.

Perfectio hoc ratione Quicquid certe in relatione est perfectio, id alia in rela- tione

tionem ad imperfectiones reuocari potest. Hoc ex definitione perfectionis vel imperfectionis, & ex canone philosophiae primae: quicquid certa in relatione contradictionem inuoluit, id alia in relatione inter possibilia referri potest, fluit. Quum enim perfectio ponat, & imperfectio aliquid de eo, quod positum est, remoueat (§. 2.); sequitur, omnem perfectionem esse possibilem, imperfectionem vero certam quandam facere contradictionem. Quicquid itaque certa in relatione est perfectio, id alia in relatione ad imperfectiones reuocari potest.

SCH. Sic ratione machinae perfectio esse potest, quod ratione spiritus est imperfectio.

§. VII.

Colligimus inde *primo*, & perfectiones & imperfectiones in absolute & relatiue tales diuidendas esse. *Deinde*, fieri posse, vt ratione rei in concreto spectatae sit imperfectio, quod ratione status eius rei accidentalis in abstracto spectati sit perfectio.

SCH. Status entis accidentalis eiusmodi constituitur determinationibus, quae ad eius entis essentiam & proprietates referri non possunt. Hic status spectatur in abstracto, si eiusmodi determinationum collectio consideratur sine relatione ad determinationes entis, cui competunt. His praemissis facile erit exemplis, quae dicta sunt, illustrare. Ponamus e. g. Caium esse furem; & collectio determinationum, quae Caio, qua furi, competunt, erit eius status accidentalis. Consideremus huncce statum in abstracto, id est, sine relatione ad determinationes, quae Caio inest, quatenus est homo; & manifestum erit, Caium esse furem perfectum, si in collectione determinationum, quas, qua fur, habet, nil obseruetur, quod aliquid de iis, quae per idem furis ponuntur, remouet. Consideremus huncce statum in relatione ad determinationes, quae in Caio sunt, quatenus est homo; & facile erit intelligere, eiusmodi determinationes aliquid de iis, quae in Caio, quatenus est homo, ponuntur, remouere. Licet itaque Caio sit fur perfectus; nihilo tamen

minus est homo non imperfectus solum, sed & imperfectior homine, qui rationi conuenienter uiuit.

§. VIII.

*Perfectio
quando non
nisi idealis.*

His praemissis necesse erit demonstrare, *perfectio- nem status in abstracto considerati, quae ratione rei, cuius est status, in concreto spectatae est imperfectio, non esse perfectio- nem nisi idealem.* Quod hocce fiat argumento: Si perfectio status in abstracto considerati est ratione rei, cuius est status, in concreto spectatae imperfectio; sequitur, ut non sit perfectio rei ita consideratae, ut in hoc uniuerso existit, sed mente & cogitatione tantum in partes distributae, vno, sepositis ceteris, considerato. Quicquid de re quadam dicendum, quatenus non ita consideratur, ut in hoc uniuerso existit, sed quatenus mente & cogitatione in partes distribuitur, vnumque sepositis ceteris consideratur id non esse eiusdem rei affectionem, nisi idealem, ex philosophia rationali atque metaphysica discimus. Itaque perfectio status in abstracto considerati, quae ratione rei, cuius est status, in concreto spectatae est imperfectio, non est perfectio nisi idealis.

§. IX.

*Realis quo-
modo pro-
banda.*

Ex quo sequitur, ut, actionem quamdam ad veram atque realem determinatae cuiusdam rei perfectionem vel imperfectionem aliquid facere, demonstraturus debeat *primo* euoluere eiusmodi rei essentiam, & quae hancce per essentiam ponuntur; *deinde* inquirere in ea, quae per actionem illam constituuntur; *tandem* iudicare, vtrum eiusmodi actione aliquid de iis, quae per rei essentiam posita, remoueatur, nec ne. Si *illud*, actionem ad realem rei imperfectionem; & si *hoc*, ad realem rei perfectionem aliquid facere, manifestum erit (§. 8. 2.).

SCH. Hoc, ut rectius intelligatur, exemplis docebo. Essentiam hominis euoluens facile intelliget, posita hominis essentia ponendam esse facultatem perspicendi veritatem nexus. Quicquid

quid itaque aliquid de iis, quae per eiusmodi facultatem ponuntur, remouet, id ratione hominis est imperfectio. In negligentiae naturam inquisiturus facile perspiciet, negligentiam eiusmodi facultati repugnare, ideoque aliquid de iis, quae per illam ponuntur, remouere. Sequitur inde, negligentiam ratione hominis esse imperfectionem. Ponamus porro quaestionem: an actio hominis, quae veritates euoluit, sit perfectio? & respondere debemus affirmando, quia eiusmodi euolutione nihil de iis, quae per essentiam hominis ponuntur, remouetur. Et quae sunt reliqua.

§. X.

His praemissis, manifestum est, & perfectiones & imperfectiones in *essentiales* & *accidentales* diuidendas esse. *Perfectio rei* vocamus *essentialem*, qua remota res definit esse talis, seu qua remota simul primus eiusmodi rei conceptus remouetur. Et *perfectio rei* vocamus *accidentalem*, qua remota res non definit esse talis, seu quae saluo primo rei conceptu adesse atque abesse potest.

SCH. Sic *essentialis* hominis perfectio est vis cogitandi. Hac enim negata simul negatur rem obuiam esse hominem; quia ad primum hominis conceptum pertinet anima ideoque cogitandi vis. Quum porro defectus eruditionis non inuoluat primi hominis conceptus negationem; sequitur, eruditionem inter *accidentales* hominis perfectiones referendam esse.

§. XI.

Imperfectio rei vocatur *essentialis*, quae, si res maneat talis, remoueri, seu quae saluo primo rei conceptu abesse nequit. *Imperfectio* vero *accidentalis* est, quae saluo primo rei conceptu adesse atque abesse potest.

SCH. L. E. gr. limitatio vis cogitandi est *essentialis* hominis *imperfectio*. Limitationem enim eiusmodi vis esse imperfectionem hac ratione probetur. Posita vi cogitandi potitur facultas ea, quae vera sunt, perspiciendi. Si vero eiusmodi vis sit limitata,

limitata; consequens erit, fieri non posse, ut omnia, quae vera sunt, perspiciat. Limitatio igitur aliquid de iis remouet, quae per vim cogitandi ponuntur, ideoque est imperfectio. Hancce hominis imperfectionem esse essentialem, hac ratione euinco. Primus, quem de homine habemus, conceptus docet, hominem esse animal, ideoque non nisi limitata quadam ratione agere posse. Vis itaque cogitandi, quae non limitata est, non est vis hominis. Ex quo patet, negationem eiusmodi limitationis simul inuoluerre negationem primi de homine conceptus, itaque limitationem illam esse essentialem hominis imperfectionem.

SCH. II. Sed fortasse dixerit quispiam, essentialem imperfectionem esse contradictionem in adiecto. Quam enim essentia sit id, per quod res est talis; consequens esse, essentialitatem rei aliquid ponere, ideoque non remouere, ergo in essentia, qua essentia, nullam esse imperfectionem (§. 2.). Ex hoc legitime sequi, essentialem imperfectionem esse contradictionem in adiecto. *Respondeo.* Nego hancce consequentiam: *Essentia est id, per quod res est talis, ergo essentia aliquid ponit.* Fieri enim potest, ut negatio sit causa, cur res obuia sit talis. Essentia rei in specie considerata est essentia generis magis determinata. Iam fieri potest, ut character, per quem magis determinatur, aliquid de iis remoueat, quae per essentiam generis poni possunt. Itaque manifestum est, consequentiam illam non esse legitime formatam. Sumas v. gr. ideam spiritus, hancque ita magis determines, ut inde oriatur primus animae humanae conceptus; & facile intelliges, differentiam specificam aliquid de iis remouere, quae per ideam generis poni possunt. Per ea enim, quae in idea spiritus latent, fieri potest, ut omnes veritates, omnique, quae poni potest, perspicuitatis gradu cognoscantur. Differentia vero animae humanae specifica & de illo & de hoc aliquid remouet. Et ita veritas imperfectionis essentialis satis iusta est.

SCH. III. Si vis exemplum de imperfectione accidentali, sumas dispositionem, quae hominibus inest, ad mala. Haec enim adeo, saluo tamen primo hominis conceptu abesse potest.

§. XII.

§. XII.

Quemadmodum essentiae rerum, metaphysice; nimirum sumtae, seu primi rerum conceptus immutabiles; accidentales vero rerum determinaciones mutabiles sunt: ita & manifestum erit: perfectiones atque imperfectiones rerum essentiales esse immutabiles, accidentales vero rerum perfectiones atque imperfectiones esse mutabiles (§. 10. 11).

Essentia illa sunt immutabilia, accidentalia vero mutabilia.

§. XIII.

Constans rei praedicatum est, quod existentiam suam non potest amittere, si res illa maneat existens. Quare, quum, quicquid ratione rei cuiusdam in possibilitate consideratae est immutabile, ratione eiusdem rei existentis constans esse debeat; quicquid vero ratione rei cuiusdam in possibilitate consideratae est mutabile, ratione quoque eiusdem rei existentis mutari possit: sequitur, ut perfectiones atque imperfectiones rei cuiusdam existentis essentiales sint constantes, eiusdem vero rei perfectiones atque imperfectiones accidentales, salva rei existentia, mutari queant (§. 12.).

Ideoque illa constans esse debent, non vero haec.

§. XIV.

His praemissis facile erit intelligere, & perfectionum & imperfectionum accidentalium duo esse genera. Perfectio accidentalis est vel *priuatua* vel *positiua*. Perfectio *priuatua* vocatur, quae ideo est rei perfectio, quia eius existentiam conseruat; *perfectio* vero *positiua* est, quae plus in re ponit, quam quod ad conseruandam eius existentiam ponendum, seu, ut alii dicunt, quae utilitatis quid adfert a).

Perfectiones in priuatiuas & positiuas diuiduntur.

SCH. Sic *vita*, *sanitas* & quae eius generis sunt perfectiones hominis priuatiuae; *sapientia*, *eruditio* perfectiones hominis posituuae.

a) vid. HEINECCII *Phil. mor.* §. 146. & FLEISCHERI *Institutiones I. N. & G. Lib. I. Cap. III. §. 30.*

§. XV.

*Ex quo si-
quiter dicitur
suo quaedam
imperfectio-
ni.* Imperfectio est oppositum perfectionis; alia itaque est
imperfectio in oppositione ad perfectionem priuatiuam, alia in
oppositione ad perfectionem positiuam. Illa ideo est imperfec-
tio, quia durationem rei destruit; haec vero, quia dura-
tionem quidem non destruit, defectum tamen perfectionis
positivae inuoluit; id est, acquisitionem perfectionis posi-
tivae impedit.

SCH. Sic morbus, vulneratio sunt imperfectiones in opposi-
tione ad perfectiones priuatiuas; negligentia, ignorantia sunt im-
perfectiones in oppositione ad perfectiones positivas.

§. XVI.

*Inde sunt
nonnulli
perfectio-
num aliquo
imperfectio-
num gradus.* Ex quibus facile inferri poterit, perfectionem positivam
maiolem esse priuatiuam; & imperfectionem in oppositione ad
perfectionem priuatiuam maiorem esse imperfectionem in opposi-
tione ad perfectionem positiuam sumta. Quum enim determina-
tio rei ea ex ratione perfecta sit, quia in eadem aliquid ponit
(§. 2.); sequitur, determinationem rei eo perfectiorem esse,
quo magis ad aliquid in re ponendum facit. Ex quo mani-
festum est, perfectionem positiuam maiorem esse priuatiuam
(§. 14.). Et quum determinatio rei ea ex ratione sit im-
perfectio, quia aliquid de iis remouet, quae per essentiam
poni possunt (§. 2.); sequitur, determinationem rei eo im-
perfectiorem esse, quo magis ad remouenda ea, quae per
essentiam poni possunt, facit. Itaque imperfectionem in
oppositione ad perfectionem priuatiuam maiorem esse im-
perfectiorem in oppositione ad perfectionem positiuam sum-
ta (§. 15.).

OBSERVATIO XL
DE
CONSVETVDINE

Ad §. 37.

§. I.

Quemadmodum ratio & obiectiue pro nexu veritatum, *Consuetudo* & subiectiue pro facultate nexum veritatum perspi- *obiectiue* ciendi sumitur; ita & vocabulum consuetudinis & obie- *speciosa* ctum circa quod habitus quidam versatur, & certum ha- *quid?* bitum significabit, id est, sumitur obiectiue seu, vt alii loquuntur, materialiter, & subiectiue seu formaliter. *Con-* *suetudo materialiter* seu *obiectiue spectata* significat actum con- tinuo reiteratum. Dicitur vero actum continuo reitera- tum esse, si non reiteratum solum, sed & si posita id agendi occasione nihil factum, quod illi repugnat.

§. II.

Ex quo colligimus *primo*, non esse consuetudinis, *Non nulla* quod semel factum. Qua ex ratione dicitur, a) consuetu- *inde dedu-* dinem per duos ad minimum actus probandam esse. *Secun-* *cuntur axio-* *mata.* do, consuetudinem, qua talem, esse facti; ideoque ex eo, quod aliquid sit consuetudinis, inferri solum posse, idem aliquoties factum esse. Ex quo sequitur *tertio*, vt consue- tudo non praesumatur, sed probari debeat. Ex praecep- tis enim logicae manifestum est, facta non esse praesumen- da sed probanda.

SCH. De vsu consuetudinis in interpretandis legibus consti- tuendoque iure, quod consuetudinarium vocatur, infra dicturi sumus.

a) L. 12. ff. de test.

L 2

§. III.

§. III.

*Defectus
quid?*

Nuda reiterationis eiusdem actus omissio est, si data id agendi occasione non reiteratur quidem, non tamen aliquid, quod illi repugnat, suscipitur. Eiusmodi non usus vocatur *defectus*.

§. IV.

*Quae con-
suetudinem
non tollit.*

Ex quo patet, defuetudinem reiterationem actus non interrompere (§. 1.), ideoque ad contrariam consuetudinem probandam non sufficere.

§. V.

*Actus in
genere & in
specie consi-
derari quid?*

Actus, qui reiteratur, & in genere & in specie spectari potest. *In specie* spectatur, si omnimodae determinationis, id est, casus & modi, quo susceptus est, habetur ratio. *In genere* vero, si eiusmodi determinationum non habetur ratio, sed id solum consideratur, quod per eiusmodi actionis, quatenus est talis, notionem constituitur a).

SCH. Sic. e. gr. ius Saxonicum *in specie* observatum esse probat, qui eiusmodi iuris observationem in casu quodam determinato ostendit; *in genere* vero, qui eiusmodi iuris observationem ad determinatum illum casum non restrictam docet.

a) Conf. II. de LEYSER. Vol. I. *Medis. Sp. IX. obs. VIII.*

§. VI.

*Inde patet,
quid sit con-
suetudinem
in specie &
in genere
probare.*

Ex quo facile intelligitur, quid sit *consuetudinem specificam*, & *consuetudinem in genere* probare. Quum enim consuetudinem probaturus continuam eiusdem actus reiterationem ostendere debeat (§. 1.); sequitur, *consuetudinem specificam probare* idem esse, ac docere, illum ipsum casum, de quo nunc quaestio est, eundem prorsus in modum alio tempore existisse: *consuetudinem vero in genere probare* idem esse, ac eiusdem actus in genere spectati, id est, ad casum illum determinatum atque modum non restricti continuam reiterationem demonstrare (§. 5.).

§. VII.

§. VII.

In dubio præsumentum est, probationem consuetudinis in genere sufficere ad aliquid consuetudinis esse probandum. Aliquid enim consuetudinis esse probaturus ostendere debet, actum, de quo nunc quaestio est, continuo reiteratum esse (§. 1.), ideoque aut ea solum spectare, quae ad eiusdem actus essentiam, aut simul ea, quae ad eiusdem actus accidentalia pertinent. Sed manifestum est, accidentalia rei non esse præsumentum sed probanda. Itaque patet, in dubio præsumentum esse, sufficere, vt, aliquid consuetudinis esse probaturus, ostenderet, actum, de quo nunc quaestio est, quoad essentiam spectatum continuo esse reiteratum. Quare, quum eiusdem actus restrictio ad illum ipsum casum atque modum inter eius accidentalia referri debeat; consequens est, in dubio præsumentum esse, probationem consuetudinis in genere sufficere ad aliquid consuetudinis esse probandum (§. 6.).

Huius probatio ad consuetudinem probandam sufficit.

SCH. Ponamus v. gr. aliquem probasse a Magdeburgensibus in hoc vel illo successione casu, qui in controuersiam vocati sunt, ius Saxonicum continuo obseruatum, & ne in vlllo quidem casu successione controuerso contra ius illud iudicatum esse; consequens erit, satis esse probatum; vt consuetudinis sit Magdeburgensium, in casibus successione controuersis ius Saxonicum obseruare. Conf. Ill. de LEYSER l. c.

§. VIII.

In contrariam quidem transeunt sententiam PEREZI vs a) alique b), consuetudinem in specie specialissima demonstrandam atque probandam esse affirmantes, hac commoti ratione, quod interpretatio extensiuam in dubio non habeat locum. Sed nego consequentiam. Fundamentum enim argumentationis, qua ex casibus quibusdam specialissimis colligitur, actum, qui eiusmodi casibus inest, essentialiter consideratum seu in genere esse consuetudinis, non est interpretatio extensiuam, sed principium illud satis clarum

Obiectio b) usque respensio.

rum atque perspicuum, ut accidentalia in dubio non sint praesumenda.

SC H. Non sine commodo erit, argumentationem illam exemplo quodam illustrare. Ponamus, Caium commisisse furtum. Essentiale, quod hoc in casu latet, erit, Caium esse suspectum. Hoc posito legitima erit consequentia, ut in quocumque casu, Caium esse suspectum, sit praesumendum. Huius argumentationis fundamentum non est interpretatio extensiva, sed defectus praesumptionis, animum laedendi, qui Caio inest, ad illum ipsum casum atque modum esse restrictum.

a) C. de indiction. n. 20.

b) vid. COTHMAN. Vol. II. Resp. 84. n. 25.

§. IX.

*Consuetudo
obiective
sumta est
vel rationalis
vel irrationalis.*

His praemissis addamus quaedam de diuersis consuetudinis obiective spectatae speciebus. *Primo* consuetudo illa diuiditur in *rationalem* & *irrationalem*. Actus enim continuo reiteratus aut principiis sanae rationis seu iustitiae atque aequitati naturali conueniens est, aut principiis sanae rationis seu iustitiae atque aequitati naturali repugnat. Si illud, *consuetudo* vocatur *rationalis* seu, ut alii dicunt, *rationalis*; & si hoc, *consuetudo* *irrationalis* seu *irrationabilis*.

SC H. Sic irrationalis erat consuetudo a *Macaria Archiepiscopo Kiofensi* in Russia seu Ruthenia introducta, qua ad D. Petrum legem siue *passam-portam* euulgauit. Exemplum huius notatu dignum adposuit B. GEORG. ADAM STRVV. a) quod hoc est:

Das Neussische Passport ins Himmel-Reich.
Diesen nachfolgenden Brief pflegen die Neussischen Pfaffen einem jeden Neussen, der reich ist, und viel Guts drumb giebt, in das Grab für ein Passport mitzugeben, auf daß er alsbald, so er für die Pforten des Himmels kommt, von St. Peter, als dem Pörtner des Himmels, eingelassen werde.

Macaria von Gottes Gnaden, Erz-Bischoff zu Kiofa und Ze-
lig und im ganzen Neussischen Lande, unsern Herrn und Freund
St. Pe.

St. Petern, einem Pörtner Gottes des Allmächtigen. Wir gebieten dir, und zeigen dir an, daß in dieser Zeit verschieden ist ein Diener Gottes, ein Fürst Sedor Solodor Mitzski, daß du Ihn rechtschaffen ohn alle Verhinderung und Verzug gerecht einlässest in das Reich Gottes. Wir haben Ihn endklediget von allen seinen Sünden, und Ihm geben die Benedenung, und daß Du in dem endlichen nichts übertriffest; auf daß Ihme nichts anders geschehe, haben wir Ihme geben diesen unsern Brief der Absolvirung. Geben in unserm höchsten Kloster Kiofa im Jahr 1541. den 10. Junii.

a) in Diff. de consuetudinibus rationalibus & irrationalibus Lenae. 1667. lib. Sect. II. Art. II. pos. IV.

§. X.

In dubio praesumitur consuetudinem probatam esse rationalem. Quum enim in dubio id praesumendum sit, quod *ratio in du-* naturae magis conueniens est: & consuetudo rationalis *natu-* naturae conueniens sit, irrationalis vero naturae repugnet *miunt.* (§. 9.); sequitur, in dubio praesumendum esse, consuetudinem probatam esse rationalem.

§. XI.

Ex quo colligimus, partium eius, qui consuetudinem *Ergo haec* fatis probatam esse irrationalem affirmat, esse, vt probet, *probat de-* aetum continuo reiteratum principiis sanae rationis, ideo *bet.* que iustitiae atque aequitati naturali repugnare. (§. 9. 10.)

§. XII.

Consuetudo irrationalis non introducit ius. Quum enim *An consue-* consuetudo irrationalis principiis sanae rationis, ideoque iu- *tudo irra-* stititiae atque aequitati naturali repugnet (§. 9.); manifestum *tionalis in-* est, inter iusta atque bona id referri non posse, quod con- *roducat ius?* suetudinis est irrationalis (§. 2. obs. 10.). Et ex hoc le- gitime sequitur, consuetudinem irrationalem non introducere ius (§. 2. ff. obs. 2.).

SCH.

SCH. Hac ex causa consuetudo irrationalis potius corruptela, quam consuetudo vocatur a), & CICERO in Brut. monuit, adhibendam esse rationem, nec utendum prauissima consuetudinis regula.

a) Nou. CXXXIV, Cap. I. fin. Conf. s. pen. Inst. de I. N. & G.

§. XIII.

Consuetudo
obicitine
probata
porro est
vel uniuersalis
vel
particularis

Secundo consuetudo diuiditur in *uniuersalem* & *particularem*. Uniuersalis est vel *absolute* vel *secundum quid talis*. Consuetudo *absolute uniuersalis* vocatur, si actus, de quo quaestio est, ab omnibus gentibus continuo reiteratus. Consuetudo est *secundum quid uniuersalis*, si actus, de quo quaestio ponitur, in toto gentis cuiusdam territorio reiteratus. Consuetudo tandem vocatur *particularis* seu *localis*, si actus ille in certa solum prouincia vel certis quibusdam collegiis continuo sit reiteratus.

SCH. Sic, ut STRVIVS a) monuit, consuetudinis uniuersalis in toto nimirum Christianorum orbe est, ut in festo Natiuitatis Christi parentes liberis suis & coniuges sibi ipsis inuicem munera, ex pia congratulatione de Christo homine nato, offerant. Consuetudinis particularis exempla quotidiana docet experientia.

a) l. c. Sect. II. Art. I. pos. II.

§. XIV.

Ille non
praesumi-
tur hac pro-
bata.

Non praesumendum est, consuetudinem particulariter probatam esse uniuersalem. Ponamus, praesumendum esse, consuetudinem particulariter probatam esse uniuersalem: consequens erit, praesumendum esse, idem ab omnibus factum esse, quod quidam fecerunt (§. 13.). Ponamus, hoc praesumendum esse, consequens erit, facta esse praesumenda. Quare, quum hoc principiis logices repugnet, sequitur, ut non sit praesumendum, consuetudinem particulariter probatam esse uniuersalem.

SCH.

SCH. Haecce regulam ab iis violatam videtur, quorum animus fuit, cum GROTIUS ius gentium vniuersale ex moribus gentium eruere. Quicquid enim inter has vel illas gentes est consuetudinis, id non statim consuetudinis est inter omnes gentes. Sed de hoc infra in iure gentium.

§. XV.

Haecenus de consuetudine materialiter seu obiectiue *Consuetudo* spectata; sequitur *consuetudo formaliter* seu *subiectiue consi-* *subiectiue*
derata (§. 1.). Haec est habitus agendi continua eiusdem *spectata*
actus reiteratione acquisitus seu, vt cum *Per. III. de WOLF* *quid?*
loquar, a) est habitus agendi ex determinatione praeterita.

SCH. Significatio datae definitionis haec est. Qui aliquid agit, vim suam ad id agendum determinat. Haec est vis nostrae natura, vt vim nostram faciliori negotio ad ea determinare possimus, quae semel iterumque a nobis peracta sunt. Itaque ex continua eiusdem actus reiteratione in nobis existens fit facilitas id agendi, ideoque habitus. Fieri ergo potest, vt ratio, cur hoc vel illud agamus, sit in eo, quia vim nostram ad id agendum iam ante semel iterumque determinauimus. Et hoc facto dicitur, nos ex determinatione praeterita egisse.

a) §. 923. *Psych. empir.*

§. XVI.

Concursum circumstantiarum, qui vim ad agendum exci- *Occasio*
tare potest, vocatur *occasio*. *quid?*

§. XVII.

Adquisita consuetudine formaliter spectata fieri potest, vt *Quid haec*
posita occasione aliquid agamus, licet id, quod agimus, non cogi- *faciat con-*
temus vt nobis bonum. Qui enim eiusmodi consuetudi- *suetudine*
nem ad aliquid agendum sibi adquisiuit, eius vis intrinsece *adquisita.*
magis determinata est ad id, quam ad contrarium agendum
(§. 15.). Si itaque idem agat, necesse solum erit, vt vis ad id
agendum excitetur. Quare, quum vis nostra nuda agendi
occasione ad agendum excitari possit (§. 16.): sequitur,

M

con-

consuetudine acquisita fieri posse, vt posita occasione aliquid agamus; licet id, quod agimus, non cogitemus vt nobis bonum.

§. XVIII.

Inde explicatur, quid ex consuetudine agere & ex consuetudine velle.

Ex quo manifestum est, aliud esse, *ex consuetudine aliquid agere*, aliud, *ex consuetudine aliquid velle*. Quicquid volumus, id cogitamus vt nobis bonum. Qui itaque ex consuetudine aliquid vult: ille id, quod vult, vt sibi bonum iudicat, & rationem idem iudicandi ex determinatione vis praeterita sumit. Qui aliquid ex consuetudine agit: ille agit conatu vehementiori continua eiusdem actus reiteratione sibi acquisito, & occasione quadam ad agendum excitato; ideoque agere potest, licet id, quod agit, non cogitet vt sibi bonum (§. 17.). Colligimus inde, ex consuetudine agere, esse genus; & ex consuetudine aliquid velle, esse speciem.

§. XIX.

Ex quo vis consuetudinis in vita morali colligitur.

Ex quo porro intelligimus, *fieri posse, vt consuetudo subiectiue considerata sit causa corrupti intellectus, peruersarumque propensionum atque adfectuum*. Quum enim, qui ex consuetudine agit, ad id, quod agit, non satis attendat, super eodemque non satis reflectat (§. 20. I. N.); consuetudo facile fieri poterit conatus vehementior minus accurate cogitandi, atque ea agendi, quae nobis mala sunt. Experientia docet, vt, quo magis vni rei dedita intellectus atque voluntatis haec illaue facultas atque actio, vnde incrementum capiat atque dexteritatem; eo magis negligatur alia facultas atque actio, eoque fiat hoc ipso imbecillior. Itaque manifestum est, fieri posse, vt consuetudo subiectiue considerata sit causa corrupti intellectus, peruersarumque propensionum atque adfectuum.

SCH. Veritati ergo conueniens est; quod SENECA a) monuit: *Plurimum potest consuetudo; quae, si grauis est, alit vitium.*

a) *de ira. Lib. II. Cap. XX.*

§. XX.

§. XX.

Qui ex consuetudine agit, conatum agendi vehementiorem iam habet, dum occasio offertur (§. 18.). *Consuetudines cur sint stimuli* Consuetudo itaque hominem ducit, ad id agendum, quod eius modi consuetudini conueniens est. Conatus, qui mortales ad aliquid agendum ducunt, vocantur *stimuli*. Ergo & consuetudines vocari possunt stimuli.

§. XXI.

Stimuli illi a naturalibus, & ratione originis, & ratione effectus, distingui possunt. *Stimuli enim naturales, qui etiam conatus effectuales vocantur, ipsa nostra essentia constituuntur, & semper nos ducunt ad id agendum, quod essentiae nostrae existenti conuenit seu quod nobis bonum est (§. 1. obs. 3. conf. §. 26. I. N.). Consuetudines vero non a nostra essentia sed ab exercitio dependent, qua ex causa a non-nullis stimuli acquisiti vocantur; & nos non semper ad id agendum ducunt, quod nobis bonum est, sed saepissime sunt causae corrupti intellectus, peruerfarumque propensionum atque adfectuum (§. 19.).*

§. XXII.

Consuetudines subiectiue spectatae sunt stimuli naturalibus illi bisce vehementiores. Quum enim stimuli naturales ipsa essentia nostra existente constituentur; consuetudines vero sint stimuli exercitio acquisiti (§. 21.): & quum conatus exercitio acquisiti vehementiores sint naturalibus (Sch. §. 15.); sequitur, consuetudines formaliter spectatas esse stimulos naturalibus vehementiores.

§. XXIII.

Si itaque consuetudines cum stimulis naturalibus consentiant; consuetudo efficiet, vt faciliori negotio id agamus, ad quod natura nos ducit. Si vero consuetudines stimulis naturalibus repugnent; consequens erit, vt animi nostri inclinatiores sint ad mala quam ad bona agenda.

§. XXIV.

*Et cur vocetur altera natura de-
auctor.*

Porro inde perspici adparet, cur a sapientibus dictum sit? *consuetudinem esse alteram naturam.* Quum enim natura primario significet essentiam rei existentem (§. 7. obs. 1.); nostra vero essentia existens constituat conatus, qui nos ad aliquid agendum ducunt: manifestum est, fieri posse, ut vox naturae sumatur pro conatibus intrinsecis seu stimulis, qui nos ad aliquid agendum ducunt. Conatus illi aut sunt essentialia, aut acquisiti seu consuetudines (§. 21.). Si itaque illi sint primario natura seu natura primaria (§. 8. obs. 1.); consequens erit, hos esse alteram naturam a).

a) Plura vid. in *Per-III. de WOLF Philos. practicae uniuersalis P. II. §. 158. ff.*

OBSERVATIO XII.

Ad §. 42. - 52.

DE

COACTIONE ET ACTIONIBVS
AD LIBERTATEM RELATIS.

§. I.

*Actio quando neces-
saria?*

Quemadmodum omne id subiecto necessario competere dicimus, quod huic ea ratione competit, ut eius oppositum inesse nequeat: ita & *necesse erit, ut aliquid agamus*, si, ut eius oppositum agamus, nobis sit impossibile.

§. II.

*Quod magis
determinatur.*

Quicquid per nos fieri non potest seu nobis impossibile est: id tale est aut absolute; aut solummodo respectiue, posito nimirum statu nostro. De priori hic non esse sermonem, per se patet. *Si posterius*, idem nobis posito statu nostro impossibile est, aut simpliciter; aut secundum quid, sub conditione nimirum euitandi mali, sub que conditione acquirendi boni.

§. III.

§. III.

Si necesse sit, vt aliquid agamus, quia eius oppositum
 posito statu nostro nobis simpliciter impossibile; actio illa
 erit *necessaria ob coactionem physicam*. Ex quo patet, *aliquem*
ad agendum physice cogere, idem esse ac illum ea ratione ad
 agendum determinare, vt oppositum agere huic simpliciter
 impossibile sit seu, vt alii dicunt, *coactionem physicam* nimi-
 rum esse violentam torsionem, violentum compulsum. Et
 quae sunt reliqua.

*Talis nimi-
rum est pri-
mo ob coa-
ctionem phy-
sicam.*

§. IV.

Quicquid nos hac ratione ad agendum determinat, aut
 est interna nostra constitutio, aut causa quaedam efficiens
 extra nos posita. Si illud *coactio physica* vocatur *interna*; &
 si hoc, *externa*.

*Quae vel in-
terna vel ex-
terna.*

SCH. Sic per physicam atque internam coactionem tussimus,
 sternuimus. Et qui sunt reliqui motus necessarii. Contra per
 coactionem physicam atque externam agunt, qui catenati pro-
 ducuntur.

§. V.

Si necesse sit, vt aliquid agamus, quia eius oppositum
 posito statu nostro nobis sub conditione euitandi mali im-
 possibile est; actio illa erit *necessaria ob coactionem moralem*.
 Ex quo manifestum est, *aliquem ad agendum moraliter co-
 gere*, idem esse ac efficere, vt huic eiusmodi actionis omis-
 sio sub conditione euitandi mali fiat impossibilis.

*Secundo ob
coactionem
moralis.*

SCH. Sic poena gladii cum occisione hominis connexa ad non
 occidendum hominem moraliter cogimur.

§. VI.

Sequitur inde, varios coactionis moralis ponendos esse
 gradus, qui & a certitudine mali percipiendi, & a quanti-
 tate eiusmodi mali dependent. Quoad *primum* hac ratione
 argumentor: Quum per coactionem moralem agamus, si

*Cuius varii
poti possunt
gradus.*

oppositum eiusmodi actionis nobis sub conditione mali evitandi sit impossibile (§. 5.); manifestum est, *coactionem moralem eo maiorem esse, quo minus operibus nostris effici possit, ut malum illud sub conditione actionis, de qua sermo est, omittendae evitaretur.* Quoad alterum, eadem ex notione hocce immediate fuit principium: *Quo maius est malum sub conditione determinatae cuiusdam actionis, omittendae percipiendum, eo maior quoque est coactio moralis.*

SCH. Sic ratione primi coactio moralis maior erit, si quis in equuleum impositus ad occulta prodeunda, quam si sub poena futuri cuiusdam mali percipiendi ad idem cogatur. Ratione secundi maior erit coactio moralis, si quis sub poena gladii, quam si sub poena relegationis ad aliquid faciendum inducatur.

§. VII.

Tertio ob invitationem.

Tandem, si necesse sit, ut aliquid agamus, quia eius oppositumposito statu nostro nobis sub conditione boni acquirendi impossibile est; actio illa erit *necessaria ob invitationem.* Ex quo sequitur, *aliquem ad aliquid agendum invitare, idem est ac efficere, ut huic eiusmodi actionis omisio sub conditione boni acquirendi fiat impossibilis.*

SCH. Sic praemiis cum evolutione veritatum connexis invitamur ad industriam nostram in inquirendis veritatibus expromendam.

§. VIII.

Huius quoque varii poni possunt gradus.

Colligimus inde, varios quoque invitationis ponendos esse gradus, qui & certitudine boni acquirendi, & quantitate eiusmodi boni constituuntur. Quum enim ob invitationem agamus, si oppositum eiusmodi actionis nobis sub conditione boni acquirendi sit impossibile (§. 7.); manifestum est primo, *invitationem eo maiorem esse, quo maior est eiusmodi boni acquirendi certitudo: & deinde, invitationem eo maiorem esse, quo maius est bonum sub conditione determinatae cuiusdam actionis perpetrandae acquirendum.*

§. IX.

§. IX.

Actio nostra formaliter est contingens, cuius quoque opposita per vim nostram positis omnibus antecedentibus fieri potuit. Eiusmodi *actionem* cum SENECA a) aliisque *spontaneam* vocamus; & ab hac actiones ad spontaneitatem relatas fecernimus. Id nimirum, quod fit, *ad spontaneitatem nostram refertur*, si eius oppositum ea ex ratione fieri potuerit, quia adcommo-^{Actio spontanea & ad spontaneitatem relata.}datio vis nostrae, a qua dependet, formaliter fuit contingens seu quia alia, quam facta est, vis nostrae adcommo-^{Actio libera & ad libertatem relata.}datio in potestate nostra fuit posita.

a) Ep. CXXI.

§. X.

Actio spontanea, quae fit praeuia consultatione, vocatur *libera*; si nimirum terminus strictiori sumitur significatione. Libera enim actio generatim sumta eadem est, quae spontanea. Id, quod fit, *ad libertatem nostram refertur*, si eius oppositum ea ex ratione fieri potuerit, quia in potestate nostra situm fuit, praeuia consultatione alia, quam quae fecimus, agere. a)

a) Conf. die erste Sammlung meiner philosophischen Nebenstunden, die vierte Abhandlung, von der Freyheit Gottes und der Menschen.

§. XI.

Quicquid coactione physica agimus, id nec sponte nec libere agimus; licet fieri possit, ut ad libertatem atque spontaneitatem referatur. Primum hac ratione evinco: *Quicquid coactione physica agimus, eius oppositum nobis posito statu nostro simpliciter impossibile est* (§. 3.). Eiusmodi itaque *actio nobis non est formaliter contingens* (§. 9.). *Actio, quae non formaliter contingens est, non est spontanea* (§. 9.); ergo *nec libera* (§. 16.). Itaque nec sponte nec libere agimus, quicquid coactione quadam physica per nos fit. Q. e. p.

Quoad

Quoad alterum hac ratione argumentor: Quum fieri possit, ut status ille, quo posito contrarium eius, quod per coactionem physicam facimus, nobis simpliciter impossibile est; a determinata quadam spontaneitatis nostrae accommodatione, & a spontanea consultationis omissione dependeat; manifestum est, fieri posse, ut id, quod coactione quadam physica agimus, ad spontaneitatem & libertatem nostram sit referendum (§. 9. 10.). Q. e. a.

SCH. Ponamus Caium ea ex ratione physice ad certas operas praestandas cogi, quia sponte agendo, abusuque libertatis tale fecit, quo alter laesus: operae illae, quas facit, non erunt quidem spontaneae atque liberae; ad spontaneitatem tamen Caii atque libertatem referendae.

§. XII.

*Actio iniusta
quid?*

Iniusta est actio a), si quis facit, quod non facere mallet; vel non facit, quod facere mallet: modo aliquod malum ex actione contraria emergens evitare posset.

SCH. Huius actionis ratione usurpari solet formula ἐκὼν ἀεικόντι γε θυμῷ. Nolens enim volens agit, qui quidem vult agere, verum non plena & prorsus adquiete voluntate; sed refracta remissaque, & cum noluntate, ut Philosophi loquuntur, mixta (b).

- a) vid. Per-III. L. B. de WOLF *Phil. pract. uniuers. P. II. §. 581. ff.*
b) CHAUVINI *Lex. philos. de coactione.*

§. XIII.

Ob coactionem moralem agens sponte, tamen iniuste agit.

Quicquid ob coactionem moralem agimus, id quidem sponte, iniuste tamen agimus. Actionis enim ob coactionem moralem commissae contraria per nos sub conditione solum euitandi mali impossibilis fuit (§. 5.). Ergo & per nos sub conditione admittendi mali contraria fieri potuit. Sponte itaque; iniuste tamen a nobis factum est, quod ob coactionem moralem fecimus. (§. 9. 12.).

SCH.

SCH. Sic Caius, qui metu poenae gladii ab occidendo Sempronio abducitur, sponte quidem, inuite tamen Sempronium non occidit.

§. XIV.

Qui ob inuitationem aliquid agunt, idem non sponte solum, sed & volentes agunt. Actionis enim ob inuitationem commissae contraria per nos sub conditione acquirendi solum boni impossibilis fuit (§. 7.). Ergo & per nos contraria illa actio sub conditione euitandi boni fieri potuit. Quicquid itaque ob inuitationem agimus, id agimus sponte (§. 9.). Porro quum notum sit, nos id velle, quod nobis bonum videtur (§. 17. I. N.), & quum id, quod ob inuitationem agimus, vt medium, quo bonum acquirere possumus, cogitemus (§. 7.); sequitur, qui ob inuitationem aliquid agunt, idem agere volentes.

Ob inuitationem agentes non sponte solum, sed & volentes agunt.

SCH. I. Sic Caius praemiis ad curam atque diligentiam in inquirendis veritatibus adhibendam inuitatus non sponte solum, sed & volens totus est in litteris.

SCH. II. Quae haecenus de coactione physica, coactione morali atque inuitatione diximus, illustrari possunt verbis, quae CICERO a) profert; ita enim ille: *Libertas est potestas viuendi, vt velis. Quis igitur viuit, vt vult, nisi qui recta sequitur, qui gaudet officio, cui viuendi via considerata atque prouisa est. Qui legibus non propter metum paret, sed eas sequitur atque colit, qui id salutare maxime esse iudicat. Cuius omnes res, quas gerit, ab ipso profisciscuntur, eodemque feruntur.*

a) Parad. V.

§. XV.

Voluntas atque intellectus physice non potest cogi. Quum enim fieri nequeat, vt intellectus sine attentione (§. 29. I. N.), & attentio sine spontaneitatis adcommodatione agat (§. 28. I. N.); sequitur, vt operationes intellectus nostri ita non sint comparatae, vt contrariae nobis posito statu nostro simpliciter sint impossibiles (§. 9.). Ex quo manifestum

Voluntas & intellectus an physice possint cogi.

N

est,

est, intellectum physice non posse cogi (§. 3.). Ex quo porro, quum operationes voluntatis ab operationibus intellectus dependeant (§. 33. I. N.), colligimus, voluntatem non esse sub coactione physica.

SCH. I. Ex demonstratione, qua principium in commate positum corroborauimus, facile intelliges, sermonem hic non esse de ipso voluntatis actu, sed de serie causarum, qua actus voluntatis determinatur. Quum enim posita cogitatione boni contraria voluntatis determinatio nobis simpliciter impossibilis sit; manifestum est, operationes intellectus voluntatem physice cogere (§. 3.). Itaque haec est principii in commate positi significatio: Volitio determinatur ab operationibus intellectus. Operationes intellectus dependent ab accommodatione spontaneitatis. Spontaneitas non est sub coactione physica. Prima itaque vis nostrae accommodatio, a qua operationes & intellectus & voluntatis dependent, non est sub coactione physica. In hac ergo loquendi formula, quae usurpari solet: *Intellectus atque voluntas physice non potest cogi*, effectus ponitur pro causa.

SCH. II. Colligimus inde, veritatem illam proprie hac ratione exprimentam esse: *Operationes intellectus atque voluntatis ad libertatem atque spontaneitatem referendae sunt* (§. 9. IO.), a)

a) Conf. die erste Sammlung meiner phil. Nebenst. in der vierten Abhandlung das 4. Capitel.

§. XVI.

*Obiectio po-
nitur*

Distingunt quidem nonnulli a) inter *actus voluntatis imperatos & elicitos*. Hos vocant, quibus volumus vel nolumus, seu *ſe velle & ſe nolle*; & *illos*, quibus vires corporis ad aliquid faciendum vel omittendum adplicantur. His praemissis putant, in posterioribus elicitis nimirum actibus voluntatem non posse cogi; sed tamen in prioribus seu imperatis. Ad hanc probandam thesin, in medium proferunt exempla, in quibus homines vi adducuntur ad aliquid agendum vel omittendum. Ita v. gr. differunt: Si quis volens ire in concionem, ab hoste interceptus alio ire cogatur: ille quidem eandem semper retinet voluntatem, quae nulla hostium tyrannide poterit mutari; tamen illius vo-
lunta-

luntatis executio per vim impeditur, & rapitur alio, quo nolle.

a) vid. CHAVVIN. l. c. & HORNEIVM in phil. mor. Lib. II. Cap. IV. §. XII.

§. XVII.

Respondeo cum B. LEHMANNO, a) actiones illas imperatas non esse actiones voluntatis; sed aliorum hominum, ^{& respondeo} membra corporis nostri vi ad aliquid adigentium. Contra enim voluntatis nostrae inclinationem fiunt. Ideoque non voluntas, sed corpus patitur vim. ^{cur.}

a) in Inst. Phil. mor. §. VII. Nos. III.

§. XVIII.

Coactio moralis efficere potest, ut nobis cogitemus bonum, ^{Voluntas &} quod, quatenus in se spectatur, nobis malum cogitamus; & ut ^{intellectus} velimus, quod, quatenus in se spectatur, auersamur. ^{an moraliter} Quicquid ob coactionem moralem facimus; id ea solum ex ratione ^{possint cogi.} facimus, quia malum contraria ex actione emergens, nostra saltem opinione, alio modo non possumus euitare (§. 5.). Ratio itaque, cur actionem illam nobis bonam iudicemus, est solummodo eiusmodi mali metus. Cessante itaque hocce metu, mutatio iudicii nostri erit consequens. Ex quo abunde fluit, coactionem moralem posse efficere, ut nobis bonum iudicemus, quod, quatenus in se spectatur, nobis malum cogitamus. Quicquid nobis bonum iudicamus, id appetimus seu volumus; & quicquid nobis malum iudicamus, id auersamur. Manifestum itaque est, coactionem moralem quoque posse efficere, ut velimus, quod, quatenus in se spectatur, auersamur.

§. XIX.

Ex quo intelligimus, qua ratione fieri possit, ut voluntas atque intellectus moraliter cogatur. ^{& quomodo.} Voluntas nimirum ab vna re mouetur ad aliam, facta alia atque alia intellectus repraesentatione. Intellectus vero repraesentatio per mala determinatam quamdam actionem perpetranti constituta alia fieri potest. Et hoc fit coactione morali (§. 5.). Idem est, quod experientia quemuis docebit.

OBSERVATIO XIII.

Ad S. 59. & 60.

DE

BONITATE ATQVE MALITIA
ACTIONVM INTRINSECA.

§. I.

Scopus ob-
servationis.

Duo sunt, quae actionem humanam consideraturus distinguere debet: alterum spectat actionem, qua talem; alterum relationem actionis ad libertatem seu actionem, quatenus est moralis. *Illa ratione* actiones communes esse possunt hominibus cum brutis; *hac vero ratione* hominibus propriae sunt. De illarum bonitate & malitia hoc loco; de harum vero bonitate atque malitia observatione, quae sequitur, agam.

SCH. Sic actio, qua quis alterum turbat, primo spectari potest qua talis; & deinde, quatenus ad libertatem refertur seu quatenus dolo vel culpa committitur. Priori ratione eiusmodi turbatio quoque fieri potest a brutis, atque hominibus furiosis; posteriori vero ratione non nisi ab iis, qui usu intellectus atque rationis gaudent.

§. II.

Actio quid?

Quemadmodum agere generatim sumitur idem est ac rationem actualitatis cuiusdam continere: ita *actio* erit eiusmodi vis determinatio, qua rationem actualitatis cuiusdam continet.

§. III.

Quae vel
commissiva
vel omissiva.

Eiusmodi vis determinatio aut est positiva, aut privativa. Positiva, si quis vim suam adcommodat; privativa, si quis vim suam adcommodare omittit. Priori ratione *actio* vocatur *commissiva*, & posteriori ratione *omissiva*. Qui itaque committendo agit, eius vis in actu secundo; & qui omittendo agit, eius vis in actu primo constituta est.

§. IV.

§. IV.

Actio, quae perfecta est, vocatur *bona*; & quae imperfecta, *mala*. Bona itaque actio est eiusmodi determinatio vis, qua tale quid existens redditur, quod non aliquid de iis remouet, quae per essentiam agentis poni possunt; & mala actio eiusmodi est determinatio vis, qua aliquid de iis remouetur, quae per essentiam agentis poni possunt (§. 3. obf. 10.).

§. V.

Facile inde intelligimus, quando actio commissiua & quando actio omissiua sit bona, aut mala. Quum enim committendo agat, qui vim suam ad aliquid producendum adcommo-
Quae notio- nes ad com- missiua at- que omissiua adcommo- damtur.
 dat; & quum omissiua agat, qui vim suam ad id producendum, quod producere potest, non adcommo-
(§. 3.): sequitur
actionem commissiuam esse bonam, qua aliquid producitur, quod non aliquid de iis remouet, quae per essentiam agentis poni possunt; *actionem omissiuam esse malam*, qua tale producitur, quod aliquid de iis remouet, quae per essentiam agentis poni possunt; *actionem omissiuam esse bonam*, si non adcommo-
 datio vis sit ratio, cur nihil de iis remouetur, quae per essentiam agentis ponuntur; & *actionem omissiuam esse malam*, si non adcommo-
 datio vis sit ratio, cur aliquid de iis remouetur, quae per agentis essentiam poni possunt.

SCH. Per essentiam nostram ponitur facultas, se aliosque conseruandi, perficiendique. Committendo itaque bonum agat, qui talia vi sua producit, quae ad se aliosque conseruandos perficiendosque faciunt. Committendo mala agat, qui talia producit, quae se aliosque destruant atque imperfectiores reddunt. Omit- tendo agat bonum, qui vim suam ea ex ratione non adcommo- dat, qua suum aliorumque interitum cuitare posset; & omissi- do agat malum, qui ea ex ratione fit sui aliorumque interitus causa, quia vim suam non adcommo- dauit.

§. VI.

Manifestum inde est, ut *actiones nostrae sint bonae, vel male*; id prouenire ex ipsarum effectibus. Quum enim actio
Actioes no- strae bonae
 quaedam

*vel malae
sunt per se
factus.*

quaedam ea ex ratione bona sit, quia per eandem aliquid fit existens, quod nihil de iis remouet, quae per essentiam agentis poni possunt; & quum actio quaedam ea ex ratione sit mala, quia per eandem tale fit existens, quod aliquid de iis remouet, quae per essentiam agentis poni possunt (§. 4.); quum porro id, quod per actionem quandam fit existens, effectus actionis vocetur: sequitur, ex actionum nostrarum effectibus prouenire, ut sint bonae vel malae.

§. VII.

*Idoque vel
intrinsicè:
vel extrin-
sicè.*

Actio illa eiusmodi effectuum ratio aut est efficiens, aut occasionalis. *Efficiens*, si ipsa actio eiusmodi effectus existentes reddit; *occasionalis*, si actio illa solummodo dat rationem, cur causa quaedam externa eiusmodi effectus existentes reddat. Si *illud*, dicitur, *actiones nostras per se seu intrinsicè bonas, vel malas esse*; & si hoc, *actiones nostras esse extrinsicè bonas vel malas*.

SCH. Ponamus, Caium occidere Titium; ipsa haec actio aliquid de iis remouebit, quae per essentiam Caii poni possunt (§. 7. Sch.); ipsa haec actio laesis dabit ius Caium cogendi, ut omne praestet, quod interest. Ideoque actio illa hac ratione erit per se mala. Ponamus porro, hanc actionem per se seu intrinsicè malam tertio dare occasionem, Caio irrogandi poenam gladii; consequens erit, eandem actionem quoque esse extrinsicè malam. Et quae sunt reliqua.

§. VIII.

*Inde expli-
catur, quid
sit bonitas &
malitia
actionum in-
trinsicè &
extrinsicè.*

Est itaque *bonitas actionis intrinsicè* eiusmodi actionis constitutio, qua ratio efficiens est effectuum, per quos est perfecta; *bonitas vero actionum extrinsicè* est eiusmodi actionis constitutio, qua ratio occasionalis est effectuum, per quos est perfecta. Contra *malitia actionis intrinsicè* est eiusmodi actionis constitutio, qua ratio efficiens est effectuum, per quos est imperfecta; & *malitia actionis extrinsicè* est eiusmodi actionis constitutio, qua est ratio occasionalis effectuum, per quos est imperfecta.

§. IX.

§. IX.

Actiones nostrae sunt per se seu intrinsece aut bonae, aut malae. Qui aliquid agit committendo, is vim suam ad aliquid producendum adcommodat (§. 3.). Ipsa itaque haec actio aut aliquid de iis remouet, quae per essentiam agentis poni possunt; aut non (per dem. §. 4. obs. 10.). Si prius; actio ita erit constituta, vt sit ratio efficiens effectus, per quem est imperfecta: si posterius; actio ita erit constituta, vt sit ratio efficiens effectus, per quem est perfecta (§. 2. obs. 10. & §. 7.). Itaque quaelibet actio commissiua per se seu intrinsece aut est bona, aut mala (§. 8.). Qui aliquid agit omittendo, is vim suam ad aliquid producendum non adcommodat, quam tamen ad idem producendum adcommodare potuit (§. 3.). Ipsa itaque hac actione aut omittitur ea producere, quae per essentiam agentis poni possunt; aut omittitur aliquid de iis remouere, quae per essentiam agentis poni possunt (per dem. §. 4. obs. 10.). Quae cum ita sint, eadem ratione, qua ante argumentati sumus, manifestum erit, quamlibet actionem omisiuam per se seu intrinsece aut esse bonam, aut malam. Quare, quum actiones nostrae aut sint commissiuae, aut omisiuae (§. 3.); sequitur, quod actiones nostrae per se seu intrinsece aut sint bonae, aut malae.

*In intrinseca
actionum bo-
nitas vel
malitia de-
fenditur.*

SCH. I. Hancce a nobis propositam thesin illustrabunt atque confirmabunt machinarum, & spontaneae brutorum operationes. Machinalis v. gr. horologii scopus essentialis est, vt spatia temporis accurate indicarentur. Hoc praemisso ponamus, per eiusmodi machinam talem fieri motum, qui accurate determinat, quale sit temporis spatium, quod praesens; & quale, quod futurum. Ponamus porro, per eiusmodi machinam talem fieri motum, qui quale sit spatium temporis, quod praesens, aut quod praeteritum minus accurate definit: consequens erit, priorem motum tale efficere, quod per machinae essentiam ponendum; posteriorem vero tale, quod aliquid de iis remouet, quae per eiusmodi machinae essentiam poni possunt. Qui haec, quae dicta sunt, perpendit, facile perspiciet, priorem illius machinae

nae

nae motum esse intrinsece perfectum seu bonum; posteriorem vero intrinsece imperfectum seu malum.

SCH. II. Idem nos experientia docet actiones brutorum animo circumspectantes. Bruta e. gr. quaerunt alimenta ad sese conservandum necessaria. Estne haec actio, quae tale efficit, quod per essentiam agentis poni potest; ideoque per se bona seu perfecta? Et quae sunt reliqua.

§. X.

Haec est naturalis atque necessaria.

Quidquid ex ipsa rei essentia fluit: non huius rei ratione naturale solum; sed & necessarium est. Ex quo patet, actiones nostras naturaliter atque necessario bonas vel malas esse (§. 9.).

§. XI.

Ideoque immutabilis.

Actio, quae intrinsece bona, mala; & quae intrinsece mala, bona fieri nequit. Etenim, quum actio, quae per essentiam suam tale efficit, quod aliquid de iis remouet, quae per essentiam agentis poni possunt, tale efficere nequeat, quod non aliquid de iis remouet, quae per essentiam agentis poni possunt (quod inde patet, quia essentiae rerum sunt immutabiles); & quum illa actio intrinsece bona, haec vero mala sit (§. 4. 7.): sequitur, actionem intrinsece bonam fieri non posse malam. Eadem ratione iis, quae natura obiecti mutari iubet, mutatis patebit, actionem intrinsece malam fieri non posse bonam.

§. XII.

Bonitas vel malitia intrinseca extrinsecam non negat.

Ex eo, quod actiones nostras intrinsece bonas vel malas esse probauimus, non sequitur, actiones nostras non esse extrinsece bonas vel malas. Actiones enim nostrae ea ex ratione intrinsece bonae vel malae sunt, quia sunt rationes efficientes eiusmodi effectuum, per quos sunt vel perfectae vel imperfectae (§. 7. 8.). Experientia autem domestica vnusquisque conuincitur, quicquid certa in relatione est ratio efficiens, id alia in relatione esse rationem occasionalem per-

permultorum, qui obueniunt, effectuum. Quamobrem dubitandum non est, quin actiones, quae intrinsece bonae vel malae sunt, simul extrinsece bonae vel malae esse possint (§. 7. 8.).

SCH. Sic actio, qua quis furtum committit, simul intrinsece atque extrinsece mala est. *Intrinsece*, quatenus est ea ad commodatio vis, quae est ratio efficiens eiusmodi effectus, qui aliquid de iis remouet, quod per essentiam agentis ponendum. Per essentiam enim agentis ponitur facultas alios perficiendi, per furti vero commissionem aliquid de eiusmodi facultate remouetur; causa enim efficiens mali est, quod alter percipit, & causa efficiens iuris agentis inferendi mala, quod laesus eiusmodi facto adquirit. *Extrinsece mala* est, quatenus superiori dat occasionem, furtum committenti irrogandi poenam capitalem. Et quae sunt reliqua.

§. XIII.

Progredimur ad viam cognoscendi bonitatem atque malitiam actionum nostrarum & intrinsecam & extrinsecam. *An actio nostra intrinsece bona sit, quia est ratio efficiens eiusmodi effectus, qui nihil de iis remouet, quae per essentiam agentis poni possunt: & quum actio nostra intrinsece mala sit, quia est ratio efficiens eiusmodi effectus, qui aliquid de iis remouet, quae per essentiam agentis poni possunt (§. 7.); sequitur, vt intrinsecam actionis bonitatem vel malitiam definiturus primo essentiam agentis euoluere & in ea inquirere debeat, quae per hancce essentiam poni possunt: secundo formare debeat obuiam actionis definitionem & in ea, quae hac ex definitione, vt ex ratione quadam efficiente, legitime fluunt, inquirere: tertio hosce effectus cum iis, quae de essentia agentis dicta sunt, conferre debeat, & inde iudicare, vtrum eiusmodi effectus aliquid de iis remoueant, quae per essentiam agentis poni possunt, nec ne. Si illud, actio erit intrinsece mala, & si hoc, intrinsece bona. conf. §. 9. obs. 10.*

○

§. XIV.

§. XIV.

Et an ex-
trinsece bo-
na vel mala
quomodo
cognosci
possit?

Porro, quum actio nostra extrinsece bona sit, quia est causa occasionalis eiusmodi effectus, qui nihil de iis remouet, quae per essentiam agentis poni possunt: & quum actio nostra extrinsece mala sit, quia est causa occasionalis eiusmodi effectus, qui aliquid de iis remouet, quae per essentiam agentis poni possunt (§. 7.); manifestum est, extrinsecam actionis bonitatem vel malitiam eum definire posse, qui *primo* essentiam agentis intelligit, & ea perspicit, quae hancce per essentiam poni possunt: *secundo* obuiaae actionis definitionem format, & hac ex definitione non ea solum infert, quae inde necessario fluunt, sed & quae positis quibusdam circumstantiis inde fluere possunt: *tertio* statum agentis externum cognitum atque perspectum habet: *quarto* quae hoc in statu obueniunt, cum actione illa & iis, quae inde illata sunt, confert, & inde determinat effectus, quorum causa occasionalis actio, de qua est sermo, esse potest: *quinto* hosce effectus cum essentia agentis confert, & inde legitime infert, vtrum aliquid de iis remoueat, quae per essentiam agentis poni possunt, nec ne. Si *illud*, actio obuia erit extrinsece mala, & si *hoc*, extrinsece bona.

§. XV.

Gradus bonitatis & malitiae quomodo determinandi?

Praeterea ex eo, quod de bonitate atque malitia actionum nostrarum §. 4. ff. & de via cognoscendi eiusmodi bonitatem atque malitiam §. 13. f. exposuimus, non abs re colligere nobis videmur, idem de gradibus bonitatis atque malitiae actionum nostrarum dicendum esse, quae de gradibus perfectionis atque imperfectionis §. 14 - 16. obs. 10. dicta sunt: adeoque *primo* bonitatem actionum nostrarum esse vel *priuatiuam* vel *positiuam* (§. 14. obs. 10.); *secundo* malitiam actionum nostrarum aliam esse *in oppositione ad bonitatem priuatiuam*, aliam *in oppositione, ad bonitatem positiuam* (§. 15. obs. 10.); *tertio* bonitatem actionum positiuam maiorem esse priuatiuam, & malitiam actionum in oppositione ad bonitatem priuatiuam maiorem esse malitia in oppositione

sitione ad bonitatem positivam sumta (§. 16. obs. cit.). Et quae sunt reliqua.

§. XVI.

Quicquid actione quadam efficitur, aut in subiecto agente, aut extra subiectum agens existit. Si illud, *effectus* actionis vocantur *interni*, & si hoc, *externi*.

Effectus actionis sunt vel interni vel externi.

SCH. Sic eruditio est effectus internus diligentiae, & utilitas aliorum effectus externus amoris erga alios.

§. XVII.

Omnes actiones nostrae bonae, vel malae sunt per effectus internos. Quum enim actio ea ex ratione bona sit, quia nihil de iis remouet, quae per agentis essentiam poni possunt, & quum actio ea ex ratione sit mala, quia aliquid de iis remouet, quae per essentiam agentis poni possunt (§. 4.); manifestum est, actiones bonas, vel malas esse per ea, quae in subiecto agente efficiunt, ideoque per effectus internos (§. 16.).

Actiones bonae vel malae sunt per effectus internos.

§. XVIII.

Quemadmodum vero eiusdem actionis & effectus externi & interni esse possunt: ita facile vnusquisque intelliget, propositionem §. 17. demonstratam effectus externos non excludere, itaque fieri posse, vt actio, quae bona est per effectus internos, simul bona sit per effectus externos; & vt actio, quae mala est per effectus internos, simul mala sit per effectus externos.

Quo posito, effectus externi non excluduntur.

SCH. Sic diligentia est actio per effectus internos bona, quatenus efficit eruditionem, & per effectus externos, quatenus quis eruditione sibi adquisita errantes in viam reuocat. Contra, negligentia est actus per effectus internos mala, quatenus ignorantiae, aut simplicis, aut compositae causa est, & per effectus externos, quatenus eiusmodi ignorantia alios in errores inducit.

§. XIX.

*Actio, quae
alios perficit,
non semper
est bona.*

Ex quo colligimus, *actionem bonam distinguendam esse ab actione, quae effectus externos producit, qui subiectum extra agentem positum perficiunt.* Etenim si actione nostra efficitur, quod in subiecto extra nos posito aliquid ponit, actio nostra tales producit effectus externos, qui subiectum extra nos positum perficiunt (§. 2. obf. 10. & §. 16.). Enimvero experientia domestica vnusquisque conuincitur, actiones nostras, quae aliquid de iis remouent, quae per essentiam nostram poni possunt, saepissime talia efficere, quae in subiectis extra nos positis aliquid ponunt. Necessè adeo est, vt actionem bonam distinguamus ab actione, quae externos producit effectus, qui subiectum extra agentem positum perficiunt (§. 4.).

SCH. Ponamus v. gr. Caium ex ambitione magis & iactantia atque profusione, quam ex amore viris quoque bonis praestare beneficia: actio illa erit mala, licet effectus externi, quos eiusmodi actio producit, alios perficiant.

OBSERVATIO XIV.

Ad g. 67. 66.

DE

MORALITATE ACTIONVM
NOSTRARVM INTRINSECA.

§. I.

*Scopus ob-
seruationis.*

HAec de intrinseca actionum bonitate atque malitia, quae a non-nullis *naturalis & physica* vocatur. Progredimur ad aliam quaestionem: *an nimirum actiones nostrae quoque intrinsecam habeant moralitatem?* Scholastici, GROTIUS, HOBBSIUS, LEIBNITIUS, WOLFIUS, & qui sunt reliqui, affirmant; PVFENDORFIUS, COCCEIUS, RVDDEUS, RIDIGERUS & qui sunt reliqui, negant. Quae cum ita sint, operae pretium esse videtur, vt *primo* causam quaestionis positae

positae explicemus; *deinde* argumentationes, quibus intrinseca actionum moralitas corroborari potest, euoluamus; & *tandem* in argumentationes, quibus dissentientes contrariam confirmare voluerunt sententiam, inquiremus.

§. II.

Quum bestiis mores non nisi improprie tribuantur *a*); *Mors*, manifestum est, per *mores* Philosophos intelligere rationem viuendi eorum, qui libertate ideoque vi intelligendi pollent.

a) Conf. ZENTGRAV. de Orig. I. N. p. 235. 236. Per-III. de WOLF. P. II. Phil. pract. viii. §. 687. ff. OSLANDER in Theol. mor. P. I. Cap. VIII. p. 207.

§. III.

Morale a moribus dicitur. Ex quo patet *actiones morales* esse actiones ad libertatem relatas. In cuius itaque *potestate* fuit, vim suam praeuia consultatione alia ratione, quam qua fecit, adcommodare, is egit moraliter (§. 10. obs. 12.).

§. IV.

Quum moralitas sit abstractum *78* moralis: & quum actio *8* moralis ea ratione moralis vocetur, qua ad libertatem referri potest *las quid?* (§. 3.); sequitur, *moralitatem actionis* proprie significare relationem actionis ad libertatem.

SCH. I. Hancee significationem *primo* probat doctrina de moralitatis quantitate. Quum enim ex omnium Philosophorum consensu moralitas actionis eo maior sit, quo magis actio ad libertatem nostram referri possit; manifestum est, moralitatem actionis secundum loquendi usum proprie ipsam actionis ad libertatem relationem significare. Eadem porro patet ex loquendi formula, usu recepta: *hoc feci, sed nullam habet moralitatem.* Sensus huius loquendi formulae sine dubio hic erit: effectus, de quo quaestio est, mea quidem ab actione dependet, non tamen mea in potestate situm fuit, praeuia consultatione contrarium agere, ideoque haec actio meam ad libertatem non potest referri. Ergo & illa loquendi formula docet, moralitatem actionis secundum

dum loquendi vsu proprie esse relationem actionis ad libertatem. Sumas aliam de moralitate notionem, & difficile erit inuenire rationem, cur certi actus hominibus morales sint, qui brutis tales non sunt.

SCH. II. Eleganter hac de re loquutus est PVFENDORF a) his verbis: „actio voluntaria consideratur vel in se & absolute, prout „est aliquis motus physicus praeuio voluntatis decreto susceptus; „vel reflexiue, quatenus effectus eius homini imputari possunt. „Quam reflexionem complexae actiones voluntariae speciali vo- „cis vsu dicuntur humanae. Et quoniam ab istis actionibus, „prout bene, aut male ab aliquo obeuntur, seu prout ad legem „tanquam normam suam congruunt, vel non congruunt, ita mo- „ratus aliquis denominatur, ipsaeque animorum inclinationes, ex „frequentibus resultantes actionibus, mores adpellantur; inde fa- „ctum, ut ipsae actiones humanae moralium vocabulo designen- „tur. Actionum moralium posteriori modo consideratarum ef- „fentia duo complectitur, vnum velut materiale, alterum forma- „le. *Materiale* est motus aliquis physicus potentiae physicae, pu- „ta, locomotivae, appetitus sensitivi, sensuum exteriorum & in- „teriorum, & intellectus quoad exercitium apprehensionis, imo „& ipsius voluntatis actus, in esse suo naturali consideratus, seu „prout praecise spectatur vt effectus aliquis, per potentiam a na- „tura inditam qua talem productus - - - Formale actionis mo- „ralis consistit in imputatiuitate, per quam effectus actionis vo- „luntariae agenti potest imputari, seu tanquam ad ipsum proprie „pertinens haberi, siue ipse agens effectum quoque physice pro- „duxerit, siue, vt per alios produceretur, effecerit. Et ab hac „actionis formalitate ipsum quoque agens *moralitatis* denomina- „tionem participat, & *caussa moralis* adpellatur. „

SCH. III. Itaque secundum PVFENDORFIVM moralitas actionum consistit in imputatiuitate. Quum vero per imputatiuitatem Scholastici id intelligant, quod efficit, vt actio possit imputari: & quum actio ea ex ratione imputari possit, quia se ad libertatem refert; manifestum est, PVFENDORFIVM effectum posuisse pro causa, ideoque & huius Philosophi principiis conueniens

ueniens esse, moralitatem definire per relationem actionis ad libertatem, quam imputatiuitas consequitur. b)

a) I. N. & G. edit. MASCOVII Tom. I. Lib. I. Cap. V. §. I-III.

b) Conf. ZENTGRAV de orig. I. N. p. 242.

§. V.

Hac ex moralitatis definitione sequitur alia vsu recepta, qua effectus ponitur pro causa, & moralis actionis bonitas aut malitia *moralitas* vocatur. Sed quid est bonitas aut malitia moralis? Rem ita accipe: §. 6. obi. 13. demonstrauimus, ut actiones nostrae sint bonae vel malae, id prouenire ex ipsarum effectibus. Iam ponamus, eiusmodi effectuum rationem aut efficientem, aut occasionalem, esse eam actionis qualitatem, qua se ad libertatem refert; consequens erit, actiones illas esse moraliter bonas, vel malas (§. 3.). Et haec erit bonitas vel malitia actionum, quam *moralem* vocant Philosophi, ideoque *moralitas actionum* significatione strictiori sumta.

Ex quo fuit significatio quaedam moralitatis strictior.

SCH. I. Sumas notionem, quam PVFENDORF (Sch. 2. §. 4.) de actionum moralitate formauit, & eundem, quem hocce in comitate posuimus conceptum, inde colligere poteris. Sit enim *moralitas actionum* idem, quod imputatiuitas; *moralitas* erit id quod efficit, ut actio possit imputari. Enimuero imputatio euoluit effectus ex relatione actionis ad libertatem descendentes. Itaque si effectus poneretur pro causa, *moralitas actionum* erit, eiusmodi actionum qualitas, quae per effectus a relatione actionis ad libertatem dependentes constituitur, seu bonitas vel malitia actionum moralis.

SCH. II. Hancce de actionum moralitate notionem vsui loquendi conuenientem esse, hac quoque ratione euinco. Qui ad quaestionem, an detur intrinseca actionum moralitas? negando respondent, nihilo tamen minus intrinsecam illam bonitatem atque malitiam, de qua observatione 13 diximus, & quam naturalem & physicam vocant, concedunt. a). Ex quo manifestum est, horum quoque secundum sententiam moralitatem actionum significare eiusmodi bonitatem, vel malitiam, quae ex actione morali non materialiter, sed formaliter considerata, id est, qua-

tenus

tenus est moralis, pendet. Quare, quum actiones nostrae ea ex ratione morales sint, quia se ad libertatem referunt (§. 3.); sequitur horum quoque ex sententia moralitatem actionum nostrarum esse eiusmodi bonitatem, vel malitiam actionum, quae per effectus constituitur, e relatione actionis ad libertatem pendentes, seu, quod idem significat, attriburum actionis liberae, quo ad legem referri, & bona, vel mala, turpis, vel honesta, iusta aut iniusta dici & declarari potest b).

a) Conf. PFENDORF Cap. V. cit. ZIMMERMANN in: Diff. de act. hum. moralitate Ienae 1728. hab. p. 4.

b) ZIMMERMANN l. c. p. 5. HOCHSTETTER in collegio pufendorfiano sup. Lib. de Offic. hom. & civ. Exerc. II. §. VI.

§. VI.

Ex quo
quaedam de-
ducuntur
conjectaria.

His praemissis, facile erit intelligere, ambiguam esse quaestionis, quae de obviae cuiusdam actionis moralitate ponitur, significationem. Altera haec est: qualis est obviae actionis relatio ad libertatem (§. 4.)? Altera haec est: quales sunt effectus, qui ex obviae actionis relatione ad libertatem pendent? seu quaenam est obviae actionis bonitas vel malitia moralis (§. 5.)? Praeterea ex dictis patet, huius quaestionis responsionem ab illius quaestionis responsione aliqua ratione dependere.

§. VII.

Moralitas
actionum
intrinseca
& extrinseca
quid.

Quum moralitas actionis strictiori significatione sumpta, sit bonitas vel malitia actionis, quae per eiusmodi constituitur effectus, qui e relatione actionis ad libertatem dependent (§. 7.); relatio vero illa eiusmodi effectuum aut sit ratio efficiens, aut occasionalis (§. 7. obs. 1 3.); manifestum est, illam actionis moralitatem in *intrinsecam* & *extrinsecam* dividendam esse. *Intrinseca* nimirum, quae etiam *obiectiva*, & *naturalis* vocatur, est eiusmodi moralis actionum bonitas, vel malitia, quae effectibus constituitur, quorum ratio efficiens est ipsa relatio actionis ad libertatem; & *extrinseca*, quae etiam *subiectiva* atque *formalis* vocatur, *actionum moralitas* est eiusmodi moralis actionum bonitas, vel

vel malitia, quae effectibus constituitur, quorum ratio occasionalis est relatio actionis ad libertatem. e)

e) vid. HOCHSTETTER l. c. s. VII. f.

§. VIII.

Ex eo, quod actiones nostrae liberae, seu ad libertatem referendae, sint intrinsece bonae, vel malae, non sequitur, eiusmodi actiones habere moralitatem intrinsecam. Quum enim effectus, qui actiones nostras ad libertatem referendas intrinsece bonas, vel malas constituunt, ex eiusmodi actionum materiali, id est, ex ipsa actionum, qua talium, constitutione, non vero ex relatione actionum ad libertatem fluant (§. 8. obs. 13.): effectus vero, qui moralitatem eiusmodi actionum intrinsecam constituunt, rationem efficientem in actionum formali, id est, in ipsa relatione actionum ad libertatem habere debeant (§. 7.); manifestum est, argumentationes, quae actiones nostras ad libertatem referendas intrinsece bonas, vel malas esse, confirmant, non sufficere ad probandum, eiusmodi actionibus quoque competere moralitatem intrinsecam.

Intrinseca moralitas ex bonitate vel malitia actionum intrinseca non fluit

SCH. Eandem propositionem hac quoque ratione corroborare possumus: Si intrinseca bonitas, vel malitia eiusmodi quoque actionibus competit, quae ad libertatem referri nequeunt; sequitur, ab intrinseca actionum bonitate vel malitia, ad earum moralitatem intrinsecam non valere consequentiam (§. 7.). Iam vero ex demonstratione, qua principium §. 9. obs. 13. positum corroborauimus, & ex Sch. 1. atque 2. eiusdem §. 9. satis manifestum, intrinsecam bonitatem atque prauitatem eiusmodi quoque competere actionibus, quae ad libertatem referri nequeunt. Ergo & patet, ab intrinseca bonitate, vel malitia actionum ad earum moralitatem intrinsecam non valere consequentiam.

§. IX.

Per moralitatem, quae actioni ad libertatem referendae competit, actio, quae intrinsece mala est, bona fieri nequit. Quum enim simpliciter inuoluat contradictionem, ut actio intrinsece mala fieret bona (per dem. §. 11. obs. 13.); fieri quoque bonae.

Actiones intrinsece malae per moralitatem non fiunt bonae.

P

quoque non poterit, ut moralitas, quae actioni intrinsece
malae competit, eandem efficeret bonam.

§. X.

Intrinseca
actionum
nostrarum
moralitas
defenditur.

*Actionibus nostris ad libertatem referendis competit mora-
litas intrinseca.* Haecce propositio licet satis, ut opinor,
§. 66. I. N. probata sit; non tamen sine commodo erit, argu-
mentationem illam accuratius copiosiusque euolvere, quod
eo, qui sequitur, fiat modo. Ponamus Caium ea ratione intrin-
sece malum agere, qua actio ad libertatem Caii referri potest;
consequens erit *primo*, ut Caius malos percipiat effectus,
qui ex actione illa materialiter spectata necessario fluunt
(§. 8. 10. obs. 13.): & *deinde* ut Caius in eiusmodi mali, quod
possidet, causam inquirens intelligat, non se ipsum solum
illius mali esse causam, sed & talem, in cuius potestate fuit,
contrarium agere, ideoque malum illud euitare (§. 10. obs.
12.). Quare, quum eiusmodi cogitatio necessario excitet
taedium, poenitentiam, metum, & quae sunt reliquae ani-
mi perturbationes (§. 50. & 281. ff. Phil. mor.): quum
porro eiusmodi animi perturbationes sint imperfectiones
(§. 2. obs. 10.); sequitur, ut ipsa relatio actionum intrinsece
malarum ad agentis libertatem sit ratio efficiens eiusmodi ef-
fectuum, per quos actiones illae sunt malae, quatenus sunt
actiones morales (§. 4. & 7. obs. 13. & §. 3. h. obs.). Com-
petit itaque actionibus nostris ad libertatem referendis, quae
intrinsece malae sunt, moralitas intrinseca (§. 5. 7.). Q. e. p.

Ponamus porro, Caium ea ratione intrinsece bonum
agere, qua actio ad libertatem Caii referri potest; conse-
quens erit *primo*, ut Caius bonos percipiat effectus, qui ex
positae actionis materiali necessario fluunt (§. 8. 10. obs. 13.):
& *deinde*, ut in eiusmodi boni, quod possidet, causam in-
quirens intelligat, non se ipsum solum esse eiusmodi boni
causam, sed & talem causam, in cuius potestate fuit, vim suam
alia ratione adcommo-
dare, quam qua bonum illud aduersum
(§. 10. obs. 12.). Enimvero eiusmodi cogitatio necessario
excitat voluptatem, adquiescentiam, spem boni adquirendi,
& quae

& quae sunt reliquae iucundae animi determinationes (§. 48. & §. 266. ff. Phil. mor.); & iucundae illae animi determinationes sunt perfectiones (§. 2. obl. 10.); manifestum itaque est, ipsam relationem actionum intrinsece bonarum ad libertatem agentis esse rationem efficientem eiusmodi effectuum, per quos actiones illae, quatenus sunt actiones morales, sunt bonae (§. 4. & 7. obl. 13. & §. 3. h. obl.); ideoque actionibus nostris ad libertatem referendis, quae intrinsece bonae sunt, moralitatem intrinsecam competere (§. 5. 7.). Q. e. 2.

His praemissis argumentor: omnes actiones nostrae sunt intrinsece bonae, vel malae (§. 9. obl. 13.). Ergo & idem de omnibus actionibus ad libertatem nostram referendis valet. Et actionibus intrinsece bonis, si ad libertatem nostram referantur, & actionibus intrinsece malis, si ad libertatem nostram referantur, competet moralitas intrinseca (per ante demonstrata). Omnibus itaque actionibus nostris ad libertatem nostram relatis moralitas inest intrinseca.

§. XI.

Actio moraliter bona vocatur *honestae*, & actio moraliter mala vocatur *turpis*. Ergo omnes actiones ad libertatem nostram referendae intrinsece, seu per se turpes, vel honestae sunt (§. 10.).

§. XII.

Quod §. 12. obl. 13. innotuit, hic quoque dicendum est, nimirum ex eo, quod intrinsecam actionum ad libertatem referendarum moralitatem defendimus, non sequi, nos extrinsecam eiusmodi actionum moralitatem negare. Eadem hic adferenda sunt argumenta, quae in §. cit. adlata.

§. XIII.

Moralitas extrinseca, quae actioni ad libertatem relatae competit, eiusdem actionis moralitati intrinsecae non debet repugnare. Quum enim moralitas actionum intrinseca eiusmodi constituitur effectibus, quorum ratio efficiens est ipsa relatio actionis ad libertatem, moralitas vero extrinseca

eiusmodi finiatur effectibus, de quibus ratio actionis ad libertatem solummodo est causa occasionalis (§. 7.); manifestum est, moralitatem intrinsecam esse essentialem, extrinsecam vero accidentalem. Enimuero ex Metaphysicis patet, accidentalia, quae rei tribuuntur, eiusmodi rei essentialibus non debere repugnare (§. 28. Phil prim.). Ergo & moralitas extrinseca, quae actioni ad libertatem relatae competit, eiusdem actionis moralitati intrinsecae non debet repugnare.

SCH. Haec forsitan est causa, ob quam moralitas intrinseca moralitas actionum fundamentalis a sapientibus vocata est, *a)*

a) HOCHSTETTER l. c.

§. XVI.

*Sententia
Simonis re-
icitur,*

Quum actionibus nostris ad libertatem relatis ea ex ratione competat moralitas intrinseca, quia ipsa ratio actionis ad libertatem est ratio efficiens effectuum, per quos actio illa, qua moralis, est bona vel mala (§. 7.): & quum posita ratione efficiente id quoque poni debeat, quod per eam rationem constituitur; sequitur, ut posita actione ad libertatem relata eiusmodi etiam effectus ponendi sint, qui intrinsecam actionis illius constituunt moralitatem. Non itaque necesse est, ut ad defendendam intrinsecam actionum moralitatem cum SIMONE *a)* ad id confugiamus, ut distinguamus inter consecraria, quae moralitatem intrinsecam constituunt, & executionem, seu eiusmodi consecratorum irrogationem: & ut affirmemus, moralitatem intrinsecam eos solum determinare malos, vel bonos effectus, qui actionum nostrarum consecraria esse possunt; executionem vero, seu eiusmodi consecratorum irrogationem a Deo dependere. *Primo* enim ex demonstratis manifestum est, effectus, qui moralitatem actionum intrinsecam constituunt, e relatione actionis ad libertatem, non quoad possibilitatem solum, sed & quoad actum pendere. *Deinde* facile perspicitur, ut ad sententiam illam SIMONIS accedere idem sit, ac intrinsecam

intrinsicam actionum moralitatem negare. Et quae sunt reliqua.

a) in Not. ad Grot. Prol. §. 11.

§. XV.

Demonstrata intrinsicam actionum ad libertatem relatum, bonitate, vel malitia, atque intrinsicam earum actionum moralitate, quas ipsa quoque experientia nos docet atque inductio; ad viuum quoque refecimus argumentationes, quibus contrarium corroborare voluerunt dissentientes. Duo sunt eiusmodi argumentationum genera. Quaedam ad argumentationes dissentientium eneruandas: quaedam ad contrariam thesin corroborandam adlatæ sunt. De singulis breuiter.

His praemissis responsuri sumus ad obiectiones.

§. XVI.

Prima argumentatio, qua sapientes sententiam, quam de intrinsicam actionum ad libertatem referendarum bonitate vel malitia, atque de intrinsicam earum actionum moralitate fati, ut opinor, demonstrari, corroborare voluerunt, sumitur ex immutabilitate iuris naturalis, quam omnes iuris naturalis doctores defendunt. Si enim actionibus ad libertatem referendis non inesset intrinsicam quaedam bonitas, vel malitia, & intrinsicam quaedam moralitas; consequens erit, omnem actionum bonitatem, vel malitiam, omnemque moralitatem a causa quadam extrinseca dependere. Enimvero contingenter subiecto competit, quod per causam extrinsecam inest, ideoque mutabile est. Ergo & ius naturæ non erit immutabile, nisi actionibus ad libertatem referendis quaedam inesset intrinsicam bonitas, vel malitia, atque intrinsicam moralitas.

Respondetur ad obiectionem primam.

§. XVII.

Hanc ad argumentationem respondent dissentientes: consequentiam fallere, & ius naturæ non ob intrinsicam actionum bonitatem, vel malitiam atque intrinsicam moralitatem esse immutabile, sed quia, quod Deus semel voluit, ex natura suæ perfectionis nolle amplius nequit.

Huius continuatione.

Respondetur, quae

quae adlata sunt, non sufficere ad argumentationem illam eneruandam. Ponamus enim ius naturae ex libera Dei voluntate oriri, inde non fluere immutabilitas iuris naturalis, sed negatio solum mutationis. Quemadmodum vero a negatione actus ad negationem possibilitatis non valet consequentia: ita & nulla erit consequentia, quae ex negatione mutationis immutabilitas inferatur. Itaque non cohaerent sententiae, quarum *altera* immutabilitatem iuris naturalis docet, *altera* intrinsecam actionum bonitatem, vel malitiam, atque intrinsecam moralitatem negat.

§. XVIII.

*Respondetur
ad obiectio-
num secun-
dam.*

Alter argumentatio sumitur ex factis demonstrato principio: *veritates rerum esse aeternas*, ideoque, ut cum LEIBNITIO loquar, *ut proportionum & aequalitatum, ita & aequitatis & convenientiae regulas aeternis rationibus constare*. Ex hoc, mea quidem sententia, legitime colligitur: actionibus ad libertatem referendis aeternam inesse bonitatem, vel malitiam, aeternamque moralitatem, ideoque Deum non posse efficere, ut actio, quae ab aeterno bona, fieret mala, & ut actio, quae ab aeterno mala, fieret bona. Quemadmodum vero non nisi ex intrinseca veritate fluat, Deum non posse efficere, ne bis duo sint quatuor: ita & illud non nisi ex intrinseca veritate morali, id est, ex intrinseca bonitate, vel malitia oriri poterit. Et quae sunt reliqua.

§. XIX.

*Huius con-
tinnatio.*

Respondent dissidentes: verum quidem esse, Deum non posse efficere, ne bis duo sint quatuor, hoc tamen non ex intrinseca quadam veritate, quae huic numero inest, sed ex ipsa perfectione diuina fluere, qua Deus falsum nomen rei assignare, vel rem factio contrariam allegare non potest. *Respondet*. Salua erit res nostra. Evoluas enim, quaeso, rationem, cur falsum nomen numero assignat, qui efficit, ut bis duo non sint quatuor. Estne haec ratio intrinseca veritas, quae numero inest? Quid est bonitas vel malitia, & quid est

est moralitas actionum? estne veritas moralis? Quum itaque aeterna sit veritas, ut obuia actio sit talis; ut actio, quae sit talis, tales habeat effectus essentialia; & ut actio, quae tales habeat effectus essentialia, sit bona, vel mala; sequitur, efficere, ut actio, quae intrinsece mala est, sit bona, & ut actio, quae intrinsece bona est, sit mala, idem esse, ac falsum nomen rei affingere, & rem facto contrariam allegare. Quemadmodum itaque ratio, cur Deus non possit efficere, ne bis duo sint quatuor, est in intrinseca veritate, quae numero inest; ita & intrinseca actionum bonitas, vel malitia erit ratio, cur Deus non possit efficere, ut actio, quae mala est, sit bona, & ut actio, quae bona est, sit mala.

§. XX.

Tertia argumentatio haec est. Si bonitas atque malitia, moralitasque actionum ex libera Dei voluntate pendeat; consequens erit, Deum posse iubere, ut aliquis solius voluptatis suae causa v. g. alios homines cruciet. Quare, quum posterius sit falsum; sequitur, prius quoque esse falsum. Ex quo porro legitime fluit, actionibus nostris intrinsecam inesse bonitatem, vel malitiam. Et quae sunt reliqua.

§. XXI.

Dissentientes negant consequentiam, quia eiusmodi permissio cum perfectione Dei pugnat. Sed respondeo, primo, haec ratio, quae adlata est, non reiicit consequentiam, sed negat consequens. Hoc itaque posito, salva manet veritas argumentationis. Deinde, quaenam est ratio, cur eiusmodi permissio cum perfectione Dei pugnet? estne haec, quia alios homines solius voluptatis suae causa cruciare est malum? sed quaenam est causa, per quam est malum? Haec est aut voluntas Dei, aut ipsa actionis constitutio. Prius non esse, ex concessis patet. Si enim verum sit, quod dicitur, Deum id non posse permittere, quia cum perfectione sua pugnat; verum quoque erit, malitiam eiusmodi actionis e voluntate Dei non pendere. Ipsa itaque eiusmodi actionis constitutio est

est causa, per quam est mala. Ideoque ex concessis quoque fluit, actionibus nostris intrinsecam inesse bonitatem, vel malitiam.

§. XXII.

*Obiectio
quarta.*

Haec de rationibus, quibus argumentationes ad intrinsecam moralitatem, bonitatem, vel malitiam corroborandam adlatas, eneruare voluerunt dissentientes. Sequuntur, quas ad thesiam contrariam probandam adferunt. *Prima* haec est, qua utitur PUFENDORF *a)*; Ex quo sequitur, Deo adiungendum esse principium aliquod coaeternum extrinsecum, quod ipse in assignandis rerum formis sequi necessum habuerit; id falsum est. Qui bonitatem, vel malitiam atque moralitatem actionum intrinsecam defendunt, nihil aliud agunt, quam ut Deo adiungant principium aliquod coaeternum extrinsecum, quod ipse in assignandis rerum formis sequi necesse habuerit. Ergo falsum est, actionibus nostris intrinsecam competere bonitatem, vel malitiam atque intrinsecam moralitatem.

a) I. N. & G. Lib. I. Cap. II. §. VI.

§. XXIII.

Responsio.

Respondeo. Concedo maiorem, sed nego minorem. An is, qui docet, Deum non posse efficere, ne bis duo sint quatuor, Deum non posse falsum nomen rei affingere, & quae sunt reliqua, Deo adiungit principium aliquod coaeternum atque extrinsecum? Eiusmodi quoque principio coaeterno extrinsecum hic, ut cum Magno MASCOVIO *a)* loquar, non opus est, cum idem, quod ab eo expectatur, praestet principium intrinsecum sapientiae & bonitatis diuinae, qua Deus ea, quae naturae humanae conueniunt, intelligit, quia perfecte sapiens est, vult, quia perfecte bonus.

a) in Not. ad l. c. PUFENDORF II.

§. XXIV.

*Obiectio
quinta.*

Pergit PUFENDORF l. c.: fatentur omnes, Deum uti omnia, ita & hominem liberrima voluntate creasse; cui consequens

sequens est, in beneplacito eiusdem fuisse, qualem ei, quem creaturus erat, naturam vellet assignare. Qua ratione igitur actioni hominis possit competere aliqua affectio, quae ex necessitate intrinseca & absoluta, extra Dei impositionem & beneplacitum permanet? Sic ut reuera omnes motus & actiones hominis, remota omni lege tam diuina, quam humana, sint indifferentes; earum autem aliquae ideo tantum naturaliter honestae, aut turpes dicantur, quod eas fieri aut omitti quam maxime requirat conditio naturae, quam Creator homini libere attribuit. Non autem, quod citra omnem legem in ipso motu, & adplicatione potentiae physicae per se insit aliqua moralitas.

§. XXV.

Respondeo, verum esse & satis probatum, Deum vti omnia, *Responso.* ita & hominem liberrima voluntate creasse; sed inde non sequi, in beneplacito Dei fuisse, qualem ei, quem creaturus erat, naturam vellet assignare. *Primo* enim notandum est, Philosophos distinguere inter essentiam rerum, quae creatae sunt, & earum existentiam. Hanc a liberrima Dei voluntate dependere manifestum est ex theologia naturali *a)*, sed illam non esse liberrimae Dei voluntatis, vel inde patet, quia quaelibet res per essentiam suam talis est, quae est, ideoque contradictionem inuoluit, liberrima quadam voluntate determinatae alicui rei essentiam assignare, qualem non habet, quia est talis. Qui vult triangulum facere, spatium non quatuor, sed tribus solum lineis terminare potest; nihilo tamen minus a liberrima illius voluntate existentia trianguli dependebit. *Porro* ponamus, in beneplacito Dei fuisse, qualem homini, quem creaturus erat, naturam vellet assignare, quaenam erit ratio, cur hominem non creauerit infinitum? *Tandem* sententia illa principiis, quae ipse PUFENDORF posuit, repugnare videtur. Agnoscit mentiri repugnare perfectioni diuinae. Sed quaenam est huius repugnantiae ratio? si essentiae rerum a liberrima Dei voluntate dependeant; *Id* mentiri quoque non repugnabit perfectioni

ctioni diuinae, si Deus vellet, vt perfectionibus diuinis non repugnaret.

a) Th. nat. §. 74.

§. XXVI.

*Obiectio
sexta.*

Praeterea pergit PVFENDORF. l. c. videmus quotidie bruta tales actus exercere citra peccatum, quibus homo patris grauiissimo se scelere fuerat obstricturus. Non, quod motus physicus hominis & bruti in se differant; sed quia quibusdam hominis actionibus moralitas per legem est imposita, quae a bruti actibus abest.

§. XXVII.

Responsio.

Respondeo. Concedo antecedens, sed nego consequentiam. Non enim necesse est, vt eiusmodi differentiae ratio sit moralitas per legem actionibus quibusdam imposita. Sed ipsa natura humana, a natura brutorum diuersa, eiusmodi differentiae ratio esse potest. Quod hac ratione euinco. Stimuli essentialia bruta ad ea solum agenda ducunt, quae ad conseruandam existentiam necessaria: stimuli vero essentialia hominum ita constituti sunt, vt non ad ea solum ducant, quae ad conseruationem necessaria, sed & ad ea, quibus vires augeri magisque perfici queunt (§. 19. obi. 3.). Quae cum ita sint, manifestum est, ratione brutorum id solum malum esse, quod conseruationem destruit, hominum vero ratione id quoque malum esse, quod impedit, quo minus vires augeri magisque perfici queant (§. 4. obi. 13.). Itaque in eo, quo brutorum natura ab hominum natura distinguitur, ratio latere potest, vt, quod brutorum ratione indifferens est, hominum ratione sit malum.

§. XXVIII.

Obiectio septima.

Pergunt alii a), si daretur aliquid bonum & malum morale ante legem, quomodo obligatio, quae non nisi a superiore proficiscitur, ibi adesse posset? nam bonum & malum morale inuoluit respectum ad personam, quae istam actio-

actionem edit; cui si nulla est obligatio, neque etiam est bonum aut malum.

a) vid. OSIANDER in Notis ad Grotium p. 60.

§. XXIX.

Respondeo: concedo bonum & malum morale inuolueret respectum ad personam, concedo quoque nec bonum nec malum esse morale, si nulla esset personarum obligatio. In argumentatione vero, quae sequitur: *si obligatio non nisi a superiore proficiscatur, nec bonum nec malum morale erit, nisi per superioris voluntatem*, nego & veritatem antecedentis & veritatem consequentiae. Sed de hoc infra in meditatione, qua ea, quae obligationis ratione notanda sunt, euoluturus sum.

§. XXX.

Praeterea argumentantur dissentientes: Si daretur quaedam bonitas actionum intrinseca extra Dei voluntatem, Deus contraria illis principiis praecipere non posset; at videmus, Deum plures actus, quos in genere vetuit, certis casibus adprobasse. Itaque manifestum est, malitiam atque bonitatem actionum a Dei voluntate dependere, ideoque extra prohibitionem Dei omnia esse indifferentia.

§. XXXI.

Respondeo. Concedo consequentiam, sed nego, Deum certos actus, quos in genere vetuit, certis casibus ea ratione adprobasse, qua legibus illis generalioribus, ex intrinseca malitia fluentibus, repugnant. Eo enim in casu, quo Deus v. g. homicidium permittit, cessat ratio illa, per quam intrinsece malum; cessante vero ratione, per quam aliquid malum, illa desinit esse mala. Qui itaque contrarium corroborare cupit, probare debet, Deum actum quendam, qui intrinsece malus est, eo casu adprobasse, quo ratio, per quam intrinsece malus est, locum habet.

Q 2

§. XXXII.

§. XXXII.

*Obiectio
2ma.*

Tandem ZIMMERMANN a) sententiam de intrinseca bonitate vel malitia atque intrinseca actionum moralitate argumentatione, quae sequitur, oppugnauit: Itaque rationem in medium proferre decebat, cur tantopere laborandum aduersarii existiment, vt ne lex Dei decretumque diuinae voluntatis pro norma nostrorum factorum accipiarur. Difficillimum autem hoc fuerit, immo plane ab illis fieri non poterit, nisi in atheismi forte fauorem id se facere, consiteri velint. Certum enim hoc est, atheum quoque hominem tale ius naturae, quod Deum legislatorem non agnoscit, & componere & admittere sine vlllo periculo posse; tum vero ius naturae amplius non est, nec manet.

a) Diss. de actionum humanarum moralitate Ienae 1728. hab. p. 8.

§. XXXIII.

Responso.

Ad primam obiectionis partem, quae est haec: *bonitatem vel malitiam intrinsecamque actionum moralitatem sine ratione defendi*, respondeo hoc sine ratione dictum esse. Sententia enim illa rationibus atque argumentis nondum eneruatis satis confirmata est. Quoad alteram obiectionis partem, nimirum intrinsecam actionum moralitatem bonitatem atque malitiam non nisi in fauorem atheismi posse defendi, nego consequentiam. Si v. g. princeps nihil prohibeat, nisi quod intrinsece malum, & nihil praecipiat, nisi quod intrinsece bonum, quis inde inferri poterit, Principem illum non existere? e contrario eiusmodi ratio ferendi leges sapientiam benignitatemque Principis manifestabit, quas ea ratio ferendi leges, qua omnis actionum moralitas a solo Principis arbitrio dependet, obscurat. Manifestum itaque est, doctrinam de intrinseca actionum moralitate animos hominum magis ad Deum adducere quam ab eodem reducere. Haec quoque sufficient ad eneruanda ea, quae in *tertia huius obiectionis parte* posita sunt. Hoc quidem concedo, eum, qui est atheus, ob intrinsecam actionum bonitatem vel malitiam moralitatemque actionum intrinsecam ius naturae posse

se componere, nego vero, hoc sine vilo periculo, seu ad corroborandum atheismum fieri posse. Dicit quidem opponens doctissimus, hoc non amplius esse ius naturae, nec manere. Sed nec ea, quae in praecedentibus monita sunt, nec hoc argumentis probavit, nostra vero sententia claris argumentis signisque lucet. Sed de his plura infra in observationibus de obligationibus & de legibus.

OBSERVATIO XV.

DE

NATVRALI ACTIONVM HVMANARVM INDIFFERENTIA.

§. I.

Haec de intrinseca actionum bonitate vel malitia, intrinsecaque actionum humanarum moralitate. Progredimur ad doctrinam de naturali actionum humanarum indifferentia. Multae sunt huius vocis diuersaeque significationes. Sumitur enim *primam obiective*, pro eiusmodi actionum qualitate, qua sunt consimiles seu aequaliter bonae *a)*. *Deinde* sumitur *subiective*, pro facultate ex aequaliter bonis aliquid eligendi vel repudiandi. *Tandem* sumitur *formaliter*, pro eiusmodi actionum qualitate, qua nec bonae nec malae, vtriusque tamen moralitatis capaces sunt *b)*.

Diuersae actionum indifferentiae significationes enumerantur.

a) Col. II. 16.

b) vid. HOCHSTETTER in Colleg. Pufend. Exerc. II. §. XXXVII.

§. II.

Primo ponitur quaestio de formali actionum humanarum indifferentia. Sunt, qui hancce actionum humanarum indifferentiam negant, sunt quoque, qui eandem defendunt. Meam hac de re sententiam hac ratione accipe. Actio humana & in abstracto & in concreto spectari potest. *In abstracto* spectatur, quatenus de eiusmodi actione formatur notio & in ea solum inquiritur, quae ex notione illa, quae tali, fluunt. *In concreto* spectatur, quatenus in eas quoque inquir-

Actio humana quando in abstracto & quando in concreto spectatur.

inquiritur determinationes, quas actio illa a circumstantiis accipit.

SCH. Sic v. g. J° saltare spectatur in abstracto, quatenus solum responderetur ad quaestionem, quid sit. Spectatur vero in concreto, si simul finis, loci, temporis, status eius, qui saltat, aliarumque circumstantiarum habetur ratio.

§. III.

Quando in abstracto & quando in concreto sit bona vel mala.

Iam facile patet, quid sit *actio in abstracto bona vel mala*, & quid sit *actio in concreto bona vel mala*. Quum enim actio sit bona vel mala per consecutaria, quae inde fluunt (§. 6. obs. 1. 3.), consequens est, actionem in abstracto esse bonam vel malam, si consecutaria, per quae sit bona vel mala, ex nuda actionis notione concipienda, & actionem in concreto solum bonam vel malam esse, si consecutaria, per quae sit talis, non concipienda, nisi actio spectetur in relatione ad circumstantias, sub quibus suscipitur (§. 2.).

§. IV.

Actio quando in abstracto formaliter indifferentis.

Ratione actionum, quae in abstracto bonae vel malae sunt, nulla datur indifferentia formalis. Actiones vero, quae solum in concreto bonae vel malae sunt, quatenus in abstracto spectantur, sunt formaliter indifferentes. Ponamus actionem, quae in abstracto bona vel mala est, ex nuda huius notione fluent consecutaria, per quae est bona vel mala (§. 3.). Quare, quum posita ratione sufficiente, id quoque poni debeat, cuius est ratio sufficiens: &, quum posita actione, notio etiam huius actionis ponenda; sequitur, ut actio, quae in abstracto bona vel mala est, poni nequeat, nisi quatenus sit bona vel mala, ideoque ratione actionum, quae in abstracto bonae vel malae sunt, nulla detur indifferentia formalis (§. 2.). Q. e. p.

Ponamus porro actionem, quae solum in concreto spectata, bona vel mala vocari potest, consecutaria, per quae est bona vel mala, non fluent ex nuda actionis notione, sed ex contingentibus circumstantiis, sub quibus actio illa suscipitur (§. 3.). Cessantibus itaque circumstantiis illis, cessat quoque

quoque id, per quod actio, de qua sermo est, bona vel mala vocari potest. Nuda itaque eiusmodi actionis notio non sufficit, vt actio illa vocetur bona vel mala. Ex quo sequitur, vt actiones, quae solum in concreto bonae vel malae sunt, quatenus in abstracto spectantur, sint formaliter indifferentes. Q. e. a.

SCH. Actio, qua quis alterum laedit, in abstracto mala est. Ex nuda enim turbationis notione fluunt consecutaria, per quae est mala. Nullae itaque determinari possunt circumstantiae, sub quibus actio illa ea ratione suscipi queat, vt naturam actionis bonae acciperet. Deambulatio est actio, quae solum in concreto bona vel mala. Suscipiatur animi relaxandi gratia eo tempore atque eo loco, quo conseruationi atque adquisitioni perfectionum non repugnat, & erit bona. Suscipiatur eadem actio sub aliis circumstantiis, quae eiusmodi consecutiorum causa sunt, quae perfectiones destruunt, aut maiorum perfectionum adquisitionem impediunt, & actio illa erit mala. Si itaque actio illa in abstracto spectetur, erit formaliter indifferens.

§. V.

Colligimus inde *primo*, vt actio, quae in abstracto vel bona vel mala, etiam in concreto sit talis. *Porro* vt actio, quae in concreto solum bona vel mala, si sub certis quibusdam circumstantiis sit mala, sub aliis circumstantiis bona esse possit. *Tandem* vt actio, quae in abstracto formaliter indifferens, sub iis circumstantiis, sub quibus intrinsece mala, bona, & sub iis circumstantiis, sub quibus intrinsece bona, mala fieri nequeat (§. 11. obf. 13.).

*Non-nuda
inde fluunt
consecutaria.*

§. VI.

Actiones humanae, naturaliter spectatae, non sunt formaliter indifferentes. Quum enim actio formaliter indifferens sit ea, quae nec bona nec mala (§. 1.); sequitur, vt ea ratione, qua omnes actiones aut bonae aut malae sint, non detur actio formaliter indifferens. Enimuero omnes actiones nostrae intrinsece sunt aut bonae aut malae (§. 9. obf. 13. &

*Non datur
formalis
actionum
humanarum
indifferentia.*

§. 10.

§. 10. obf. 14.). Actiones ergo humanae naturaliter spectatae non sunt formaliter indifferentes.

§. VII.

*Resolutio
dubii.*

Sed fortasse dixerit quispiam: si actiones humanae, naturaliter spectatae, non essent formaliter indifferentes, nullae erunt actiones, quae in concreto solum bonae vel malae sunt. Sed falsum est posterius (§. 4.) Ergo & prius. *Respondeo*, negandam esse consequentiam. Si enim dicamus, actiones, quae in concreto solum sunt bonae vel malae, quatenus in abstracto spectantur, esse formaliter indifferentes, inde non fluet, quasdam actiones naturaliter spectatas esse formaliter indifferentes. Quum enim actio in abstracto spectata proprie non sit actio, sed solum notio atque conceptus, quem de actione quadam sine respectu ad circumstantias, sub quibus suscipienda, formamus; huius formulae: *quaedam actiones humanae, in abstracto spectatae, sunt formaliter indifferentes*, hic erit sensus: quaedam actiones humanae ita comparatae sunt, ut nuda, quas de iisdem formamus notiones, id non habeant, ex quo fluit responsio ad quaestionem: an sint intrinsece bonae vel malae, sed responsio ad illam, quae posita est, quaestionem deduci solum potest ex eiusmodi actionum notionibus per circumstantias, sub quibus suscipiuntur, magis determinatis.

SCH. Quae de argumentationibus, quae ad contrariam sententiam corroborandam ponuntur, notanda sunt, vberius fusiusque disputauimus §. 16-33, obf. 14.

§. VIII.

An propositio: quod actiones aequaliter bonae sint impossibiles, sit probata.

Haec de formali actionum humanarum indifferentia, sequitur indifferentia obiectiua, quae est eiusmodi actionum qualitas, qua sunt aequaliter bonae (§. 1.). Prima, quae hic ponitur quaestio, haec est: an aequaliter bona possibilia sint? Sunt qui negant. Sunt e contrario, qui affirmant. Illi aut ad principium, quod Philosophi principium identitatis indiscernibilium vocant, aut ad eam prouocant propositionem, qua

qua defenditur, omnes actiones humanas aut esse bonas aut malas. Prima argumentatio haec erit: Duo perfecte eadem non sunt possibilis. Ergo nec duo aequaliter bona poni possunt. Ergo nec actiones aequaliter bonae. Nulla itaque datur indifferentia actionum humanarum obiectiua. *Respondeo primo:* principium illud, duo perfecte eadem non esse possibilis, ea significatione, qua obuiam ad thesin corroborandam adcommodatur, nec probatum esse, nec inter ea, quae vera sunt, referri posse a). *Deinde:* principium illud, si sit verum, non tamen esse sufficiens ad inferendum, ut non dentur duo aequaliter bona. Ex eo enim, ut duo sint aequaliter bona, non sequitur, ut sint perfecte eadem, sed id solum sequitur, ut ratione bonitatis eadem sint. Ponamus, duo perfecte eadem esse impossibilis, quis inde inferre poterit: plures lineas ratione extensionis aequales esse impossibilis?

a) Conf. die erste Abhandl. in der dritten Samml. meiner philosophischen Nebenstunden.

§. IX.

Altera argumentatio haec erit: si omnes actiones humanae intrinsece aut sint bonae aut malae, consequens erit, actiones humanas aequaliter bonas esse impossibilis. Sed verum est prius (§. 9. obs. 13.). Ergo & posterius. *Respondeo,* negandam esse consequentiam. Actiones enim, quae per naturam aequaliter bonae sunt, inter actiones, quae intrinsece bonae sunt, referri debent.

Huius continuationis.

§. X.

Ex eo, quod actiones humanae intrinsece aut sint bonae aut malae, non sequitur, ut indifferentia actionum humanarum obiectiua poni nequeat. Quo enim ex principio non sequitur, ut quaedam actiones humanae sint nec bonae nec malae, id verum esse potest, salva manente veritate principii, quod docet, actiones humanas intrinsece aut bonas aut malas esse. Enim vero ex eo, quod plures actiones humanae

Quod omnes actiones sint intrinsece bonae vel malae non negat indifferentiam obiectiuam.

R

sint æqualiter bonae, non sequitur, vt eiusmodi actiones sint nec bonae nec malae. Ergo & verum esse potest, vt actiones humanae sint æqualiter bonae, licet & verum sit, vt omnes actiones humanae intrinsece aut sint bonae aut malae. Hoc itaque principium non sufficiet, ad obiectiuam actionum humanarum indifferentiam inter ea, quae falsa sunt, referendam (§. 1.).

§. XI.

Ergo negatio indifferentiae formalis obiectiuam non negat.

Colligimus inde, a negatione indifferentiae actionum humanarum formalis, ad negationem indifferentiae actionum humanarum obiectiuae non valere consequentiam (§. 1. 10.).

§. XII.

Possibilia sunt plura remedia æqualiter bona.

Plura subsidia remediaque, quibus eundem finem adipisci possumus, æqualiter bona possibilisunt. Quum enim subsidia remediaque sint ea, quae rationem sufficientem existentiae finis, quem adipisci studemus, continere possunt; manifestum est, bonitatem subsidiarum remediorumque dependere ab eo, si eorum vsu finis ille fieri possit existens: ideoque subsidia remediaque æqualiter bona esse, si eorum vsu idem finis, eodem modo eademque qualitate existens fieri possit. Enim vero plura subsidia remediaque, quibus idem finis, eodem modo eademque qualitate existens fieri potest, possibilis esse, vel ex methodo ex notione finis inuestigandi remedia patet. Eiusmodi enim inuestigatio est resolutio problematis, & ex praeceptis logices manifestum est, notioni resolutionis problematum non repugnare, vt vnum idemque problema variis rationibus, complete resolveretur. Ergo & plura subsidia remediaque, quibus eundem finem adipisci possumus, æqualiter bona possibilisunt.

SCH. Idem est, quod perauulgatam illud: *vnus rei plures esse possunt causae.*, docet, & quod experientia confirmat. Non enim in mathematicis solum, sed & in moralibus permulti obveniunt casus; quibus eundem finem diuersis remediis eodem modo eadem-

eademque qualitate possumus adipisci. Sit v. g. problema mathematicum: *inuenire aream Trianguli, prima* huius resolutio erit: multiplicetur basis per altitudinem, & productum diuidatur bifariam. *altera*: basis dimidia multiplicetur per altitudinem. *tertia*: basis per altitudinem dimidiam multiplicetur. Quae problematis resolutiones licet sint diuersae, tamen aequaliter bonae. Sic & in moralibus deambulationes animi relaxandi gratia sub his siue sub aliis circumstantiis susceptae erunt aequaliter bonae. Et quae sunt reliqua.

§. XIII.

Dissentientes argumentantur: *Ex quo sequitur, fieri Resolutio posse, ut aliquid sine ratione sufficiente velimus, id poni non aucti. potest. Si plura subsidia remediaque aequaliter bona possibilis essent, fieri quoque poterit, ut aliquid sine sufficiente ratione velimus. Ergo & plura subsidia remediaque aequaliter bona ponere, rationi repugnat. Sed nego minorem. Maiorem mittamus. Qui enim determinatum quendam finem vult adipisci, is quoque cum sufficiente ratione vult medium, sine quo finis ille existens fieri nequit. Iam ponamus, huncce intelligere plura subsidia remediaque ad obtinendum finem illum aequaliter bona esse possibilis. Ergo ratio sufficiens poseet, aut vt finem illum mittat, aut vt omnia, aut vt vnicum medium velit. Primum non esse, inde patet, quia remedia adsunt, quibus finis ille existens fieri potest. Alterum non esse, inde manifestum est, quia vnicum remedium ad finem illum obtinendum sufficit. Sequitur itaque, vt cum sufficiente ratione vnicum velit remedium. Sed quale? quia omnia illa remedia aequaliter sunt bona, perinde erit, siue hoc siue illud vult. Quare, quum sponte agere possit; cum sufficiente ratione aget, si positis illis circumstantiis id vult, quod licet sine speciali quadam eligendi ratione lubet.*

SCH. Haec, quae euoluta sunt, experientiae non repugnant. Volo v. gt. inuenire obuii Trianguli aream, & intelligo, hoc fieri posse, *primo* si basis per altitudinem multiplicetur, & productum diuidatur bifariam, *secundo*, si basis multiplicetur per altitudinem

dinem dimidiam, *tertio*, si basis dimidia multiplicetur per altitudinem. Porro intelligo, perinde esse, siue prima, siue altera, siue tertia ratione problema illud resolvam. Multiplico itaque basin per altitudinem dimidiam, & nemo forsitan dicet, hoc factum esse sine ratione sufficiente; licet nulla adsit ratio sufficiens specialissima, qua commotus sum, ad hanc viam reliquis praeferendam. Ratio enim huius sufficiens est, quia volo aream Trianguli inuenire: quia intelligo, & prima & secunda & tertia via problema illud aequali modo posse resolui: quia perspicio, perinde esse, siue hac siue illa via problema illud resolvam: & tandem, quia ea gaudeo facultate, qua id, quod lubet, agere possum. Et quae sunt reliqua *a*).

a) Conf. Psychol. empir. §. 106. ff.

§. XIV.

*Inde non-
nullarum
actionum
humana-
rum indiffe-
rentia obie-
ctiva finit.*

Non-nullae actiones humanae, si secundum naturam spectentur, sunt obiective indifferentes. Quum enim plura subsidia remediaque, quibus eundem finem adipisci possumus, aequaliter bona sint possibilis (§. 12.): & quum remedia illa actionibus quoque humanis efficiantur; consequens est, non-nullis actionibus humanis, quatenus secundum naturam spectantur, talem competere qualitatem, qua sunt aequaliter bonae. Ideoque non-nullas actiones humanas secundum naturam spectatas esse obiective indifferentes (§. 1.).

SCH. Sic secundum naturam obiective indifferens est, vtrum quis ad fidem testamenti faciendam adhibeat tres an quatuor testes fide dignos, vtrum quis sua iura propria vi, an aliorum auctoritate exercent. Et quae sunt reliqua.

§. XV.

Tertium indifferentiae actionum humanarum genus est *indifferentia subiectiva*, per quam intelligimus facultatem ex aequaliter bonis aliquid eligendi vel repudiandi (§. 1.). Eiusmodi quoque indifferentiam, si res naturaliter spectatur, adesse, hac ratione euinco: Facultas illa aut spectatur physice aut moraliter. Si *illud*, hic erit sensus, per nos fieri posse,

vt

vt ex aequaliter bonis aliquid eligamus vel repudiamus. Quare, quum ipsa doceat experientia, idem per nos fieri posse (§. 13. Sch.); manifestum est, indifferentiam subiectiuam physice spectatam existere. Si hoc, hic erit sensus, actionem, qua ex aequaliter bonis hoc eligimus & illud repudiamus, secundum naturam non esse malam. Adhucce indifferentiam subiectiuam corroborandam, hac ratione argumentor. Qua ratione perinde est, siue hoc siue illud suscipiam, ea quoque ratione malum esse nequit, si hoc eligam & illud repudiem. Enim vero, si obuiaae actiones secundum naturam sint aequaliter bonae, secundum quoque naturam perinde est, siue hanc siue illam suscipiam. Ergo & secundum naturam actio mala esse nequit, qua ex aequaliter bonis hoc eligimus & illud repudiamus. Secundum itaque naturam datur indifferentia actionum humanarum subiectiua.

SCH. Hoc permultum facit ad explicandam libertatem naturalem, quae a doctoribus in controuersiam deducta est. De qua suo loco plura.

OBSERVATIO XVI.

Ad §. 71-74.

DE

OBLIGATIONE MORALI.

§. I.

Vocabulum *obligationis* originem trahit a particula *ob*, & verbo *ligare*, quod idem est ac vincire: *binden*, cuius efficaciam auget dicta particula *ob*, quae firmitatem significat. Ideoque obligare vi originis idem est ac firmiter ligare, *festē binden*. Sic *Euryppylus* apud CICERONEM a) medicum requirebat, a quo obligaretur. Eiusmodi est spontaneitatis natura atque conditio, vt in utramque partem sese possit flectere. Quicquid itaque vim, quae sponte, id est, cum contingentia formali agere potest, necessitate quadam adstringit ad hoc & non aliud, hoc & non alio modo agendum, id vim illam quasi ligat atque obligat. Vnde vulgatum illud:

Generalis
voci obliga-
tionis signi-
ficatio

R 2

Verba

Verba ligant homines; taurorum cornua funes.

Hinc factum est, ut vocabulum *obligationis* in philosophia practica receptum sit ad denotandam necessitatem hoc & non aliud, hoc & non alio modo sponte agendi.

SCH. Nonnulli b) obligationem generatim sumtam definiunt per quamcunque agendi vel non-agendi necessitatem. Sed hancce vocis significationem grammaticealem quidem non vero technicam esse, de qua hic sermo est; vel inde patet; quia secundum loquendi usum, qui receptus est, entibus, quae ad uniformem agendi modum intrinsece sunt determinata, non constituitur obligatio.

a) Tuscul. qu. II.

b) Conf. Praeclarissimi WINKENII Dissertatio prima de notionem obligationis atque legis 1739. Quedlinburgi hab.

§. II.

*Quae est
vel moralis
vel non-
moralis.*

Et bruta & homines sponte agere possunt. Ea est spontaneitatis, quae animali, qua tali, inest, natura atque conditio, ut sese in id solum flectat, ad quod animal externa ducitur sensatione. Et ea est natura atque conditio spontaneitatis, quae homini; qua tali, inest, ut sese in id quoque flectere possit, quae intellectui obveniunt (§. 116. ff. Psych. rat.). Illa itaque ex spontaneitate fuit solum facultas attendendi, hac vero ex facultate non attendendi solum sed & reflectendi descendit facultas. Ex quo colligimus, actionem, quae a spontaneitate hominis, qua talis, dependet, ad libertatem referendam esse, actionem vero, quae ab ea dependet spontaneitate, quam homines cum brutis communem habent, ad libertatem non esse referendam (§. 10. obi. 2.) Quare, quum actio ad libertatem referenda, moralis, & actio ad libertatem non-referenda non-moralis vocetur (§. 54. I. N.); sequitur, ut obligatio, quae illam spectat spontaneitatem, *moralis*, & quae hanc spectat spontaneitatem, *non-moralis* vocari queat.

§. III.

*Natura ob-
ligationis*

Haec itaque est natura *obligationis moralis*, efficere, ut oppositum eius, quod ea ratione sponte agimus, qua ad liber-

ber-

bertatem nostram referri potest, nobis sit impossibile (§. 2. ^{moralis} & §. 1. ^{magis ex-} ^{placatur} *obl.* 12.). Eiusmodi agendi necessitatem doctores vo-
cant *moraalem*. *Obligationem* itaque *moraalem* definire possu-
mus per *moraalem* necessitatem agendi. Quae est definitio,
quam Per-III. L. B. de Wolf §. 118. P. II. Phil. pract. vni-
uers. dedit.

§. IV.

Coactio physica, qua talis, non est obligatio moralis. Quic-
quid enim nos ea ratione ad agendum determinat, vt actio, ^{Quae non}
quae inde suscipitur, non fiat sponte, id non est obligatio ^{est coactio}
moralis (§. 3. 1.). Quicquid nos physice ad agendum cogit, ^{physica.}
id nos ea ratione ad agendum determinat, vt actio, quae in-
de suscipitur, non fiat sponte (§. 11. *obl.* 12.). *Coactio* ita-
que *physica*, qua talis, non est obligatio moralis.

§. V.

Quicquid nos ad agendum moraliter obligat, id nos ad
agendum aut moraliter cogit aut inuitat. Quicquid enim nos ^{Sed aut co-}
ad agendum moraliter obligat, id facit, vt oppositum eius, ^{actio mora-}
quod ea ratione sponte agimus, qua ad libertatem nostram ^{lis aut inui-}
referri potest, nobis sit impossibile (§. 3.), ideoque vt nobis ^{tatio.}
absolute aut respectiue, posito nimirum statu nostro, sit impos-
sibile. Prius non esse, patet ex natura spontaneitatis, quae
obligatione morali non tollitur (§. 9. *obl.* 12. §. 3.). Est ita-
que posterius, id est, obligatio moralis solum efficere potest,
vt oppositum eius, quod dicta ratione sponte agimus, nobis
posito statu nostro sit impossibile, ideoque aut simpliciter,
aut secundum quid. Si prius, obligatio moralis erit coactio
physica (§. 3. *obl.* 12.). Quare quum fieri non possit, vt co-
actio *physica* sit obligatio moralis (§. 4.); sequitur, obligatio-
nem *moraalem* solum efficere, vt oppositum eius, quod dicta
ratione sponte agimus, nobis posito statu nostro secundum
quid sit impossibile, ideoque aut sub conditione euitandi
mali, aut sub conditione acquirendi boni. Si illud, erit *coactio*
moralis (§. 5. *obl.* 12.), si hoc, erit *inuitatio* (§. 7. *obl.* 12.).
Quicquid itaque nos ad agendum moraliter obligat, id nos
ad agendum aut moraliter cogit, aut inuitat.

§. VI.

§. VI.

*Quas obli-
gationem
moralem
constituere
possunt.*

Et coactio moralis & inuitatio nos ad agendum moraliter potest obligare. Quicquid enim facere potest, vt oppositum eius, quod ea ratione sponte agimus, qua ad libertatem nostram referri potest, nobis sit impossibile, id quoque nos ad agendum moraliter potest obligare (§. 3.). Quare, quum & moralis coactio & inuitatio facere possit, vt oppositum eius, quod ea ratione sponte agimus, qua ad libertatem nostram referri potest, nobis sit impossibile (§. 13. & 14. obs. 12.); sequitur, & coactionem moralem & inuitationem nos ad agendum moraliter posse obligare.

SCH. THOMASIVS quidem in obseruatione XXVII. obseruation. Hallens. Tom. VI. omnem obligationem in metu poenae posuit, dum *internam* vocauit obligationem; cum homo, cuius voluntas alio inclinatur, metuit grauius malum, ex naturali connexionne oriundum: & *externam*, cum homo, cuius voluntas alio inclinatur, metuit grauius malum, a libero arbitrio eius dependens, qui potestatem habet tulla inferendi. In *Fundamentis* vero *iuris naturalis & Gentium a* eandem, quam corroborauimus, sententiam, obligationemque in metu periculi & spe lucri consistere, verbis, quae sequuntur, docet: *Interna est obligatio, quae oritur ex conscientia periculi naturalis, ex ordinatione potentiae primae & aeternae necessario operantis, vt euitari non possit; vel lucri ex natura rei etiam necessario profluentis; externa, quae oritur ex metu & spe lucri & periculi incerti, ab arbitrio humano dependens, quod astutia forte eludi, vel alio modo euitari potest.*

a) L. 1. Cap. IV. §. LXI. Conf. CUMBERLAND de Leg. nat. cap. V. §. 27. ff.

§. VII.

Inde obligatio moralis est vel cogens vel inuitans.

Duo itaque sunt obligationis moralis genera, *alterum* ad sponte agendum moraliter cogit, *alterum* ad sponte agendum inuitat. Illius generis obligationem perspicuitatis causa *rogentem*, & huius generis obligationem *inuitantem* vocabimus.

§. VIII.

§. VIII.

Manifestum inde est, quae observatione 12. de coactione morali dicta, ad obligationem cogentem, & quae in eadem observatione de invitatione dicta sunt, ad obligationem invitantem adcommodanda esse. Ideoque varios & obligationis cogentis & obligationis invitantis possibiles esse gradus (§. 5. & 8. obs. cit.). Quo maior itaque est coactio moralis, quam obligatio cogens inuoluit, eo maior est obligatio cogens, & quo maior est invitatio, quam obligatio invitans inuoluit, eo maior est obligatio invitans.

§. IX.

Oritur inde diuisio obligationis moralis in obligationem *moralem in specie* sic dictam & *obligationem politicam*. Ponnatis enim *Carum* moraliter obligatum esse ad aliquid agendum, oppositum eius *Caio*, sub conditione aut evitandi mali, aut boni acquirendi erit impossibile (§. 5. 6.) Eiusmodi mali aut boni sub conditione actionis, de qua sermo est, perpetrandae adquisitio aut certa, aut solum probabilis est. Si prius, *obligatio moralis est in specie talis*, & si posterius, vocatur *obligatio politica*.

SCH. Ex quo patet, aliam esse obligationem moralem in oppositione ad non-moralem; aliam in oppositione ad obligationem politicam. Obligatio moralis simpliciter posita sumatur in oppositione ad non-moralem.

§. X.

Quicquid solum ob obligationem cogentem agimus, id agimus inuite; quicquid vero ob obligationem invitantem agimus, id agimus volentes. Quicquid enim ob coactionem moralem agimus, id agimus inuite (§. 13. obs. 12.), & quicquid ob invitationem agimus, id agimus volentes (§. 14. obs. cit.). Quicquid solum ob obligationem cogentem agimus, id agimus ob coactionem moralem, & quicquid ob obligationem invitantem agimus, id agimus ob invitationem (§. 7.). Ergo & priori ratione inuite, posteriori vero volentes agimus.

S

§. XI.

§. XI.

*Obligare
idem est, ac
motiua cum
actione con-
nectere.*

Aliquem ad aliquid agendum moraliter obligare, idem est, ac tum eiusmodi actione motiua connectere. Sit obligatio illa cogens. Ergo aliquem ad agendum obligare idem erit, ac efficere, vt hic cogitare possit, eiusmodi actionis omissionem esse causam acquirendi mali. Sit obligatio illa inuitans. Ergo aliquem ad agendum obligare idem erit, ac efficere, vt hic cogitare possit, eiusmodi actionis productionem esse causam acquirendi boni (§. 7. 3. & §. 5. 7. Jobl. 12.). Quare, quum eiusmodi cogitationes sint motiua (§. 36. I. N.); sequitur, vt aliquem ad aliquid moraliter obligare idem sit, ac cum eiusmodi actione motiua connectere.

§. XII.

*In le defini-
tio de obliga-
tione a re-
centioribus
recepta.*

Fluit inde definitio obligationis a Per-III. L. B. de WOLF a) data, qua obligatio est connexio motiui cum actione. Vocauit hancce obligationem *actiuam*, & illam, de qua §. 3. diximus, *passiuam*, quia connexio motiui cum actione est actus, cuius effectus est necessitas illa agendi moralis.

a) §. 113. P. II. Phil. pract. vniuers.

§. XIII.

*Datæ defi-
nitionis
vsus loquen-
di probatur.*

Definitionem de obligatione morali datam hucusque euolutam vsui loquendi conuenienter formatam esse, hac ratione euinco. Iuris Romani doctores *obligationem* definiuerunt vinculum iuris, quo necessitate adstringimur alicuius rei præstandae. Euoluamus notiones terminorum, qui hancce definitionem ingrediuntur, & facile erit intelligere, hancce definitionem nostrae congruere. *Rei* vocem hic late accipiendam esse, vt & facta comprehendat, notum est. *Vinculum* hic idem significare quod nexus, nulla indiget probatione. Est itaque obligatio eiusmodi nexus iuris, quo necessitate adstringimur ad aliquid agendum: Sermo hic est aut de actionibus ad libertatem referendis, aut de eiusmodi actionibus, quae ad libertatem referri nequeunt. Hoc non esse, inde

inde patet, quia hic sermo est de eiusmodi agendi necessitate, quae vinculo iuris constituitur. Est itaque prius, ideoque obligatio secundum huncce loquendi usum est moralis necessitas agendi (§. 3.), & obligatio, quatenus actiue spectatur, est connexio motiui cum actione (per dem. §. 10.).

§. XIV.

Idem sequitur ex definitione de obligatione a PVFENDORFIO a) data, qua obligatio est qualitas moralis operatiua, qua quis praestare, aut pati quid tenetur. Non sine commodo erit demonstrare, ut huius & nostrae definitionis significationes conueniant, quippe infra aduersus Pufendorffianorum hypothesen, obligationem naturalem ex intrinseca actionum humanarum bonitate atque malitia, intrinsecaque moralitate ortum trahere defensus sum. Per qualitates morales PVENDORFIVS b) intelligit modos, secundum quos personae certa ratione affectae, & has vocat operatiuas, si secundum eiusmodi modos res apta, aut efficax concipiatur ad actum. Ex quo fluit, obligationem secundum PVENDORFIVM esse qualitatem personae, quae ad agendum ea ratione determinat, ut eiusmodi agendi modus sit necessarius, seu quod idem significat, obligationem moralem esse necessitatem agendi. Actiones, de quibus hic sermo est, etiam secundum PVENDORFIVM ad libertatem referendas esse, inde patet, quia obligatio sit qualitas moralis, quae personam afficit. Est itaque obligatio secundum PVENDORFIVM moralis agendi necessitas, seu, ut ipse loquutus est c), per quam quis praestare, aut admittere, vel pati quid necessitate morali tenetur, quae est definitio a nobis in superioribus data (§. 3.)

a) Lib. I. I. N. & G. Cap. VI. §. V.

b) Lib. I. Cap. I. §. XVII.

c) Lib. I. Cap. I. §. XXI.

§. XV.

Suas non-nulli sententias contra definitionem de obligatione datam argumentatione, quae sequitur, dicunt: Si obligatio

gatio moralis sit moralis necessitas agendi, seu connexio motiuorum cum actionibus; consequens erit, eum alterum obligare, qui cum huius actionibus connectit motiua. Qui alterum consilio iuuat, cum huius actionibus motiua connectit. Ergo qui alterum consilio iuuat, huncce obligat. Enimvero hoc vsui loquendi a doctoribus recepto repugnat, omnium enim consensu consilium non obligat. Ergo & definitio illa de obligatione formata vsui loquendi non est conueniens. *Respondeo*, negandum esse eum, qui alterum consilio iuuat, cum huius actionibus connectere motiua. Non enim est causa, per quam motiua, cum actionibus illis sunt connexa, sed causa, vt alter motiua, quae cum actionibus illis connexa sunt, cognoscat atque intelligat.

§. XVI.

*Subiecti
quod alie-
rum mo-
raliter possit
obligare, de-
finitio.*

Iam pauca quoque subnectenda de eo, qui alterum potest obligare, de eo, qui potest obligari; & de actionibus, ad quas quis potest obligari. Quoad primum hac argumentor ratione: qui alterum moraliter obligat, is alterum ad agendum aut moraliter cogit; aut inuitat (§. 5. 6.), ideoque facit, vt alter oppositum eius, ad quod obligatur, aut sub conditione euitandi mali, aut sub conditione acquirendi boni nequeat in se suscipere (§. 5. 7. obs. 12.). In cuius itaque potestate est, sub conditione actionis cuiusdam perpetranda, vel omittenda, aut mala libere agenti iniungere confectaria, aut bona proponere, is alterum quoque potest moraliter obligare; & in cuius potestate prius non positum est, is nec potest posterius.

§. XVII.

*Ex quo de-
ducitur pri-
mo responso
ad quaestio-
nem: an
nos ipsi mo-
raliter possi-
mus cogere.*

His praemissis facile erit respondere ad quaestionem: *an nos ipsi moraliter possimus obligare.* Duo hac in quaestione latent distinguenda. *Alterum*, an ipsi nos ad agendum moraliter possimus cogere aut inuitare. *Alterum*, an factis nostris possimus alicui concedere potestatem nos ad aliquid agendum moraliter cogendi. Quoad primum, cum *BVD-* *DEO a) THOMASIO b)*, aliisque respondemus negando.

Non

Non quidem ea ex ratione, quam Clar. ADELVNG \bar{o} alii- que, adtulerunt, quod nimirum omnis obligatio a superiori dependeat, nemo vero sit se ipso superior. Suo enim doctro, ponendam esse obligationem a superiori non descendentem, argumentis confirmaturi sumus. Sed haec est argumentatio, qua meam corrobore sententiam: Qui aliquem ad agendum moraliter cogit, is efficit, ut illi eiusmodi actionis ommissio sub conditione evitandi mali fiat impossibilis (§. 5. obs. 12.). Qui itaque se ipsum ad agendum moraliter cogit, is ipse efficit, ut sibi eiusmodi actionis ommissio sub conditione evitandi mali fiat impossibilis. Verum enim vero ideae, quae propositionem illam ingrediuntur, non sunt cohaerentes, si enim ipso ab agente dependeat, actionis ommissio sub conditione mali evitandi sibi sit impossibilis, ipso quoque ab agente dependebit, an malum illud, sub conditione actionis, de qua sermo est, perpetrandae fieret existens. Coactio itaque moralis erit nulla. Ergo manifestum est, sententiam, qua ipsi nos ad agendum moraliter possimus cogere, docetur, rationi repugnare. Eadem, qua argumentati sumus; ratione, patebit, fieri non posse, ut ipsi nos ad agendum invitemus (§. 7. obs. 12.). Quare, quum nec ipsi nos ad agendum moraliter possimus cogere, nec invitare; sequitur, ut, si prima quaestionis, quae posita est, spectetur significatio, negando respondendum sit.

a) in *Diss. de Principe legibus humanis, sed non divinis soluto.*

b) *Fundam. I. N. & G. Lib. I. Cap. V. s. XVI. ff.*

c) in *Diss. de verae obligationis natura & usu s. XX. Ienae 1727. bab.*

§. XVIII.

Quod alteram quaestionis, quae posita est, adtinet significationem: an nimirum factis nostris possimus alicui concedere potestatem nos ad aliquid agendum moraliter cogendi, in ea sumus persuasionem, affirmando respondendum esse. Ea ad confirmandam hanc sententiam adcommodanda sunt, quae infra de pactis, de turbationibus, & quae sunt reliqua, sumus dicturi.

Huius confirmatio.

§. XIX.

*Secundo ad
quaestio-
nem, an
aequalem
quis possit
obligari.*

Ponitur alia quaestio: *an aequalem quis possit obligare.* Suo loco demonstraturus sum, non omnem obligationem descendere a superiori: fieri posse, ut quis in aequalem habeat ius huncce cogendi, ut aliquid praestet: porro, ius ad finem dare ius ad media ad finem illum obtinendum necessaria. His probatis, minime, quid responsi dandum, erit obscurum.

§. XX.

*Subiectū,
quod potest
obligari, de-
finitio.*

Haec de subiecto, quod aliquem potest obligare. Sequitur subiectum, quod potest obligari. Quum haec sit natura obligationis moralis, efficere, ut oppositum eius, quod ea ratione sponte agimus, qua ad libertatem nostram referri potest, nobis sit impossibile (§. 3.); sequitur, eiusmodi esse subiecti, quod moraliter potest obligari, conditionem, ut eas habeat determinationes, per quas fieri potest, ut ea quae agit, suam ad libertatem referantur. Ex quo colligimus, requisita eius, qui moraliter potest obligari, esse, ut ad ea, quae obveniunt, attendere, eademque adcurata mentis trutina examinare, ideoque libere agere possit (§. 10. obs. 12.). Conf. §. 88. I. N.

§. XXI.

*Resolutio
dubii.*

Nonnihil tamen dubii moveri possit ideo, quia interdum furiosi, eiusmodi agendi facultatibus destituti, ad praestandum damnum obligentur. Si rem etiam atque etiam consideramus, intelligimus, ut furiosi non moraliter sed physice ad praestandum damnum cogantur. Quare, quum coactio physica non sit obligatio (§. 4.), sententia haec, quae contra nostram dicitur, minime nostram eneruabit.

§. XXII.

*Actiones, ad
quas quis
potest obli-
gari, defini-
untur.*

Sequuntur actiones, ad quas quis potest moraliter obligari. Harum ratione argumentor. Quum obligatio aut sit coactio moralis aut inuitatio ad agendum (§. 5.); consequens est, nos non posse moraliter obligari nisi ad ea, ad quae agenda

agenda moraliter possimus cogi, aut inuitari. Enimuero ad ea, quae a spontaneitate nostra non dependent, nos nec moraliter cogi, nec inuitari possumus (§. 13. 14. obl. 12.). Ergo & fieri non potest, ut moraliter obligemur, nisi ad ea, quae nostra a spontaneitate dependent.

§. XXIII.

Primo inde deducimus responsionem ad quaestionem: *Ex quo primo intellectus operationes sunt obiectum obligationis moralis.* *mo deducitur responsio ad quaestionem, an operationes intellectus sunt obiectum obligationis.* Sunt, qui argumentantur. Quicquid a nostra non dependet spontaneitate, id quoque non est obiectum obligationis moralis. Sed operationes intellectus nostra a spontaneitate non dependent., Ergo operationes intellectus non sunt obiectum obligationis moralis. Respondeo: Concedo maiorem, sed nego minorem. Quoad operationes intellectus formale & materiale distinguere debemus. Hoc determinat id, quod cogitamus, illud vero modum, quo aliquid cogitamus. Quoad materiale intellectus operationes non semper nostra in potestate esse, & ratio & experientia docet. Quum vero formale eiusmodi operationum a spontaneitatis adcommodatione, quae omnino nostra in potestate posita est, dependeat ^{a)}; manifestum est, hac quoque ratione intellectus operationes nostra a spontaneitate dependere, ideoque obiectum esse obligationis moralis.

SCH. Ponamus, operationum intellectus formale non esse obiectum obligationis moralis; consequens erit, nullam esse obligationem moralein ad animum ad ea, quae obueniunt, adtendendum, ideoque, quia omnis culpa in defectu adtentionis consistit, obligationem moralein, ad euitandam culpam, esse nullam. Hoc quum aperte falsum sit, noua quadam ratione patet, formale intellectus operationum moralis obligationis esse obiectum.

a) Conf. die 4: Abhandl. in der 1. Samml. metner philosophischen Nebenstunden, s. 34.

§. XXIV.

§. XXIV.

*Secundo ad
quaestio-
nem: num
obligatio fit
ad ea, quibus
praestandis
vires suffici-
entes sua
culpa amisi-
t agens.*

Secundo inde fluit responsio ad quaestionem factis arduam atque celebrem: *nam obligatio fit ad ea, quibus praestandis vires sufficientes sua culpa amisit agens.* Sunt, qui affirmant, sunt contraria ex parte, qui negant *a)*. Sed controversia ea, quae sequitur, ratione posse diiudicari videtur. Si haec sit quaestionis, quae posita est, significatio: an ob actiones malas, quae ab eo perpetratae sunt, qui vires ad bona agenda sufficientes sua culpa amisit, infligi poena possit, respondendum erit affirmando. Quum enim eiusmodi vires sua amiserit culpa; sequitur, ut omnia, quae ex illa virium amissione fluunt, ad libertatem agentis referenda (§. 10. obf. 12.). Enimvero eiusmodi relatio est causa, cur mala agentibus poenae constituentur. Ergo & ob malas actiones ab eo, qui vires ad bona agenda sufficientes sua amisit culpa, infligi poena potest.

a) vid. HOCHSTETTER de iure poenarum Sect. V. §. III. clar. WINEKENII Diff. cit.

§. XXV.

*Plus con-
tinuatio.*

Si haec sit quaestionis, quae posita est, significatio: *num quis moraliter obligari queat, ad ea agenda, quibus praestandis vires sua culpa amisit sufficientes;* respondendum erit negando. Si quis enim ad ea, de quibus sermo est, agenda vires amiserit sufficientes, sua in potestate non erit, ut eadem ageret. Quare, quum fieri non possit, ut ad ea, quae nostra a spontaneitate non dependent, moraliter obligemur (§. 22.); consequens est, nullam esse obligationem ad ea agenda, quibus praestandis vires sufficientes nostra quoque culpa amisimus. *a)*

a) Conf. GROTIUS. Lib. II. Cap. XIII. §. IX.

OBSER.

OBSERVATIO XVII.

Ad §. 75 - 76.

DE

OBLIGATIONE NATVRALI
ET POSITIVA.

§. I.

Bene ab HOCHSTETTERO a) monitum est, obligatio- *Obligatio*
nes morales diuidendas esse, ratione *subiecti, efficaciae, quotuplex.*
durationis, respectiuitatis atque originis. Ratione *subiecti*
obligationem esse vel *aequalitatis, vel inaequalitatis.* Hanc
esse, quae illum, cui ex ista aliquid a nobis debetur, supe-
riorem nobis constituit, ac potestatem seu imperium ali-
quod in nos infert; *illam* vero, quae illum, cui ex obligatio-
ne aliquid a nobis debetur, superiorem nobis non constituit.
Ratione *efficaciae* obligationem esse vel *perfectam, vel imper-*
fectam. *Illam* esse, cui in altero, ad quem ea spectat, respon-
det ius perfectum seu ius cogendi: *hanc* vero, cui in altero,
ad quem ea spectat, ius duntaxat imperfectum seu non co-
gendi respondet. Ratione *durationis* obligationem esse vel
perpetuam vel temporariam. *Illam* esse, quae non potest
tolli, quamdiu persona, cui inhaeret, existit v. g. obligatio
nostra erga Deum: *hanc* vero, quae tolli potest, viuis adhuc
personis, quibus inhaeret, Ratione *respectiuitatis* obligatio-
nem esse vel *mutuam vel non mutuam.* Hanc esse, quando
vna persona quidem alteri quid praestare tenetur, ita ta-
men, vt in altero illo, cui quid debetur, nulla insit obliga-
tio istius respondens, & ad aequipollens quid praestandum ad-
stringitur: *illam* esse, cui alia respondet obligatio in illa per-
sona, cui quid ex ista debetur. De obligatione perfecta &
imperfecta suo loco plura dicturi sumus. Reliquas obliga-
tionum diuisiones hic mittamus, quippe, quae de iis di-
cenda, ipsis ex notionibus immediate fluunt. Inquiramus
modo

modo in eam obligationum diuisionem, quae ex obligationum origine descendit.

a) in Colleg. Pufendorf. Exerc. III. §. IV. not. c. Conf. PUFENDORF in I. N. & G. Lib. III. Cap. IV.

§. II.

*Obligatio
quando naturalis &
quando positua.*

Ratione originis: HOCHSTETTER l. c. *obligationes* in *connatas* & *aduentitias* diuisit. Sed regulis, quas logica de diuisione praescribit, magis conueniens est, obligationes originis ratione in *naturales* atque *positiuas*, & *naturales* in *connatas* & *aduentitias* diuidere. Primo de diuisione obligationum in *naturales* & *positiuas*. Is alterum obligat, qui facit, vt ille oppositum eius, de quo sermo est, aut sub conditione euitandi mali, aut sub conditione acquirendi boni nequeat agere (§. 16. obs. 16.). Is, qui hoc facit, aut est ipsa rei natura, si nimirum consecutaria illa ex ipsa actionis, de qua sermo est, fluant essentia, aut est voluntas eius, in cuius potestate positum, sub conditione actionis cuiusdam perpetrandae vel omittendae, aut mala libere agenti iniungere consecutaria, aut bona proponere. Si illud, *obligatio* vocatur *naturalis*. Id enim naturale est, quod ipsa ex rei essentia fluit (§. 7. obs. 1.). Si hoc, *obligatio* vocatur *positua*, quia cuiusdam ponitur voluntate.

§. III.

Fundamentum huius diuisionis non est obiectum.

Qui rationem, quae obligationes in naturales & positiuas diuidit, ex obiecto obligationis sumunt, loquuntur improprie. Euoluas omnes, quas §. 7. fl. obs. 1. de natura posuimus significationes, & facile perspicias; 7^o naturale esse eiusmodi rei qualitatem, quae causam, e qua descendit, non vero obiectum, circa quod versatur, indicat. Is itaque improprie loquitur, qui definitionem eius, quod naturale est, ab obiecto, circa quod versatur, deriuat. Haec est conspiciendum natura atque indoles, vt idem habeant genus proximum. Quare, quum obligatio naturalis atque positua sint conspecies: & quum improprie loquatur, qui obligationis natu-

naturalis definitionem ab obiecto deriuat; manifestum est, eum quoque improprie loqui, qui rationem, quae obligationes in naturales & positiuas diuidit, ex obligationum obiectis sumit.

§. IV.

Non-nulla inde fluunt consecutaria. Pauca, & quae notatu digna sunt, subnectamus: 1) vt ad vnum idemque & naturaliter possimus obligari & posituue: 2) vt naturali obligationi positua, si motiua, quibus illa constituitur, ad animos mortalium flectendos non sufficiant, possit accedere (§. 11. obs. 16.): 3) vt obligatio positua, quae nos ad aliquid agendum impellit, inter morales referri possit, si obligatio naturalis, quae nos ad idem agendum ducit, sit politica (§. 9. obs. 16.): 4) vt omnia, quae de obligatione naturali dicuntur, iis, quae ex origine fluunt, missis, ad obligationem posituam sint adcommoanda. Et quae sunt reliqua.

§. V.

Datur obligatio naturalis. Hocce theorema, quod §. 76. I. N. demonstratum est, hac quoque potest corroborari ratione. Si ipsa rei natura efficiat, vt nobis non-nullarum actionum omissiones sub conditione mali, & non-nullarum actionum omissiones sub conditione acquirendi boni sint impossibiles, sequitur, ipsam rei naturam nos ad aliquid agendum vel omitteadum moraliter obligare (§. 2.). Enimvero prius verum esse, ex intrinseca actionum nostrarum bonitate vel malitia, quam §. 9. demonstrauius, & ex intrinseca actionum moralitate §. 10. obs. 14. probata manifestum est. Ex eo enim, quod actiones nostrae intrinsece malae sint, sequitur, vt mala consecutaria, quibus malitia illa actionum constituitur, euitari nequeant, nisi eiusmodi actionum omissione: & ex eo, quod actiones nostrae intrinsece sint bonae, fluit, vt bona consecutaria, quibus bonitas illa actionum constituitur, adquiri nequeant, nisi eiusmodi actionum commissione (§. 7. & 10. obs. 3.). Ideoque ipsa rei natura

facit, vt nobis non-nullarum actionum commissio- nes sub condi- tione mali euitandi, & non-nullarum actionum omissiones sub conditione adquirendi boni sint impossibiles. Ergo & ve- rum est posterius, vt nimirum ipsa rei natura nos ad aliquid agendum vel omittendum moraliter obliget. Datur itaque obligatio naturalis.

SCH. Sic v. g. naturalis adest obligatio, vt abstineamus a luxu. Quum enim eiusmodi sit luxus natura atque indoles, vt, qui ab eodem non abstinet, se ipsum ante tempus destruat; sequitur, ipsam rei naturam nos moraliter ad abstinendum a luxu cogere (§. 5. obs. 12.), ideoque obligare. Quae est obligatio naturalis cogens (§. 7. obs. 16.). Porro homo per naturam ad sui culturam obligatur. Praestantissimis enim instructi sumus facultati- bus, corpore ad varia apto, intellectu perspicaci, voluntate ad bonum flexibili: sed ea omnia sine cultura parum vtilia sunt. Sine cultura enim obbrutesceremus. Ipsa itaque rei natura nos inuitat, vt eas facultates excolamus, & ad maiorem perfectionem perducamus (§. 7. obs. 12.). Quae est obligatio naturalis inui- tans (§. 7. obs. 16.).

*Quae est
obligatio
proprie sic
dicitur.*

§. VI.

Obligatio illa naturalis non improprie sed proprie obligatio vocatur moralis. In essentialia obligationis moralis, quae cogens vocatur, requisita inquisiturus, facile perspiciet, ea esse, vt mala quaedam consecretaria sub conditione actionis cuiusdam omittendae constituentur, & vt eiusmodi consecretaria ei, qui actionem illam non omittit, irrogentur (§. 7. obs. 16.). Id itaque, cui eiusmodi competunt requisita, non improprie sed proprie vocatur obligatio moralis cogens. Enimuero id, quod obligationem naturalem atque cogentem vocauimus, illa habet requisita. Ipsa enim actio- nis intrinsece bonae essentia consecretaria determinat mala, quae, qui actionem illam omittit, ideoque contrarium agit, percipere debet: & ipsa natura mala illa, quae determinata sunt, consecretaria, quia sunt essentialia, ei, qui actionem, de qua sermo est, omittit, irrogat (per dem. §. 5.). Ergo obligatio naturalis cogens non improprie sed proprie est obligatio moralis. Q. e. p. Porro

Porro in essentialia obligationis moralis, quae inuitans vocatur, requisita inquisitionis, facile intelliget, ea esse, ut bona consecraria sub conditione actionis cuiusdam perpetranda constituantur, & ut consecrariis illis bonis is adficiatur, qui actionem, de qua sermo est, perpetravit (§. 7. obs. 16.). Id itaque, cui eiusmodi insunt requisita, non improprie sed proprie est obligatio moralis inuitans. Enimvero obligationi naturali, quae inuitans vocatur, haec insunt requisita. Ipsa enim actionis intrinsece bonae natura atque indoles bona consecraria ei constituit, qui actionem illam perpetrat: & ipsa rei natura bonis illis consecrariis, quia essentialia sunt, eum, qui actionem, cuius sunt consecraria, perpetravit, adficit (per dem. §. 5.). Ergo & obligatio naturalis inuitans non improprie, sed proprie moralis vocatur obligatio. Q. e. a.

SCH. Quae ad propositionem §. 5. demonstratam annotauimus, ea hic repetenda sunt.

§. VII.

Praeterea inde colligimus, inter essentialia obligationis moralis requisita non referendum esse, ut a superiori dependeat. Ideoque de
pendentia a
superiori
non est es-
sentialis obli-
gationis mo-
ralis. Quicquid enim ex definitione, quae propriam obligationis moralis significationem explicat, legitime non fluit, & quo remoto obligatio moralis proprie accepta concipi queat, id inter essentialia obligationis moralis requisita non est referendum. Sed dependentia a superiori ex definitione, quae propriam obligationis moralis significationem explicat, legitime non fluit, remoto potius superiori obligatio moralis proprie accepta concipi potest (§. 3. & 18. obs. 16. coll. §. 5. & 6. h. obs.). Ergo manifestum est, dependentiam a superiori inter essentialia obligationis moralis non esse referendam.

§. VIII.

Primum quod in contrarium adducunt dissentientes Responsio ad
objectionem
primam. argumentum, hoc est: Vbi res arbitrio agentis relinquitur, ibi non adest obligatio moralis ad id agendum proprie sic dicta.

T 3

Sed

Sed posita illa obligatione naturali res arbitrio agentis relinquitur. Ergo obligatio illa naturalis non est obligatio proprie accepta. Respondeo, negandam esse consequentiam. Omnis enim obligatio, etiam civilis, res ea ratione arbitrio agentis relinquunt, qua ab obligatione naturali relinquuntur. Obligatio nimirum civilis, v. g. poena gladii nos non physice sed moraliter ad aliquid agendum cogit, ideoque contrariam actionem nostro arbitrio ea sub conditione relinquunt, si nobis sit placitum, ut summo maeremur supplicio (§. 13. obs. 12.). Eadem & non alia quadam ratione obligatio illa naturalis rem nostro relinquunt arbitrio. Cogit nos, non physice, sed moraliter, ut v. g. a luxu abstinemus, ideoque contrarium nostro quoque arbitrio ea sub conditione relinquunt, si nobis sit placitum, ut ante tempus destruamur. Si itaque argumentatio illa satis, obligationem naturalem non esse obligationem proprie acceptam, probaret: eadem quoque argumentatio sufficiens erit ad hanc corroborandam sententiam aperte falsam, ut nulla obligatio ideoque nec obligatio civilis sit obligatio proprie accepta.

§. IX.

Et ad obligationem secundam.

Alterum argumentum hoc est. *Vbi nemo est, qui agentem cogere possit, ibi non adest obligatio moralis proprie accepta. Sed posita obligatione illa naturali nemo est, qui agentem cogere possit. Ergo obligatio illa naturalis non est obligatio proprie accepta.* Respondeo, concedendam esse maiorem, si sermo sit de coactione morali, negandam vero minorem. Quum enim consecratoria illa, quae naturalem constituunt obligationem, sint essentialia; sequitur ipsam rei naturam posita obligatione naturali agentem cogere. Posita rei essentia, id quoque, quod eiusmodi ex essentia necessario fluit, poni debet, Qui itaque id, ad quod euitandum natura obligat, agat, is necessario percipiet consecratoria, per quae actio illa naturaliter mala est. Manifestum inde est, ipsam rei naturam obligationis naturalis esse executorem. Ea, quae §. 8. dicta, hic quoque repetenda sunt.

§. X.

§. X.

Non-nulli ad eam, quam de obligatione naturali dixit Sententia Hobbesii de obligatione naturali explicatur. HOBBSVS (a), accedunt sententiam, indeque inferunt, obligationem naturalem non esse, nisi improprie acceptam. Secundum HOBBSIVM, natura ius est omnium in omnia, ita, vt quisque agere possit, quicquid vult, ideoque inter homines sit status belli: at ob mutuum destructionis metum homines libertatem illam certa ratione restrinxerunt, seque ad aliquid agendum obligarunt. Ideoque omnis obligatio fuit ex utilitate. Hac posita sententia pergunt HOBBSII defensores. Quum omnis obligatio ex utilitate fluat, & quum secundum naturam arbitrio nostro relinquatur, num nostrae utilitati seruire velimus: manifestum est, secundum naturam nullam esse obligationem moralem proprie acceptam.

a) vid. Tractatum de ciue & Leviathanis.

§. XI.

Prima nego HOBBSII hypothesin, vi cuius secundum naturam ius omnium est in omnia, ita, vt quisque agere possit, quicquid vult. Et respondetur. Haec enim ex ea solum fuit sententia; vt secundum naturam id sit iuris, quod quis vi sua potest facere. Hancce vero sententiam inter falsas referendam esse, suo loco satis sum probaturus. Porro ponamus, hypothesin illam hobbesianam esse veram: consequens erit, natura mutuum destructionis metum, qui ex ipsa rei natura fuit, homines ducere ad libertatem illam naturalem restringendam, ideoque ipsam naturam facere, vt non-nullarum actionum omissiones hominibus sub conditione euitandi mali sint impossibiles. Posita itaque illa hypothesi consequens erit, vt natura homines ad non-nullas moraliter cogat actiones, ideoque moraliter atque proprie obliget (§. 6. obs. 16. & §. 6. h. obs.). Obligatio itaque naturalis; hypothesi illa hobbesiana salua manente, est obligatio moralis proprie accepta. Ponamus tandem, omnem obligationem ex utilitate deducendam esse, & naturam, num utilitati nostrae seruire velimus, arbitrio nostro reliaquere: minime tamen legitime inde

inde fluet, nullam esse obligationem naturalem proprie acceptam. Quum enim manifestum sit, omnem obligationem civilem ex utilitate quadam, vera nimirum, descendere: quum porro manifestum sit, obligationem civilem nostro quoque relinquere arbitrio, num utilitati nostrae seruire velimus: & quum hoc non sit sufficiens ad probandum, obligationem civilem esse obligationem improprie acceptam (§. 8. 9.); manifestum quoque erit, ex illis, quae posita sunt, legitime non inferendum esse, vt nulla sit obligatio naturalis proprie accepta.

§. XII.

*Obligatio
naturalis
quando connata &
quando aduentitia.*

Natura nos ad aliquid agendum obligat, si ex ipsa actionis, de qua sermo est, essentia, talia fluunt constituta, quae faciunt, vt opposita eius actio sub conditione euitandi mali vel sub conditione acquirendi boni nobis sit impossibilis (§. 2.). Si nobis aliquid sit impossibile, nos spectamur aut quatenus sumus homines, aut quatenus sumus in statu quodam accidentali. Ergo & inde duae obligationis naturalis fluunt species. *Illa* vocatur *obligatio naturalis connata* seu *absoluta*, & *haec obligatio naturalis aduentitia* seu *hypothetica*. *Obligatio* itaque *naturalis connata* seu *absoluta* est eiusmodi moralis agendi necessitas, quae per essentiam nostram qua talem constituitur. Et *obligatio naturalis aduentitia* seu *hypothetica* est eiusmodi moralis agendi necessitas, quae per essentiam nostram ea ratione constituitur, quia in tali sumus statu accidentali.

SCH. I. Notandum est, in iure naturali id vocari *absolutum*, quod solum essentiam, & *hypotheticum*, quod facta supponit. Et haec est ratio, cur obligatio naturalis connata a non-nullis absoluta, & obligatio naturalis aduentitia a non-nullis hypothetica sit vocata.

SCH. II. Sic obligatio naturalis est connata seu absoluta, quae nos ducit ad affectus cauendos vehementiores. Nuda enim ex essentia nostra existens patet, vehementiores affectus nos quam facillime destruere. Porro obligatio naturalis est aduentitia seu hypo-

hypothetica est, quae nos ducit ad pacta seruanda. Si enim eum supponimus statum accidentalem, quo quis pacto quodam se alteri obligauit, ex essentia hominis per statum illum magis determinata sequitur, non seruare pactum homini esse malum.

§. XIII.

Obligatio aduentitia, quae connatae repugnat, nomen obligationis non meretur. Ponamus obligationem aduentitiam connatae repugnantem, consequens erit, a nobis positum esse accidentale, quod rei essentialibus repugnat (§. 12.). Sed quid tam alienum a rectae rationis praescriptis est, quam eum re quadam accidentalia coniungere, quae essentialibus repugnant? (§. 28. Phil. pr.). Ergo & a rectae rationis praescriptis alienum est, obligationem aduentitiam ponere connatae repugnantem. Aduentitia itaque obligatio connatae repugnans nomen obligationis non meretur (§. 22. obf. 16.).

*Aduentitia
connatae
non debet
repugnare.*

SCH. Sic nullae sunt obligationes, quae nos ducunt, ad nos ante tempus destruendos, ad rebus insalubribus utendum, ad non-abstinendum a luxu. Et quae sunt reliqua.

§. XIV.

Haec de obligatione naturali, sequitur obligatio positua. Quum posituae ad aliquid agendum obligemur, si voluntate alterius cuiusdam efficitur, ut illius actionis omissio nobis sub conditione euitandi mali vel sub conditione adquirendi boni sit impossibilis (§. 2.); manifestum est, duo esse characteres, ex quibus obligationis posituae species deducendae. Alter est subiectum, cuius voluntate illud efficitur, alter modus, quo illius voluntate idem efficitur. Primi ratione subiectum illud aut est Deus, aut homo, & qui sunt reliqui. Inde obligatio positua est vel *diuina*, vel *humana*, & quae sunt reliquae.

*Obligatio
positua est
vel diuina
vel humana.*

§. XV.

Quoad secundum hac ratione argumentor. Si quis voluntate sua facit, ut nobis cuiusdam actionis omissio sub conditione mali euitandi, aut sub conditione boni adquirendi

Porro obligatio vocatur positua aut ob ad-

*probationem
aut ob no-
nam quan-
dam consti-
tutionem.*

rendi sit impossibilis, is aut ea, quae ex eiusmodi actionis natura fluunt, solum adprobat, aut consecraria illa cum actione connectit, quae ex actionis natura non fluunt. Si prius, obligatio vocari potest positiva *ob adprobationem*, & si posterius, *ob nouam quandam consecratorum constitutionem.*

§. XVI.

*Obligatio
naturalis,
quomodo si-
mul sit di-
uina.*

Obligatio naturalis etiam ob adprobationem est diuina.
Quum enim obligatio naturalis iis consecrariis, quae ex actionis essentia necessario fluunt, constituatur (§. 2.): & quum Deus velit, vt ea, quae rerum ex essentia necessario fluunt, fiant (§. 39. de ciu. Dei); sequitur, obligationem illam naturalem a Deo adprobatam esse, ideoque obligationem naturalem ob adprobationem esse diuinam (§. 15.).

SCH. Idem est sensus theorematis §. 77. I. N. demonstrati.

§. XVII.

*Obligatio
naturalis
naturalis
non debet
repugnare.*

Obligatio positua obligationi naturali non debet repugnare.
Obligatio positua, quae naturali repugnat, aut repugnat obligationi naturali connatae, aut aduentitiae (§. 12.). *Si illud*, consequens erit, vt accidentale sit positum essentialibus rei repugnans, ideoque tale, quod a rectae rationis praescriptis alienum est. *Si hoc*, quia obligatio naturalis aduentitia connatae non debet repugnare, iterum erit manifestum, eiusmodi obligationem posituam aliquid inuoluere, quod cum ratione & perpetua constantia non consentit. Necesse itaque est, vt obligatio positua naturali non repugnet.

OBSER.

OBSERVATIO XVIII.

Ad s. 97-99.

DE

LEGIBVS MORALIBVS
GENERATIM.

§. I.

Legis vocem alii a *legendo*, quatenus legere significat *lesen*, *Posit. origo.* quod publice praelegi consueverit, & scripta sit, vt ab omnibus legatur: alii a *legendo*, quatenus legere significat, *erwehlen*, quod sit norma eligendorum, vel praescribat, quid eligendum sit, vel faciendum: alii a *ligando* deriuant, quod vim ad certum aliquid determinataque ratione agendum obstringat. *) Hancce controuersiam hac ratione diiudicamus. Si vox legis accipiat strictissime, quatenus apud Romanos notabat id, quod populus romanus senatorio magistratu interrogante constituebat, & contradistinguitur *plebiscito*, quod plebs plebeio magistratu interrogante sanciebat; *Senatus consulto*, quod senatus romanus nullo tribuno intercedente statuebat; *edictis praetorum*, quae Praetores conscribebant, & in alba tabula exponebant, & *placitis Principum*, seu *constitutionibus Imperatorum*, quas Imperatores Romani promulgabant, si hac, inquam, accipiatur significatione, vox legis deducenda erit a *legendo*. Vox vero legis si late accipiatur, ea nimirum ratione, vt significet propositionem ex qua intelligimus, quomodo vis ad certum aliquid determinataque ratione agendum sit obstricta, deriuanda erit a *ligando*, & speciatim a *legendo*, quatenus *lê* legere significat *erwehlen*, si illa ex propositione intelligere possimus, quomodo vis, quae facultate libere agendi gaudet, ad certum aliquid determinataque ratione agendum sit obstricta.

*) vid. CICERO Lib. I. de Legibus, THOMAS qu. XC. art. I. MEISNER de legibus. Per-III. de COCCESI in obs. ad GROTIUM Lib. I. cap. I. §. IX. n. 6.

§. II.

*Quid sit lex
generalissim
sumta.*

Nos vocem legis hoc loco non accipimus strictissime, sed late. Ideoque nobis *lex* idem est, quod propositio, quae docet; quomodo vis in agendo sit ligata, id est, propositio, iuxta quam vis in agendo modificanda.

SCH. Sic v. gr. propositio: *omne corpus, quod sine motu absoluto sine relatiuo in alium locum transfertur, per omnia loca media transit, neque subito ex primo in ultimum potest peruenire, vocatur lex motus, quia est propositio, quae docet, quomodo vis motrix modificatur.*

§. III.

*Et speciatim
ex moralis.*

Ponamus vim illam talem esse, quae facultate libere agendi gaudet, & consequens erit, *legem esse* propositionem, iuxta quam actiones liberae modificandae sunt. Id quod facit, ut certus libere agendi modus nobis sit necessarius, aut est coactio moralis aut inuitatio (§. 15. obs. 12.), ideoque obligatio moralis (§. 6. obs. 16.). Ergo *lex moralis* est propositio, ad quam actiones, vi obligationis moralis, cum illa connexae conformandae, seu est propositio obligatoria.

SCH. Notandum est, quod IOHANNES CHRISTOPHORUS Hundeshagen a) monuit, legis vocem a scriptoribus acceptam esse & improprie & proprie. Improprie primo pro conditione, ut apud PLAUTUM b): *Agedum istum attende, quem conscripsi sagraham inter me & amicum & lenam: leges pellege & TERENCEIVM c): Verberibus uacsum te in pilrinum Daue, dadam hac lege atque ouine.* Secundo, pro quavis norma, ad quam aliquid agimus; ut cum CICERO d) *difficilis esse, ait, oratione uti, quam uerbis, quod in illis certa quaedam & definita lex sit, quam sequi oporteat.* Tertio pro omni Magistratus alicuius, iussu, edicto vel sententia, hinc vulgo *lege agere* dicimus eum, qui magistratus edictum exsequitur. *Proprie* pro omni propositione, quae docet id, quod vi obligationis moralis agendum.

a) in *Diss. de Legum differentia* Ienae 1666. habet

b) act. IV. sc. 1. *Afin.*

c) act. 1. sc. 2. *And.*

d) L. III. de *Orat.*

§. IV.

Definitionem hanc de lege morali vsui loquendi a Do-
 ctoribus recepto convenienter formatam esse, primo ex GRO-
 TIO probo. Hic legem largissime sumtam definit a) *per re-
 gulam actuum moralium obligantem ad id, quod rectum est.* *vsus lo-
 quendi pro-
 batur ex
 Grotio.*
 Mittamus ea, quae superflua sunt; & eadem erit haec defi-
 nitio, quae a nobis data. Quum enim nulla detur obliga-
 tio ad id, quod non rectum; manifestum est, legem secun-
 dum GROTIUM esse regulam actuum moralium obligatori-
 am, seu, quia regula idem significat, quod propositio, iuxta
 quam varia modificanda, propositionem, ad quam actiones,
 vi obligationis moralis cum illa connexae, sunt conformandae.

a) de L.B. & P. Lib. II Cap. I. §. IX. n. 1.

§. V.

TESMARVS a) monuit, hanc, quam GROTIUS de *Resolutio
 dubii.*
 lege morali formavit definitionem, non ad omnes legum
 species posse adcommodari, nimirum non valere de le-
 gibus mere civilibus & positivis, quibus non moralia tan-
 tum, sed & adiaphora plerumque inanguntur, e. g. vt quis
 in contractibus, in testamentis & similibus certas adhibeat
 solennitates, vt quis certa vtatur veste, & quae plura sunt
 eius argumenti. Sed respondeo: GROTIUM actus morales
 hoc loco non sumere in oppositione ad adiaphora, sed per
 eos intelligere actiones ad libertatem referendas. Enimuero,
 vt in contractibus, in testamentis & similibus certas adhibea-
 mus solennitates, vt certa vtamur veste, & quae sunt plura
 eius argumenti, omnino sunt actus ad libertatem referendi.
 Ergo & secundum definitionem, a GROTIO datam, inter le-
 gum moralium obiecta referri debent.

a) in observ. ad l. c. GROTI.

§. VI.

Eandem porro definitionem corroborare possumus ea, *vsus lo-
 qua PVFENDORF naturam legis explicavit.* Sic enim ille: *quendi pro-
 a) Lex commodissime videtur definiri per decretum, quo supe-
 batur ex Pn-
 rior sendorfo.*

rior sibi subiectum obligat, ut ad istius praescriptum actiones suas componat. Duo hac in definitione distinguenda sunt, *alterum* est causa, a qua lex dependet, *alterum* est natura legis. Ponamus, omnem legem a superiore dependere, Logices tamen praecepta non permittent, ut lex eiusmodi per characterem definiretur: nota enim est regula: effectum per causam non definiendum esse. Mittatur itaque hic character, & definitio de lege secundum PUFENDORFIUM haec erit: lex est propositio, ad cuius praescriptum actiones nostras vi obligationis morales componere debemus. Quae est eadem, quam nos de lege morali formauimus §. 3.

SCH. Veterum & Philosophorum, v. g. PLATONIS, ARISTOTELIS, CHRYSIPPI, DEMOSTHENIS, CICERONIS, VARINI, & Patrum, v. g. AVGVSTINI, CLEMENTIS ALEXANDRINI, ISIDORI, & Scholasticorum, v. g. THOMAE, & Jurisconsultorum, v. g. PAPINIANI: CAPITONIS de lege definitiones, quae definitionem a nobis datam corroborant, adduxit laudatus BALTHASAR MEISNERVS b).

a) in I. N. & G. Lib. I. Cap. VI. §. IV.

b) de Legibus Lib. I. p. 53. ff. Conf. Fer-III. de WOLF P. I. Phil. pract. vniuers. §. 131. ff.

§. VII.

Quot partes legis.

His praemissis, facile erit intelligere, duas esse legis partes. *Alter*a est propositio, *altera* obligatio. *Ill*a praescribit, quid faciendum vel omittendum, *haec* determinat mala, quae ea sub conditione, si propositio illa agendo violaretur, percipienda, aut bona, quae ea sub conditione, si propositioni illi conuenienter ageretur, acquirenda. *Ill*a legis pars a non nullis vocatur edictum, a) a nobis vero *legis materiale*, & haec, *legis formale* b).

SCH. Rationem, cur eam legis partem, quam alii edictum vocant, partem legis materialem vocauerim, ita accipe: *Primo* manifestum est, edictum inuolueri dependentiam legis a superiore. Enimvero dantur propositiones, quae leges constituunt, a superiori tamen non dependentes. Minus ergo accurate omnes pro-

propositiones, quae leges constituunt, vocantur edicta. Deinde notum est, doctores, qui de legibus agunt, legis materiam a legis forma distinguere. Materia itaque legis tale esse debet, quod posita lege ponitur. Posita lege nil ponitur, nisi causa a qua lex dependet, subiectum quod obligatur, actio quae facienda vel omittenda, obligatio, & propositio. *Primum* non est materia legis, sed causa legis efficiens. *Alterum* non est materia legis, sed legis subiectum. *Tertium* a non-nullis quidem c) materia legis vocatur, sed minus accurate, materia enim est rei constituens, actio vero illa est legis obiectum, seu id circa quod lex versatur, obiectum vero inter rei constituenta referri nequit. *Quartum*, ab omnibus vocatur legis formale. Nil itaque superest, quod legis materiale significare potest, quam ultimum, seu propositio, quae legem constituit. Nec abhorret eiusmodi termini significatio ab usu loquendi a Philosophis recepto. Philosophis enim is rei character, qui magis determinari debet, si res illa sit talis, est eiusmodi rei materiale: v. g. idea animalis est materiale hominis, quia per rationalitatem magis debet determinari, si animal sit homo. Propositio legi quidem inest, sed idea propositionis ad formandam ideam legis non sufficit. Tum demum fit lex, si per obligationem magis determinata. Propositio itaque, quae legem constituit, secundum loquendi usum a Philosophis receptum legis vocari potest materiale.

a) conf. HOCHSTETTER in coll. Pufend. Exerc. III. §. IV.

b) vid. HOCHSTETTER. l. c. & CHRIST. LYSERI Diss. de iure legum Thes. VII. Witteb. 1658. hab.

c) conf. LYSERVS l. c. Thes. VI.

§. VIII.

Legis materiale est propositio. Partes propositionis sunt subiectum, praedicatum, & praedicati cum subiecto combinatio. Ergo & legis materiale consideratur subiectum, praedicatum & combinationem praedicati cum subiecto distinguere debet. Porro legis materiale est propositio, quae, quid faciendum vel omittendum indicat. Ideoque est propositio practica. Quare, quum omnes propositiones practicae sint immediatae consequentiae ex propositione quadam

Quae ratione partis materialis notanda, indicantur.

dam theoretica illatae; sequitur legis materiale esse immediatam, ex propositione quadam theoretica, consequentiam. *Tandem*, quum id, quod faciendum, bonum, & quod omittendum, malum sit; consequens est, ut legis materiale explicaturus, *primo* formare debeat propositionem theoreticam, cuius subiectum est actio moralis, & praedicatum eiusmodi actionis bonitas vel prauitas, *deinde* ex propositione illa theoretica practicam colligere, quae priori ratione, actionem illam, quae subiectum propositionis constituit, faciendam, & posteriori ratione actionem illam omittendam esse, exprimit.

SCH. Sit v.g. lex: *neminem laedas.* Propositio theoretica, ex qua data lex fluit, haec erit: *alios laedere est malum.* Hac posita propositione fiat argumentatio: *Quicquid nobis malum, id omittendum est: alios laedere nobis est malum. Ergo neminem laedamus.* Porro sit lex: *conserua te ipsum.* Propositio theoretica haec erit: *conseruatio sui ipsius est bona.* Et hac ex propositione ad formandam legem fit argumentatio: *Quicquid bonum, id faciendum est, se ipsum conseruare est bonum. Ergo conserua te ipsum.*

§. IX.

Natura partit formalis magis explicatur.

Legis formale seu obligatio est ratio, quae demonstrat, actionem in legis materiale prohibitam esse malam, & actionem in legis materiali praescriptam esse bonam. Quum enim actiones nostrae bonae, vel malae sint per ipsarum effectus (§. 5. obs. 13.); sequitur, quicquid effectus actionis moralis determinat, id esse rationem, quae demonstrat, vtrum actio illa nobis sit bona, an mala. Enimvero pars legis formalis seu obligatio determinat actionis moralis, quae secundum legis materiale aut faciendam, aut omittendam, effectus (§. 7.). Ergo formale legis seu obligatio est ratio, quae demonstrat, actionem in legis materiali prohibitam esse malam, & actionem in legis materiali praescriptam esse bonam.

SCH. In exemplis res adeo manifesta est, ut in dubium non reuocetur. Sit v.g. lex: *neminem laedas,* ratio huius erit, quia *alios laedere nobis est malum,* & huius ratio erit: *quia actio, qua quis*

quis alios laedit, talia producit consecutaria, seu quia talis adest obligatio, quae nos ad alium non laedendum ducit. Sit porro lex: beneficio reponas gratiam. Ratio huius erit: quia 70 reponere gratiam beneficio nobis est bonum. Et huius ratio erit: quia 70 reponere gratiam beneficio talia producit consecutaria, seu quia talis adest obligatio, quae nos ad beneficio gratiam reponendam inuitat. Et quae sunt reliqua.

§. X.

Ex quo colligimus *primo, legem materialiter spectatam esse effectum obligationis.* Lex materialiter spectata praescribit, quid faciendum, vel omittendum (§. 7.). Ratio huius est, quia id, quod faciendum, nobis bonum, & id, quod omittendum, nobis malum est (§. 106. I. N.). Ratio vero, quae hoc demonstrat, est obligatio (§. 9.). Ergo obligatio facit, vt lex materialiter spectata sit talis, id est, lex materialiter spectata est obligationis effectus.

Inde sequitur primo, legem esse obligationis effectum.

§. XI.

Deinde, rationem legis materialiter spectatae a ratione obligationis distinguendam esse. Duas enim ponere possumus quaeſtiones, alteram, quae spectat rationem, cur actio quaedam nobis sit bona, vel mala: alteram, quae spectat rationem, cur tales actioni constituti sint effectus, per quos est bona, vel mala. Quare, quum responsio ad primam quaeſtionem ex obligatione deducenda sit (§. 9.), & rationem legis materialiter spectatae determinet (§. 7.): responsio vero ad alteram quaeſtionem doceat rationem, cur talis obligatio cum illius legis violatione, vel obseruatione sit connexa (§. 7.); sequitur, rationem legis materialiter spectatae ab obligationis ratione distinguendam esse.

Deinde rationem legis a ratione obligationis distinguendam esse.

SCH. Sic, si ratio legis materialiter spectatae: *non violes Maieſtatem Principis*, sit haec, quia, *qui maieſtatem Principis violat, poena gladii afficiendus*, noua ponenda erit quaeſtio: cur poena gladii afficiendus is, qui Maieſtatem Principis violauit.

X

§. XII.

§. XII.

*Bonitas legis
quid?*

Haec de legis natura, inquiramus quoque in ea, quae legum adiuncta vocarunt doctores, quae sunt *bonitas*, & *sanctitas a)*. Per *legis bonitatem* intelligunt eiusmodi legis qualitatem, qua non praescribit faciendum, nisi quod bonum est, & omittendum, nisi quod malum est.

a) vid. LYSERVM in *diff. laudata de iure legum Tb. XI.*

§. XIII.

*Quae legis
adiunctum
necessarium.*

Lex, quae bonitate destituta, nomine legis non digna est. Quum enim lex, quae bonitate destituta est, nos ducat ad ea agenda, quae nobis mala sunt, & ad ea omittenda, quae nobis bona sunt (§. 12.); sequitur, legem bonitate destitutam, naturam consuetudinis irrationalis habere (§. 9. obs. II.), ideoque nomine legis non esse dignam (§. 12. obs. cit.)

SCH. Hac ex ratione dicit CICERO a). *Eeges iniquae, quatenus a ratione declinant, non modo leges habendae non sunt, sed nec appellandae quidem.* Et THOMAS b) *leges iniquae magis sunt violentiae, quam leges.* Quae effata LYSERVS l. c. verbis, quae sequuntur, exposuit: Si in ipsam rationem legis inquirimus, qua dicitur norma, seu regula actionum humanarum, certe bonitas & rectitudo ipsi videntur pene essentialia esse. Regula enim nisi recta sit, nisi bona sit, non est regula, sed anomalia, non facit ad ordinem, sed eum potius destruit. Si itaque lex a recta ratione, ceu fonte omnis bonitatis ac rectitudinis recedit, non erit recta, sed obliqua, & per consequens, non erit regula, sed potius anomalia dicenda. Quis enim pro lege agnosceret: *Statutum Cabadis Regis Persarum, ut omnes feminae essent communes, & ne adulteria, nisi violentia facta, punirentur,* c) Quis pro lege haberet sancitum illud *Lacedaemoniorum, quo concedebatur pueris furari, modo id indeprehensi facerent; aut illud Hircanorum, quo filiis fas erat senes parentes mactare, vel mortuos canibus landandos praebere d).*

a) Lib. II. de LL.

b) Lib. II. Quaest. 96.

c) Quod

- c) Quod ex PROCOPIO refert SCHOENBORN Lib. III. Pol. Cap. II.
 d) vid. MEISNERVS Disp. laud. de Legibus Lib. I. Quaest. V. p. 77. f.

§. XIV.

Per *Sanctitatem legis* intelligunt doctores eiusmodi legis ^{Sanctitas leg-} qualitatem, qua facienda sunt, quae lex facienda praescri- ^{is quid?} bit, & omittenda, quae lex omittenda praescribit.

§. XV.

Omnis lex est sancta. Quum enim lex sit propositio obli- ^{Quae legis} gatoria (§. 3.); sequitur, legem non suadere solum, sed mo- ^{adiunctum} raliter ad agendum cogere, aut inuitare (§. 5. obl. 16.), ideo ^{necessarium.} que posita lege, nobis actionem legi repugnantem aut sub conditione euitandi mali, aut sub conditione acquirendi boni esse impossibile (§. 5. & 7. obl. 12.). Enimvero mala euitare & bona acquirere rationi conueniens est. Ergo & eiusmodi est legum qualitas, vt facienda, quae facienda praescribunt, & omittenda, quae omittenda praescribunt. Ex quo manifestum, omnem legem esse sanctum (§. 14.).

SCH. Hac ex ratione docuit ARISTOTELES a) omnem legem habere vim non solum directiuam, quatenus vult bonum fieri & malum vitari, sed etiam coërcitivam, vel coactiuam.

a) Lib. X. Eth. cap. IX.

§. XVI.

Sanctitas haec legis libertatem eius, qui, vt legi conuenien- ^{Libertatem} *ter viuat, obligatus est, non tollit, sed dirigit.* Ex demonstra- ^{tamen non} tione enim, qua principium §. 15. positum corroborauimus, ^{tollit.} patet, obligationem cum lege materialiter spectata connexionem efficere, vt lex illa sit sancta. Quare, quum obligatio moralis physice non cogat (§. 4. obl. 16.); manifestum est, illam legis sanctitatem libertatem eius, qui, vt legi conuenienter viuat, obligatus est, non tollere, sed dirigere.

OBSERVATIO XIX.
DE
LEGVM MORALIVM DIFFERENTIA
GENERATIVM, ETS PECIATIVM DE LEGIBVS
NATVRALIBVS ET POSITIVIS.

§. I.

*Conditiones,
ex quibus
legum divi-
siones peten-
dae.*

Quinque potissimum sunt conditiones, ex quibus genera-
les legum divisiones possunt peti. *Causa efficiens*, a qua
lex dependet. *Obiectum legis*, seu actio, quae eiusmodi lege
aut facienda, aut omittenda praescribitur. *Subiectum* quod,
vt eiusmodi legi conuenienter viuat, obligatum. *Qualitas
obligationis*, cum lege illa materialiter spectata, connexae.
Et *qualitas*, qua obligatio cum legis materiali connexa est. a)
De singulis breuiter, perspicue tamen, sumus acturi.

a) Conf. MEISNERVS L. c. Lib. I. Qu. VI.

§. II.

*Ratione
causae effi-
cientis Leges
primo quoad
materiale
sunt vel na-
turales vel
arbitrariae.*

Primo de diuisione legum ratione causae efficientis,
a qua lex aut quoad materiale, aut quoad formaie dependet.
Quoad materiale hac ratione argumentor: Lex materialiter
spectata est propositio, in qua cum actione morali, ceu cum
subiecto, vt bona vel mala sit, ceu praedicarum, est combi-
natum (§ 8. obs. 18.). Causa itaque efficiens legis materia-
liter spectatae est, quae rationem sufficientem efficientem
continet, per quam actio moralis, de qua est sermo, est bona
vel mala. Rationem hancce sufficientem atque efficientem
aut ipsa actionis moralis, de qua sermo est, natura seu essen-
tia, aut voluntas cuiusdam continet. Si illud, *leges quoad
materiale* vocantur *naturales*, & si hoc, *positivae*, seu *arbi-
trariae*.

SCH. I. Non-nulli cum Scholasticis a) leges positivas a legi-
bus arbitrariis distinguunt docentque, illas esse leges, quae quo-
cunque modo a cuiusdam voluntate aut efficienter, aut per adpro-
bationem dependent, ideoque & leges naturales esse positivas,
quae

quae voluntate superioris cuiusdam sunt adprobatae. Has vero esse leges, quae non sunt nisi voluntate cuiusdam constitutae. Sunt vero & alii, quibus leges positivae eadem sunt, quae arbitrariae *b)*, quia positivae vocantur, non quia voluntate cuiusdam adprobatae, sed positae sunt. Haec significatio est huius loci, quia ostendit, quae ratione leges divinae positivae a naturalibus differant.

SCH. II. Sic lex: *facta sunt servanda*, quoad materiale est naturalis. Ipsa enim facti natura efficit, ut *ſed non servare pactum nobis sit malum. Contra lex, quae imperium maritale praescribit*, est positiva, ex ipsa enim matrimonii natura non patet, oppositum huius esse malum.

a) Conf. SVAREZIVS in Tr. de Legibus Lib. IX.

b) vid. HENRICI Klauseing Diss. Wittebergae 1711, hab. de LL. diu. posit. vniuersalibus, Aphor. II.

§. III.

Leges materialiter naturales intrinsecam actionum bonitatem, vel malitiam, leges vero materialiter positivae extrinsecam actionum bonitatem, vel malitiam exprimunt. Quaecunque enim propositio indicat actionem esse bonam, vel malam per effectus, quorum ratio efficiens est ipsa actionis natura atque essentia, illa intrinsecam exprimit actionis bonitatem vel malitiam: & quaecunque propositio indicat actionem esse bonam, vel malam per effectus, quorum ratio efficiens non est ipsa actionis natura atque essentia, illa extrinsecam exprimit actionis bonitatem, vel malitiam (§. 8. obs. 13.). Enimuero primum indicatur legibus materialiter naturalibus, & vltimum legibus materialiter positivis (§. 2.). Ergo leges materialiter naturales intrinsecam, & leges materialiter positivae extrinsecam actionum bonitatem, vel malitiam exprimunt.

§. IV.

Leges, quae quoad materiale sunt positivae, legibus, quae quoad materiale sunt naturales, non debent repugnare. Pona-
mus leges materialiter positivas legibus materialiter naturalibus
Ergo leges materialiter positivae, materialiter repu-

*naturalibus
non debent
repugnare.*

repugnare; consequens erit, inter actiones extrinsece malas referri, quae intrinsece sunt bonae, aut inter actiones extrinsece bonas referri, quae intrinsece sunt malae (§. 3.). Enimvero hoc per principia, quae rationi conueniunt, fieri non posse, fatis demonstratum est (§. 11. obs. 13.). Ergo patet: leges materialiter positivas, materialiter naturalibus repugnantes, inter eas referendas esse, quae rationi non conueniunt.

§. V.

Inde deducitur, quomodo leges materialiter positivae sint possibiles

Lex materialiter positiva, si rationi conueniat, id solum praescribere potest, quod ex iis, quae secundum naturam obiectivae indifferentia sunt, faciendum, vel omittendum. Etenim lex materialiter positiva praescribit actionem faciendam vel omittendam (§. 7. obs. 18.). Ideoque aut idem faciendum vel omittendum praescribit, quod ipsa natura praescribitur, aut non. Si prius, lex illa non erit positiva (§. 2.). Sequitur itaque posterius esse. Ergo lex illa materialiter positiva aut faciendum praescribit, quod natura prohibet, vel omittendum, quod secundum leges naturales faciendum; aut praescribit faciendum, vel omittendum, quod secundum naturam formaliter, aut quod secundum naturam obiectivae indifferentis est. *Si primum*, lex positiva principiis sanae repugnabit rationis (§. 4.): *alterum* non esse, inde patet, quia nullae sunt actiones, quae secundum naturam formaliter indifferentes (§. 6. obs. 15.). Ex quo manifestum est, legem materialiter positivam rationi conuenientem id solum praescribere, quod ex iis, quae secundum naturam obiectivae indifferentia sunt, faciendum, vel omittendum.

SC H. Evoluas omnes leges materialiter positivas, quae rationi conueniunt, & principium hoc generale inductionis ope corroborare poteris. Plura de his infra in observatione de legibus diuinis positivis vniuersalibus dicturi sumus.

§. VI.

Haec constitutio

Possibilitatem eiusmodi legum materialiter positiviarum hac ratione evinco. Non-nullae actiones humanae, secundum natu-

naturam spectatae sunt obiectiue indifferentes (§. 14. obf. 15.). Ideoque secundum naturam perinde est, siue hoc, siue illud suscipiamus (§. 8. obf. cit.). Si itaque voluntate cuiusdam propositio constituatur, quae praescribit, ex iis, quae secundum naturam obiectiue indifferentia, hoc & non illud faciendum, vel omittendum esse; eiusmodi propositio non praescribet facienda, quae natura sunt prohibita. Ex quo satis manifestum est, leges materialiter positivas esse possibiles, quae praescribunt, quid ex iis, quae secundum naturam obiectiue indifferentia sunt, faciendum, vel omittendum (§. 2.).

§. VII.

Sed fortasse dixerit quispiam: eiusmodi legem materialiter positivam inter mala referre, quod, quatenus intrinsece spectatur, bonum est (§. 3.), ideoque principiis sanae repugnare rationis (§. 11. obf. 13.). Respondeo: negandum esse, legem illam materialiter spectatam actionem quandam ea ratione inter malas referre, qua intrinsece bona est. Eiusmodi enim lex indifferentiam solum subiectiuam restringit, ideoque animum ad aliquid ex aequaliter bonis eligendum dirigit (§. 15. obf. 15.). Posita itaque illa lege, extrinsece solum erit malum, ex iis, quae secundum naturam aequaliter bona sunt, id eligere, quod lege illa omittendum praescribitur.

SCH. Quemadmodum in collisione boni minoris cum bono maiore bonum minus manet bonum, licet electio huius sit mala; ita & actio, quae ex aequaliter bonis lege positiva omittenda praescribitur, intrinsece manet bona, licet electio huius ob legem illam positivam malas inter actiones referenda. Ponamus v. g. legem materialiter positivam praescribere ad fidem testamento faciendam adhibendos esse septem testes fide dignos, intrinsece non erit malum, tres adhibere testes, sed hoc ea ex ratione malum erit, quia posita illa lege eiusmodi testamentum non erit sufficiens ad id efficiendum, quod testatoris voluntati conueniens est. Et quae sunt reliqua.

§. VIII.

§. VIII.

Leges materialiter positivae sunt vel conventionales vel positivae simpliciter sic dictae.

Leges quoad materiale ea ex ratione vocantur positivae, quia in cuiusdam voluntate est ratio efficiens sufficiens, per quam actio, quae legis subiectum constituit, bona vel mala est (§. 2.). Quare, quum eiusmodi voluntas aut est voluntas pacifcentium, aut superioris; sequitur, duas esse legum materialiter positiviarum species. Priori ratione vocantur *leges conventionales*, & posteriori ratione simpliciter *leges positivae*.

§. IX.

Et leges materialiter naturales sunt vel necessariae vel contingentes.

Porro leges materialiter naturales in necessarias & contingentes diuiduntur. Quum enim leges materialiter spectatae vocentur naturales, si ipsa actionis moralis essentia rationem efficientem atque sufficientem contineat, per quam actio illa est bona, vel mala (§. 2.): quicquid vero in ipsa rei essentia rationem habet sufficientem atque efficientem, talem habeat vel quatenus rei essentia absolute spectatur, vel quatenus per certas quasdam circumstantias magis determinatur (§. 23. ff. Pr. Log.); sequitur, duo quoque legum materialiter naturalium concipi posse genera. Si actionis moralis essentia in se spectata rationem sufficientem atque efficientem contineat, per quam actio illa est bona, vel mala, *leges naturales* vocantur *necessariae*. Si vero actionis moralis essentia rationem illam solum contineat, quatenus certas per circumstantias magis determinata est, *leges naturales* vocantur *contingentes*.

SCH. Sic lex naturalis necessaria est: *pacta servanda sunt*, ex ipsa enim pacti essentia in se spectata fluit, γ o non servare pactum, esse malum. *Contra* lex naturalis contingens erit: *nou ducas Caiam uxorem*, si nimirum tales obueniant circumstantiae, per quas fieri potest, ut eiusmodi matrimonium rixarum controuersiarumque praebeat causam.

§. X.

Monitum.

Ex quo patet, leges illas naturales, quas contingentes vocauimus, positis illis circumstantiis esse necessarias, ideoque

que ea solum ex ratione vocari contingentes, quia circumstantiae illae contingenter solum adsunt; ideoque actio illa moralis sub aliis esse potest circumstantiis, sub quibus est bona.

§. XI.

Ex quo colligimus, *subiectum legis naturalis contingentis esse actionem moralem, quae non in abstracto, sed in concreto solum bona, vel mala est.* (§. 3. & 4. obs. 15.)

Inde subiectum legis contingentis ponitur.

§. XII.

Haec de differentia legum ratione causae efficientis, a qua lex quoad materiale dependet. Sequitur legum differentia ratione causae efficientis, a qua lex quoad formale dependet. Hanc ita accipe: Legis formale obligatione morali (§. 7. obs. 18.) constituitur, ideoque motiuis, cum lege connexis, quae nos ad id faciendum ducant, quod legis materiale faciendum, aut ad omittendum, quod legis materiale omittendum praescribit (§. 12. obs. 16.). Eiusmodi connexionis rationem efficientem atque sufficientem iterum aut ipsa actionis moralis, quae est legis materialiter spectatae subiectum, essentia, aut cuiusdam continet voluntas. Si illud, *leges quoad formale vocantur naturales, & si hoc, quoad formale vocantur positivae.*

Ratione causae efficientis leges porro quoad formale sunt naturales, vel contingentes.

SCH. Ponamus obligationem, quae nos ducit ad seruanda pacta, hanc esse; quia is, qui pactum non seruat, alteri dat ius cogendi, ideoque inferendi mala: obligatio haec erit naturalis, id est, talis, quae ipsa actionis, de qua sermo est, essentia constituitur. Ideoque lex illa quoad formale quoque erit naturalis. Ponamus porro, obligationem, quae nos ad seruanda pacta ducat, hanc esse; quia is, qui pactum non sponte seruat, ad duplum praestandum cogatur: obligatio haec voluntate cuiusdam erit constituta, ideoque lex illa quoad formale erit positiva.

§. XIII.

Lex, quae quoad formale naturalis est, quoad materiale quoque inter leges naturales referri debet. Si enim lex quoad formale

Lex formaliter naturalis quoque sit

*materialiter
naturalis
est.*

fit naturalis; consequens erit, ipsam actionis, quae legis materialiter spectatae est subiectum, essentiam efficere motiua, quae nos ducant ad id faciendum, quod lex illa materialiter spectata faciendum, & ad omittendum, quod lex illa materialiter spectata omittendum praescribit (§. 12.); ideoque ipsam eiusmodi actionis essentiam rationem sufficientem atque efficientem continere, per quam est bona, vel mala. Quae cum ita sint, manifestum est, legem quoque materialiter naturalem esse, quae formaliter est naturalis (§. 2.).

§. XIV.

*Lex materialiter
positiua quae
formaliter
positiua est.*

Lex, quae quoad materiale est positiua, quoad formale naturalis esse nequit. Quum enim lex, quae quoad formale naturalis, quoad materiale quoque sit naturalis (§. 13.): lex vero, quae quoad materiale est positiua, inter leges, quae quoad materiale naturales sunt, referri nequeat (§. 2.); sequitur, legem, quae quoad materiale est positiua, quoad formale non esse naturalem.

§. XV.

*Fieri potest,
ut cum lege
materialiter
naturali
obligatio
positiua
connetatur.*

Cum lege materialiter naturali obligatio quoque positiua connetti potest. Etenim vna eademque actio intrinsece & extrinsece bona, vel mala esse potest (§. 12. obs. 13.). Enimvero lex materialiter naturalis determinat intrinsecam actionis bonitatem, vel malitiam (§. 1.), & obligatio positiua cum lege connexa extrinsecam actionis bonitatem, vel malitiam constituit (§. 3. 12.). Ergo & fieri potest, ut cum lege materialiter naturali obligatio quaedam positiua connetatur.

SCH. Sic poena gladii, cum violatione legis: *non occidas*, connexa, est obligatio positiua, quae nos ad legem illam, quae quoad materiale naturalis est, obseruandam ducat.

§. XVI.

Et quando?

Cum lege materialiter naturali obligationem positiuam connectere, si naturalis obligatio non satis sit, ad nos, ut legibus naturalibus conuenienter viuamus, ducendos, sanae rationis
con-

conueniens erit principiis. Quum enim sanæ rationis conueniens sit principiis, vt legibus naturalibus conuenienter viuamus; principiis quoque sanæ rationis conueniens erit motiua constituere, quæ satis sunt, ad nos, vt legibus naturalibus conuenienter viuamus, ducendos. Si itaque obligatio naturalis, cum legibus naturalibus connexa, ad illud obtinendum non sit satis; obligationes positiuas cum legibus materialiter naturalibus connectere sanæ rationis conueniens erit principiis (§. 12.).

§. XVII.

Descendunt inde *leges mixtæ* seu *qualificatæ*, quæ Inde definiuntur leges mixtæ. sunt leges, cum quibus obligatio & naturalis & positiuæ connexæ sunt.

§. XVIII.

Quum lex ea ex ratione quoad formale vocetur naturalis, quia ratio efficiens atque sufficiens, per quam motiua cum legis materiali connexa, est ipsa actionis, de qua sermo est, essentia (§. 12.); manifestum est, eadem ex ratione, qua §. 9. argumentati sumus, *leges quoad formale naturales* in *necessarias* & *contingentes* diuidendas esse. *Necessariæ* nimirum sunt, si ipsa actionis moralis essentia in se spectata eiusmodi connexionis contineat rationem sufficientem atque efficientem. *Contingentes* vero, si eiusmodi connexionis ratio sufficiens atque efficiens solum sit in actionis moralis essentia per certas quasdam circumstantias magis determinata.

SCH, Quæ §. 10. monita, hic quoque repetenda sunt.

§. XIX.

Porro, quum lex ea ex ratione sit formaliter positiuæ, Leges formaliter positiuæ sunt vel conuentionales, vel positiuæ simpliciter sic dictæ. quia cuiusdam voluntas contineat rationem sufficientem atque efficientem, per quam motiua, quæ obueniunt, cum legis materiali connexa sunt (§. 12.); eadem ex ratione, quæ §. 8. posita est, sequitur, *leges formaliter positiuas* esse *positiuas* vel *conuentionales*, vel *positiuas simpliciter sic dictas*. Illæ nimirum sunt, si motiua, quæ obligationem positiuam constituunt

stituunt, per voluntatem pacifcentium, & hae, si per voluntatem superioris cum legis materiali connexa.

§. XX.

Dantur leges naturales.

Dantur leges & quoad materiale & quoad formale naturales. Haecce propositio, quam §. 129. I. N. demonstrauimus, argumentatione quoque, quae sequitur, corroborari potest. Ex intrinseca actionum nostrarum bonitate atque malitia, quam §. 9. obs. 13. demonstrauimus, patet, actiones nostras ita comparatas esse, vt earum essentiae sint rationes efficientes atque sufficientes, per quas sunt bonae, vel malae (§. 8. obs. 13.). Enimvero id, quod ipsa actionis moralis essentia sit ratio efficiens atque sufficiens, per quam actio illa est bona, vel mala, satis est, ad constituendam legem quoad materiale naturalem (§. 2.). Dantur ergo leges quoad materiale naturales. Q. e. p.

Quoad alterum hac ratione argumentor: Datur obligatio naturalis (§. 5. obs. 17.). Posita obligatione naturali, ponendae sunt leges quoad formale naturales (§. 12. 13.). Ergo & dantur leges quoad formale naturales. Q. e. a.

SCH. Sic e. g. propositio: *neminem laedas*, est lex & quoad materiale & quoad formale naturalis. *Primum* inde patet, quia ex ipsa actionis, qua quis alterum laedit, essentia legitime necessarioque fluit, ex eiusmodi actione laesum acquirere ius laedenti inferendi malum, ideoque actionem illam nobis esse malam. Est itaque lex quoad materiale naturalis (§. 2.). *Alterum* ea, quae sequitur, ratione manifestum est. Quum ex eo, quod quis alterum laeserit, legitime atque necessario fluat, huic competere ius illi inferendi malum; manifestum est, ipsam naturam nos, ad neminem laedendum, moraliter cogere (§. 5. obs. 12.), ideoque obligare (§. 6. obs. 16.). Ergo & lex illa quoad formale est naturalis (§. 12.).

§. XXI.

Quae sunt leges proprie sic dicuntur.

Leges illae naturales non improprie sed proprie sunt leges morales. Hancce propositionem eadem ratione, qua §. 6. obs. 17. argumentati sumus, corroborare possumus. Fiat argu-

argumentatio: Cui omnia legis moralis proprie sic dictae competunt requisita, id quoque est lex moralis proprie sic dicta. Sed legi naturali omnia legis moralis proprie sic dictae requisita competunt. Ergo & leges naturales inter leges morales proprie sic dictas referendae sunt. Minorem hac ratione probo. In essentialia legis moralis requisita inquisiturus, facile perspiciet, ea esse *primo*, vt propositio quaedam adsit, quae quid faciendum, vel omittendum praescribit; *deinde*, vt mala quaedam consecretaria eiusmodi legis violationi, aut bona consecretaria eiusmodi legis obseruationi constituentur; *tandem*, vt quis adsit, cui competit potestas, mala illa consecretaria legis violatori irrogandi, aut efficiendi, vt bona illa consecretaria legis obseruator possit percipere. Enimuero leges naturales sunt propositiones, quae, quid faciendum, vel omittendum praescribunt (per dem. m. 1. §. 20.). Porro ipsa natura eiusmodi legis violatori mala, & eiusmodi legis obseruatori bona constituit consecretaria (per dem. m. 1. §. cit. coll. §. 6. obs. 17.). Tandem ipsa natura mala illa consecretaria legis violatori irrogat, ipsaque natura efficit, vt bona illa consecretaria legis obseruator percipiat (per dem. §. 5. obs. 17.). Legibus itaque naturalibus omnia competunt essentialia legis moralis requisita. Ergo manifestum est, leges naturales esse leges morales non improprie, sed proprie sic dictas.

SCH. Quae ad propositionem §. 5. obs. 17. demonstratam annotauimus, ea hic illustrationis causa repetenda sunt.

§. XXII.

Legum naturalium veritate atque existentia satis, vt *Obiectio Auctoris dub. I. N. prima.* opinor, demonstrata, audiamus ea, quae ad contrariam sententiam corroborandam, B. dubiorum iuris naturae Auctor adduxit. Ita ille: a) „Multum inter legem & rationem interest. Nam virtus legis in eo solum consistit, vt liget, cogat, praecipiat, vetet b), sed rationis virtus est, vt contempletur, meditetur, suadeat, inuestiget, doceat, non vero vt imperet, iubeat, cogat, in vincula coniiciat; sibi ipsi

„ipſi quoque non imperat, quod ne poteſt; quidem. Quod ma-
 „ximum eſt, conſtantia illi deficit, quamvis reliqua omnia
 „adeſſent. In alios minori iure imperium ſibi aſſerere pot-
 „eſt, quia ſine contradictione dici nequit, quemque propria
 „& ſimul alterius, vel omnium plane hominum ratione re-
 „gi. Id eſſet ius rationis omnium in omnia, quod pauci
 „probandum ducent. Nondum igitur conſtat, quomodo
 „lex, ius & ratio ſunt idem, & quo pacto ratio obligationem
 „contineat.

a) Dubia iuris naturae Cap. IV. §. 32.

b) vid. MODESTINUM L. 7. ff. de Legibus.

§. XXIII.

Reſponſio.

Reſpondeo. Si leges naturales vocentur ius rationis,
 & ſi dicatur, rationem naturalem continere obligationem;
 rationem non ſubiective, ſed obiective ſumendam eſſe. Se-
 cundum ſententiam doctorum, qui in leges naturales inqui-
 runt, non ratio ſubiective ſumta obligat, ſed ratio obiecti-
 ue ſumta, id eſt, nexus veritatum, rerum notionibus ſeu eſ-
 ſentiis atque naturis conſtitutus; ratio vero ſubiective ſumta
 leges atque obligationes, quae eiusmodi nexu conſtituuntur,
 inuenit, euolvit atque docet. In diſciplina mathematica res
 euidentiffima eſt. e. c. ratio obiective ſumta facit, vt in
 quouis triangulo tres anguli, iunctim ſumti, ſint aequales
 duobus rectis: ratio vero ſubiective ſumta hancce veritatem
 inueſtigat atque docet. In diſciplina iuris naturalis par hu-
 ius rei eſt ratio. Quae cum ita ſint, nulla erit contradictio,
 ſi dicamus: *quemque propria & ſimul alterius, vel omnium
 plane hominum ratione regi.* Huius enim eſſati hic erit ſen-
 ſus: quilibet legibus, rerum eſſentiis ſeu naturali veritatum
 nexu conſtitutis, regitur, & quilibet & ſua & alterius ratione,
 ſubiective nimirum ſumta, eiusmodi leges naturali ex veri-
 tatum nexu euoluere, ideoque alios docere poteſt. Ex quo
 porro conſtat, quomodo lex naturalis ſeu ius naturale & ra-
 tio ſint idem, & quo pacto ratio obligationem contineat.
 Syſtema enim legum naturalium eſt pars rationis obiective
 ſumtae,

sumtae, seu nexus veritatum naturalis, quia systema illud est nexus veritatum moralium, & hicce nexus simul continet eam obligationem, quam naturalem vocauimus (per dem. §. 5. obf. 17.).

§. XXIV.

Pergit B. opponens §. 33. Eandem sententiam fouet etiam RACHELIUS a): *singamus*, inquit, *usum rationis & cuncta* *adiuicem sibi simillimam & constantissimam esse, obligationis tamen auctoritatem hinc non erui. Nam in statu naturali, ubi omnes sunt aequales, vnus rationem alterum non obligare. Rationem suadere & demonstrare quidem, sed non obligare.* Ex quibus, pergit B. opponens, id quidem, quod vnus ratio alterum non obliget, parum eo facere arbitramur, vt rationi obligationem denegemus. Vt enim hoc requiramus non admodum necesse est. Sufficeret, si singulorum ratio singulos obstringat. Sic enim omnes ab eadem ratione ligati essent (modo vna esset omnibus), quatenus propria est cuiusque, non quatenus est alterius. Sic animalia faciunt, quod eorum naturae conuenit, idque sine lege, & idem faciunt, quia aequali instinctu aguntur. Idem ergo facerent homines ex lege propriae rationis.

a) in Proleg. ad offic. Ciceronis.

§. XXV.

Respondeo primo ad ea, quae a RACHELIO posita sunt, *Responsio*. si nimirum sermo sit de ratione subiectiue sumta, verum esse, vnus rationem alterum non obligare, sed docere, & contrarium non ea sequi ex sententia, qua leges naturales esse leges proprie sic dictas, ipsamque naturam nos, vt eiusmodi propositionibus conuenienter viuamus, obligare affirmatur. Ratio enim obiectiue sumta obligat, atque leges constituit, & ratio subiectiue sumta in obligationes illas atque leges inquirat, easdemque alios docet. vid. §. 23. *Secundo* respondeo ad ea, quae a B. dubiorum iuris naturae auctore adposita sunt, *primo* ea hic repetenda esse, quae §. 23. dicta sunt,

sunt, nimirum doctores iuris naturalis non ea esse in sententia, vt ratio subiectiue sumta, de qua B. opponens loquitur, obliget; & quae sunt reliqua. *Deinde* sententiae doctorum iuris naturalis non congruere, vt stimuli naturales sint leges, atque obligationes naturales, sed vt leges naturales sint veritates morales, quae id, quod bonum, vel malum est, indicant, vt obligationes naturales sint naturalia actionum moralium consecutaria, per quae actiones illae aut bonae, aut malae sunt, vt ratio subiectiue sumta veritates illas morales, consecutariaque illa actionum moralium manifesta faciat atque perspicua, & vt stimuli naturales sint conatus essentiales, qui nos, vt veritatibus illis conuenienter viuamus, ducunt. vid. §. 2. ff. obs. 3.

§. XXVL

*Obiisio nra
sua.*

Practerea B. opponens l. c. §. 35. „Illud quoque accuratius ostendendum esset, an DEVS nos natura obligatos esse velit. HOBBSIVS id non existimauit. Quid enim, si nos arbitrio nostro, vt reliqua animalia, relictos & permitttere voluit, vt proprio experimento, malis nempe nos mutuo afficientes, disceremus, quid bonum esset, idque pro re nata statueremus. Tum obligatio, qua per naturam DEO tenebimur, cessaret tantisper, donec alia ex reuelatione nobis panderetur. Obiicies, animalia carere ratione, illaque lege aut obligatione non egere; aliud esse in homine, qui proprio arbitrio non fuerit relinquendus, quia in contrarium animus eius flecti potest; ac proinde argumentum ab animalibus ad homines non valere. Resp. Hominem esse animal: animalia non habere legem, nisi eorum naturam, quae adstricta est ad vnum aliquem agendi modum: animalia agere secundum illam naturam seu legem, nec aliter posse: idem non minus euidenter, quam vere de hominibus dici; eandem nempe legem ipsis scriptam esse. Sicuti enim animalia habent vnā legem ipsis scriptam, naturae nempe instinctum, qui semper vnus est idemque: ita homines habent legem, naturam suam, quae quidem „non

non est merus instinctus, vt in animalibus, sed praeter eum, quem cum animalibus communem habent, praediti sunt etiam ratione, qua possunt agere, quod volunt, & instinctus atque imperus suos sequi & non sequi. Itaque haec forte ipsorum lex esse posset, vt quemadmodum animalia unum illum impetum sequuntur, sic & ipsi, vel impetum, vel rationem sequantur, vt lubet, & vt quisque potest. Non dicimus validum & verum esse hoc argumentum, sed solida refutatione egere, quia fundamentum totius legis naturae tangit.

§. XXVII.

Quoad primam huius argumenti contra legum obligationumque naturalium veritatem adducti partem, quae haec est: *Si verum sit, naturam nos obligare; sine reuelatione quoque ostendendum esset, vt DEVS nos natura obligatos esse, velit. Sed vltimum fieri non potest. Ergo & falsum est, nos natura esse obligatos; concedo consequentiam propositionis fundamentalis, nego vero falsitatem consequentis, vt, DEVM, nos natura obligatos esse, velle, sine reuelatione non possit ostendi. Primo enim iis ex principiis, quae sana docet ratio, illam DEI voluntatem, qua naturalem adprobauit obligationem, legitime, vt opinor, deduxi §. 16. obf. 17. Deinde notandum est, rationes, quibus suam confirmare voluit sententiam B. opponens, cum principiis a philosophis satis demonstratis non conuenire. Sumit enim, secundum philosophorum sententiam, obligationem naturalem in eo consistere, vt proprio experimento malis nos mutuo afficientes discamus, quid bonum sit. Et inde infert, si obligatio illa sit vera, obligationem tamen, qua per naturam Deo tenemur, cessare tantisper, donec alia ex reuelatione nobis pandatur, ideoque manifestum esse, sine reuelatione non esse perspicuum, vt DEVS nos natura obligatos esse velit. Enimvero, quod sumit, falsum est. Secundum enim philosophorum sententiam obligatio naturalis consistit in nexu consecretariorum cum actionibus nostris ipsa actionum essentia constituto. Et hunc nexum sola ratione subiectiue sumta*

*Responsio ad
huius ob-
servationis par-
tem pri-
mam.*

Z

per-

perspicere possumus. Ergo & sola nostra ratione rerum ex nexu ea evolvere possumus, quae DEO debemus, seu obligationem, qua per naturam DEO tenemur.

§. XXVIII.

*Et ad par-
tem secundam.*

*Alterum, quod huius obiectionis ratione notandum, hoc est. Hanc esse animalium atque hominum differentiam, ut illorum natura adstricta sit ad vnum aliquem agendi modum, ideoque ut animalia secundum naturam ceu legem agant, nec aliter possint: homines vero praeter naturam, quam cum animalibus communem habent, praediti sint ratione, qua possunt agere, quod volunt, & instinctus atque impetus suos sequi & non sequi. Ex quo infert: non aliam concipiendam esse legem naturalem, quam haecce: *Quemadmodum animalia vnum illum impetum sequuntur, sic & homines, vel impetum, vel rationem sequuntur, ut lubet, & ut quisque potest.* Sed mea ex sententia omnia, quae hac in argumentatione posita, sunt falsa. *Primo* falsum est, ut animalium natura adstricta sit ad vnum aliquem agendi modum. Ea enim praedita sunt spontaneitate, qua id, ad quod instinctu naturali ducuntur, agere possunt & non agere (§. 4. ff. obs. 3.). *Secundo* falsum est, ut instinctus animalium naturalis sit lex (§. 2. obs. 3. & §. 3. obs. 18.) *Tertio* falsum est, a ratione, qua praediti sunt homines, dependere, ut instinctus suos sequi & non sequi possint. Hoc enim a spontaneitate dependet. Ratio in ea, quae bona vel mala sunt, inquirat, a libertate vero dependet, utrum veritatibus, quas ratio docet, convenienter agant, an non agant. Quum omnia haec, quae sumit B. opponens, falsa sint; manifestum est, sine fundamento illatum esse, non aliam concipiendam esse legem naturalem, quam haecce: *homines vel impetum, vel rationem sequuntur, ut lubet, & ut quisque potest.* Veritates morales sunt leges naturales, & leges naturales non indicant facta, sed quae sub conditione euitandi, mali vel sub conditione acquirendi boni facienda (§. 3. ff. obs. 18.). Conf. §. 19. obs. 3.*

§. XXIX.

§. XXIX.

Reliqua, quae in contrarium adduxit, argumenta mit-
tamus. Quae enim a nobis dicta sunt, ad illa eneruanda
sufficiunt. Quaedam ex HOBBSIO addamus. Hic a) in
ca est persuasione, vt leges naturae eatenus duntaxat legum
vim obtineant, quatenus in scripturis sacris oratione Dei
sunt promulgatae; non autem quatenus sunt conclusiones
quaedam ratione intellectae de agendis & omittendis, quia
legis vis ab obligatione dependet, lex vero ante promulga-
tionem non obligat.

*Sententia
Hobbesii de
LL. natura-
libus expli-
cata*

a) de Ciue Cap. III. §. vlt.

§. XXX.

Respondeo: concedendum esse legis vim ab obligatio-
ne dependere, legemque ante promulgationem non obligare
(§. 110. Cor. I. N.); sed negandum esse, leges naturales in
scripturis solum sacris oratione Dei esse promulgatas, seu,
vt verbis THOMASII a) vtamur, philosophum ignorare publi-
cationem iuris naturalis. Ipsa enim in natura leges natura-
les sunt promulgatae. Quod hac ratione euinco. Stimula
naturales, qui homines ad id agendum, quod bonum, &
omittendum, quod malum est, ducunt, hominibus insunt
per naturam (§. 2. obs. 3.): porro homines intellectu atque
ratione, quibus nexus veritatum moralium euoluere atque
perspicere, ideoque leges naturales cognoscere possunt, per
naturam gaudent (per dem. §. 20. & 23.): tandem obligatio-
nes naturales, legibus cum naturalibus connexae sunt natura-
lia actionum moralium consecutaria (per dem. §. 5. obs. 17.). Quae
cum ita sint, manifestum est, posita natura, hominibusque ratio-
nalibus existentibus, omnimode hominibus esse possibile, vt
leges naturales obligationesque naturales cognoscant. Qua-
re, quum lex sit promulgata seu publicata, si omnimode pos-
sibile factum, vt is, qui legem debet obseruare, eandem pos-
sit cognoscere (§. 110. I. N.); sequitur, leges naturales ipsa
in natura hominibus esse promulgatas seu publicatas. vid.
§. 131. I. N.

§. vlt.

SCH. Omnimoda illa possibilitas, de qua dixi, duo requirit, *primum*, ut per vires hominum absolute positae fieri possit, ut leges naturales, obligationesque naturales cognoscant; *deinde* ut idem per vires illas hypothetice consideratas possit fieri, id est, ut eiusmodi cognitionis adquisitio a sola virium adcommodatione dependeat, quae non in hominum solum potestate posita, sed & ita comparata est, ut ad eandem essentiali quodam conatu homines ducantur. Omnimodam hancce possibilitatem adesse non ratio solum demonstravit, sed & ipsa confirmat experientia. E. g. Stimuli naturales, qui nobis insunt, nos ducunt ad ea vitanda, quae tranquillitatem nostram turbant. Stimuli illi excitant conatum ad inquirendum in ea, quibus tranquillitas nostra turbari potest. Intellectus de tranquillitate aliisque, quae obveniunt; rebus distinctas format notiones, & ratio subiective nimirum sumpta in veritatum moralium inquirat nexus. Hoc factum intelligimus, ex ipsa actionis, qua alterum laedimus, essentia talia fluere, quae nostram turbant tranquillitatem, ideoque eiusmodi actionem nobis esse malam, ergo propositioni huic, *neminem laedas*, sub conditione euitandi mali a nobis conuenienter viuendum esse. Quae cum ita sint, ipsa quoque experientia manifestum est, ea, qua dixi, ratione omnimode nobis esse possibile, ut leges naturales obligationesque naturales cognoscamus.

a) in *Fundam. I. N. & G. Lib. I. Cap. V. s. XL*

§. XXXI.

Hoc ad confirmandum probatur leges naturales ipsa in natura non improprie sed proprie promulgatae esse. *Leges obligationesque naturales ipsa in natura non improprie sed proprie promulgatae sunt.* Magistratus, qui legem ciuibus promulgat seu publicat, non facit, ut ea lex ad omnium actu perueniat notitiam, sed legem ea solum ratione publice indicat, qua omnimode possibile est, ut ad omnium notitiam possit peruenire. Si itaque omnimode possibile factum, ut is, qui legem obseruare debet, eandem possit cognoscere; consequens erit, legem huic proprie promulgatam seu publicatam esse. Enimvero posita natura, seu posito veritatum nexu, existentibusque hominibus, qui rationales sunt, omnimode possibile factum est, ut leges natura-

tura-

turales atque obligationes naturales ad omnium hominum peruenire possint notitiam (§. 30. & Schol. §. cit.). Ergo leges naturales obligationesque naturales ipsa in natura non improprie sed proprie promulgatae sunt atque publicatae.

§. XXXII.

Antequam ulterius progrediar, velim vt obserues illud ^{Leges natura-} dictorum corollarium satis euidentis & graue. ^{rales an} *Leges natura-* ^{sunt consilia?} *les non esse consilia proprie sic dicta.* THOMASIVS suam hac ^{Sententia} ^{Thomasi} ^{haec de ra.} de re sententiam, quam permulti sequuti sunt, verbis, quae sequuntur, explicauit a): „Caue ne putes, legem naturalem „& positiuam, diuinam & humanam, esse species eiusdem naturae: Lex naturalis & diuina magis ad consilia pertinet, „quam ad imperia, lex humana proprie dicta non nisi de „norma imperii dicitur. Scilicet inter homines, lex & consilium sibi plerumque opponuntur, & adeo lex pro iussu „sumitur, non doctoris, sed imperantis. Imperium vero „inter homines summatim duplex est: paternum & dominicum, illud magis quaerit vtilitatem subiecti, hoc magis „vtilitatem propriam. Adeoque illud plus participat de „consilio stricte dicto, quam hoc. Imperia publica pro diuerfitate formae Reipublicae modo plus participant de „imperio paterno, modo de dominico: plerumque plus de „dominico. Ratio sibi relicta nescit, quod Deum concipere „debeat vt Regem aut Dominum, qui poenas externas arbitrarias velit inferre iis, qui contra praecepta iuris naturae „faciunt, quia videt, omnes poenas, quae sequuntur transgressores iuris naturalis, qui non sunt sub imperio humano, esse naturales, adeoque improprie dictas. Et quae „reliqua.

a) In Fundam. I. N. & G. Lib. I. Cap. V. §. XXXIV. ff.

§. XXXIII.

Primo de principiis, & deinde de conclusione, quam ^{Quae magis} inde infert THOMASIVS. ^{explicatur} ^{quoad thesisa} ^{primam.} Prima thesisa, quam sumit, haec est: Duo sunt legum genera, alterum quaerit vtilitatem eius, qui

qui obligatur, *alterum* quaerit utilitatem eius, qui obligat. *Illius generis leges ex imperio paterno, huius vero ex imperio dominico* constituuntur. Primum concedo, alterum vero limitandum esse puto. Leges, quae ex imperio paterno, qua tali, constituuntur, quaerunt utilitatem eius, qui obligatur, non vero omnes leges, quae utilitatem eius, qui obligatur, quaerunt, ex imperio paterno constituuntur. Non enim ipsa solum natura sed & iure dominii possunt constitui. Quum enim *alia sit quaestio de legum scopo, alia de fundamento*, quo alicui ius ferendi leges competit: & quum: *leges iure dominii constitutas esse*, non ad primam sed ad alteram respondeat quaestionem: manifestum est, salva ea thesi, ut lex iure dominii sit constituta, fieri posse, ut ea lex utilitatem eius, qui obligatur, quaerat.

SCH. Estne populi salus summa, quo quis in civitate gaudet, imperii finis? Suntne pessimi ministri, principique suo maxime noxii, qui utilitatem populi ab utilitate principis serungunt, illumque opprimere student, ut huic profint? sequitur inde, salva ea thesi, ut princeps civitatis iure imperii civilis atque dominii leges civibus constituat, fieri posse, ut eiusmodi leges utilitatem eorum, qui obligantur, quaerant.

§. XXXIV.

Quand the-
sin alteram.

Alteram thesin haec est: leges, quae utilitatem eius, qui obligatur, quaerunt, magis sunt consilia quam leges. Formale consilium, mea sententia, hoc est, ut quidem, quid bonum vel malum sit agenti indicet, non tamen obliget, id est, non constituat, ut actio in consilio praescriptae contraria sub conditione evitandi mali vel sub conditione acquirendi boni sit impossibilis (§. 122. I. N.). Iam vero leges, quae utilitatem eius, qui obligatur, quaerunt, non indicant solum, quid bonum vel malum sit, sed & actionem, de qua sermo est, ea ratione praescribere possunt, qua actio praescriptae contraria sub conditione evitandi mali vel acquirendi boni est impossibilis. Eiusmodi itaque leges minus accurate vocantur consilia. Si putas, eundem esse consilii scopum,

pum, quem eiusmodi habent leges, nihil repugnabo. Sed fluit, inde, eiusmodi leges esse consilia? potestne eadem propositio alia ratione inter leges & alia ratione inter consilia referri? Consilia sunt ea ratione, qua praescribuntur ab eo, qui non habet potestatem obligandi, sed solum persuadendi, leges vero ea sunt ratione, qua ab eo praescribuntur, qui potestate obligandi gaudet.

SCH. Sic si amicus amico hasce dederit agendi normas: *abstinendum est a luxu, cauendi sunt affectus vehementiores*, normae illae erunt consilia. Sunt vero leges, si ea considerentur ratione, qua ipsa natura atque rerum constituuntur nexu. Ipsa enim natura eiusmodi legum violatores ante tempus destruit. Porro erunt leges, si ab Imperante ciuibus sub poena v. g. carceris sint constitutae.

§. XXXV.

Tertia thesis haec est: Ratio sibi relicta nescit, Deum nobis concipiendum esse vt Regem aut Dominum, qui iis, qui contra praecipua iuris naturae faciunt, poenas velit inferre proprie sic dictas. Sed vtrumque falsum est. Rationem sibi relictam Deum vt Regem atque Dominum concipere, satis a nobis demonstratum est §. 9. de ciuit. Dei. Porro Deum qua Regem atque Dominum velle iis, qui contra iuris naturae praecipua faciunt, poenas inferre proprie sic dictas, patet ex §. 32. ciuit. Dei. a) Si putas, poenas, de quibus locus citatus agit, non esse arbitrarias sed naturales, ego iterum nihil repugnabo. Estne obligatio naturalis obligatio proprie & stricte sic dicta (§. 6. obi. 7.)? Quenam est ratio, cur poenae naturales, quae obligationem naturalem constituunt, non sint poenae propriae sed impropriae? Estne poena gladii, legum violatoribus ab imperante iure imperii seu dominico constituta, ea ex ratione poena proprie sic dicta, quia eiusmodi irrogatio legum violatores ante tempus destruit? Ipsa natura eos, qui non a luxu abstinere, ante tempus destruit. Ergo & haec destructio inter poenas proprie sic dictas referri debet. Nulla sane est differentia quam

quam haec, vt priori in casu legum violator auctoritate Imperantis, posteriori vero in casu ipsa natura ante tempus destruat.

a) Conf. die zwote Samml. meiner philosophischen Nebenstunden den die 3. Abhandlung.

§. XXXVI.

Et infirma-
iur.

Haec de principiis, sequitur conclusio, quae haec est: Leges naturales magis ad consilia quam ad leges pertinent. Nervus argumenti, quo eandem corroboravit, hic est. *Leges, quae solum utilitatem eius, qui obligatur, quaerunt, & cum quibus nullae connexae sunt poenae externae atque arbitrariae earum violatoribus inferendae, magis sunt consilia, quam leges. Sed leges naturales, qua tales, quaerunt solum utilitatem eorum, qui obligantur, & cum legibus naturalibus, quae tales, id est, quatenus ratione sibi relicta cognoscuntur, nullae connexae sunt poenae externae, atque arbitrariae earum violatoribus inferendae. Ergo leges naturales, qua tales, magis sunt consilia quam leges.* Respondeo primo, negandam esse propositionem maiorem (§. 34. 35.). Deinde, ratione propositionis minoris duo esse distinguenda. Quod primum attingit, leges nimirum naturales, qua tales, quaerere solum utilitatem eorum, qui obligantur, aut sermo est de scopo atque effectu legum proximo, aut de remoto. Si de remoto, propositionem illam concedo. Et hoc est, quod leges naturales cum omnibus legibus ratione quadam obiectiva atque secundum sapientiae legem latis habent commune. a) Si de proximo, propositionem illam uniuersaliter veram esse nego. Valet enim solummodo de eiusmodi legibus, quae officia erga se ipsum, non vero de iis, quae officia erga alios atque officia in societate obseruanda praescribunt. Quod alterum propositionis minoris membrum attingit, concedo quidem rationem sibi relictam non perspicere poenas arbitrarias eiusmodi legum violatoribus inferendas cum iis esse connexas. Sed quid inde? satis esse videtur, rationem sibi relictam intelligere, ipsa natura cum eiusmodi legum violationibus poenas

poenas esse connexas. Haec vero poenas proprie tales esse, non patet solum ex iis, quae §. 35. monita sunt, sed & ea, quae de poenis infra demonstrabo, satis docebunt.

a) Conf. die erste Samml. meiner philosophischen Nebenstunden die 2. Abhandl. s. 6. ff.

§. XXXVII.

His praemissis, facile erit demonstrare, *leges naturales, quae tales, non esse consilia.* Quaecumque enim propositio non indicat solum, quid bonum, vel malum sit, sed malum prohibet, bonum ea ratione praecipit, ut prohibitum facienti mala, & praecepto conuenienter viuenti bona constituat consecraria, sub eiusmodi actionis conditione actu percipienda: ea propositio, qua talis, non est consilium (§. 34.). Enimvero *leges naturales, quae tales, non indicant solum, quid bonum, vel malum sit, sed malum prohibent & bonum ea ratione praecipunt, ut prohibita facienti mala, & praeceptis conuenienter viuenti bona constituent consecraria sub eiusmodi actionum conditione actu percipienda (per dem. §. 21.).* *Leges itaque naturales, quae tales, non sunt consilia.*

§. XXXVIII.

Haec de prima conditione, ex qua generales legum diuisiones peti possunt, sufficiant. Transeo ad alteram §. 1. *obiectum* nimirum *legis* seu actionem, quae aut facienda, aut omittenda praescribitur. Non multum est, quod distincte hic enarrari potest. Quum enim sermo sit de legibus moralibus; manifestum est, obiectum legis esse actionem moralem, id est, actionem ad libertatem referendam. Hoc praemisso, sequitur, *tria* hic solum distinguenda esse, *qualitatem* nimirum actionis moralis, *quantitatem* atque *scopum*, nimirum proximum. Ratione *qualitatis* argumentor: Obiectum legis moralis aut est actio bona, aut mala. Illa facienda, haec omittenda praescribitur. Ergo & *leges* priori ratione *praecepta* seu *leges affirmatiuae*, & posteriori ratione *leges prohibitoriae* seu *negatiuae* vocantur.

SCH. Sic leges affirmatiuae sunt: *boneste viue, superiori pare*; leges vero negatiuae: *non committe crimen laesae maiestatis, neminem laede.*

§. XXXIX.

Quae magis
discriminan-
tur, si sint
leges natu-
rales.

Leges naturales affirmatiuae praescribunt ea facienda, quae intrinsece bona sunt. Et leges naturales negatiuae praescribunt ea omittenda, quae intrinsece sunt mala. Quum enim leges naturales intrinsecam actionum bonitatem, vel malitiam exprimant (§. 3.), & quum natura nos non obligari possit ad faciendum, nisi quod bonum est, & ad omittendum, nisi quod malum est (§. 93. I.N.), leges vero affirmatiuae nos ad aliquid faciendum, & leges negatiuae nos ad aliquid omittendum obligent (§. 38. & §. 3. obi. 18.); sequitur, leges naturales affirmatiuas ea solum facienda praescribere, quae intrinsece bona sunt, & leges naturales negatiuas ea solum omittenda praescribere, quae intrinsece mala sunt.

§. XL.

& si sint le-
ges positivae.

Leges positivae rationi conuenientes, quae sunt affirmatiuae, id, quod ex iis, quae secundum naturam obiectiue indifferentia sunt, faciendum, & quae sunt negatiuae, id, quod ex iis, quae secundum naturam obiectiue indifferentia sunt, omittendum, praescribunt. Veritas huius principii immediate sequitur ex §. 5. coll. §. 38.

§. XLI.

Leges affir-
mativae
sunt vel ver-
baliter vel
realiter tales.

His praemissis, facile est intelligere, duo esse legum affirmatiuarum genera. Quaedam nimirum ita comparatae sunt, vt earum violatio simul inuoluat violationem legum negatiuarum; quaedam vero ita sunt comparata, vt ab earum violatione ad violationem legum negatiuarum non valeat consequentia. *Illas compendii causa leges verbaliter affirmatiuas, has vero leges realiter affirmatiuas* vocabo. vid. §. 1. obi. 10.

SCH. Sicv. gr. lex: *suum cuique tribue*, est lex verbaliter solum affirmatiua. Actio enim huic contraria inuoluit violatio-
nem

nem legis negatiuae: *neminem laede*. Porro: *da elemosynas* est lex realiter affirmatiua. Ex eo enim, quod quis hancce violauerit legem, inferri nequit, legem quandam negatiuam ab eodem violatam esse.

§. XLII.

Leges verbaliter solum affirmatiuae sunt leges negatiuae verbaliter per certas quasdam circumstantias magis determinatae. Quum enim a violatione legis verbaliter solum affirmatiuae ad violationem legis negatiuae valeat consequentia (§. 41.); manifestum est, legem negatiuam legi verbaliter affirmatiuae inesse, ideoque leges haece affirmatiuas & negatiuas aut esse perfecte easdem, aut leges negatiuas esse leges affirmatiuas certas per circumstantias magis determinatas, aut leges illas affirmatiuas esse leges negatiuas certas per circumstantias magis determinatas. (§. 103. ff. P. L. Log.). *Primum* non esse, inde patet, quia leges negatiuae omittenda & affirmatiuae committenda praescribunt (§. 38.). *Alterum* non esse, eadem ex ratione manifestum est. Ergo tertium esse, sequitur.

SCH. Sic lex: *pacta seruanda sunt*, est lex negatiua: *neminem laedas*, per facta illa, quibus quis pacto se alteri obligauit, hac ratione magis determinata:

Neminem laedas.

Qui pacto se alteri obligauit, & pactum non seruat, is alterum laedit.

Ergo pacta seruanda sunt.

§. XLIII.

Haec de qualitate obiecti, circa quod leges versantur. Sequitur eiusmodi obiecti quantitas. Cuius ratione primum hoc notari debet theorema: *Leges naturales omnes actiones morales intrinsece malas prohibent.* Quod argumentatione, quae sequitur, euinco; Actiones intrinsece malae secundum naturam nobis sub conditione euitandi mali sunt impossibiles (§. 7. & 10. obs. 13.). Ipsa itaque natura nos, ad eiusmodi actiones vitandas, moraliter cogit. (§. 5. obs. 12.). Quare,

quam coactio moralis ipsa natura constituta, sit obligatio naturalis (§. 6. obs. 16. & §. 2. obs. 17.); sequitur, ipsam naturam nos obligare ad ea omittenda, quae intrinsicè mala sunt. Ex quo patet, leges naturales omnes actiones morales intrinsicè malas prohibere (§. 12. 13. 38.).

§. XLIV.

Quae intrinsicè bona, quae ratione a LL. nat. praecipuntur. Alterum hoc est. *Leges naturales omnes actiones intrinsicè bonas, quae non, quatenus secundum naturam spectantur, sunt obiective indifferentes, praecipunt.* Quod argumentatio, quae sequitur, corroborat. Actionum intrinsicè bonarum, quae non obiective indifferentes sunt, oppositae secundum naturam nobis sub conditione acquirendi boni sunt impossibiles (§. 7. & 10. obs. 13. & §. 8. obs. 15.). Ipsa itaque natura nos ad eiusmodi actiones faciendas inuitat (§. 7. obs. 12.). Enimvero ea inuitatio est obligatio naturalis (§. 6. obs. 16. & §. 2. obs. 17.). Ergo ipsa natura nos ad ea facienda obligat, quae intrinsicè bona & non obiective indifferentia sunt. Leges itaque naturales omnes actiones intrinsicè bonas, quae non, quatenus secundum naturam spectantur, sunt obiective indifferentes, praecipunt (§. 12. 13. 38.).

§. XLV.

Ex quibus colligitur, quae ratione omnes actiones humanae sunt obiectum legum naturalium.

His ex praemissis inducimus, obiectum legum naturalium affirmatiuarum esse omnes actiones morales intrinsicè bonas, quae non, quatenus secundum naturam spectantur, sunt obiective indifferentes (§. 44. 38.). Et obiectum legum naturalium negatiuarum esse omnes actiones morales intrinsicè malas (§. 43. 38.). Quare, quum omnes actiones nostrae intrinsicè aut bonae, aut malae sint (§. 9. obs. 13.); & quum omnes leges naturales aut sint affirmatiuae, aut negatae (§. 38.); manifestum est, omnes actiones nostras, quae secundum naturam non sunt obiective indifferentes, legum naturalium esse obiecta, id est, nullam esse actionem humanam, iis, quae secundum naturam obiective indifferentes sunt, exceptis, quae legibus naturalibus non praecipitur, aut prohibetur.

§. XLVI.

§. XLVI.

Et haec est obiectiua illa vniuersalitas, quam legibus naturalibus doctores tribuunt, & cuius ratione leges positiuas particulares vocant. Haec generis in species, resolutio, hac ratione fieri potest. Si leges non separatim, sed coniunctim spectentur, id est, si vniuersi legum systematis habeatur ratio, aut omnes actiones humanae, quae non secundum naturam obiectiue indifferentes sunt, eiusmodi ad leges referri possunt, aut quaedam solum ad easdem possunt referri. Si illud, *Leges illae*, quae hoc loco vniuersum legum systema significant, sunt *obiectiue vniuersales*, & si hoc, *leges obiectiue particulares*.

Inde patet, leges ratione quantitatis obiecti esse vel vniuersales vel particulares.

SCH. Si lex vocatur vniuersalis, potest id triplici sensu intelligi. *Primum* est hic: propositio obligatoria, quae est lex, est vniuersalis, id est, prohibet aut praecipit actionem vniuersaliter sumtam. Hoc sensu vniuersalis est lex: *omnes actiones, quibus quis alterum laedit, omittendae sunt.* *Alter* sensus hic est: vniuersum legum systema omnes omnino actiones, quae non natura sua obiectiue indifferentes sunt, aut praecipit aut prohibet. Hoc sensu leges naturales vniuersales vocauit. *Tertius* sensus est hic: lex omnes omnino homines obligat. Hoc sensu de legum naturalium vniuersalitate, quae subiectiua vocatur, suo loco discussuri sumus.

§. XLVII.

Tandem de diuisione legum, quae ex consideratione scopi fiunt (§. 38.). Quicquid lege faciendum praescribitur, aut est ipse scopus essentialis rei, cuius causa lex illa constituta, aut est talis actio, quae ad scopum illum obtinendum conducit. Si prius, *leges* vocantur *fundamentales*, & si posterius, *minus-fundamentales*.

Leges ratione scopi sunt vel fundamentales vel minus-fundamentales.

SCH. Sic lex hominum ratione constituta: *conserua te ipsum*, & lex reipublicae causa data: *non agas contra ciuitatis securitatem*; sunt *leges fundamentales*, illa hominum, haec reipublicae causa. *Contra lex: neminem laedus*, & *lex: ita age, vt quilibet pro statu suo commode viuere possit*; sunt *leges minus-fundamentales*.

mentales. Illa ad obtinendum scopum priore lege fundamentali, & haec ad obtinendum scopum posteriore lege fundamentali praescriptum conducit.

§. XLVIII.

*Haec sunt
naturales.*

Omnes leges fundamentales ratione rei, cuius causa observandae, sunt leges quoad materiale naturales. Quum enim leges fundamentales, qua tales, id solum faciendum praescribant, quod est ipse scopus essentialis rei, cuius causa sunt leges (§. 47.); sequitur, ea, quae legibus fundamentalibus, quae talibus, praescribuntur, per ipsam rei, cuius ratione sunt leges, essentiam faciendam ideoque bona esse. Enimvero, si ipsa rei essentia sit ratio efficiens atque sufficiens, per quam actio moralis, de qua est sermo, est bona, lex, quae in de constituitur, quoad materiale erit naturalis (§. 2.). Omnes ergo leges fundamentales ratione rei, cuius causa observandae, sunt leges quoad materiale naturales.

§. XLIX.

*Hac ratio
vel natura-
les vel posi-
tivas.*

Leges minus-fundamentales in naturales atque positivas diuidendas esse, hac ratione euinco. Leges minus fundamentales obligant ad ea faciendam, quae ad scopum rei essentialem obtinendum conducunt (§. 47.). Quicquid ad scopum rei essentialem obtinendum conducit, aut ita comparatum est, ut sine eo scopus ille existens fieri nequeat, aut ita, ut sine eo scopus ille fieri possit existens. Si prius, ipsa natura nos ad ea faciendam obligat (§. 2. obs. 17.), ideoque leges minus-fundamentales sunt naturales (§. 2.). Si posterius, obligatio ad ea faciendam non est naturalis (§. 2. obs. 17.), ergo & leges minus-fundamentales, quae ea faciendam praescribunt, sunt positivas (§. 2. & §. 14.).

§. L.

*Positivae
sunt minus
fundamen-
tales.*

Sequitur inde, omnes leges materialiter positivas, si rationi conveniant, esse leges minus-fundamentales, id est, tales, quae obligant ad ea agenda, quae ad ea, quae natura praescribit, observanda conducunt. Ut enim lex materialiter positiva aut id so-

id solum faciendum praescribit, quod est ipse scopus essentialis rei, cuius causa est lex; aut id, quod praescribit, ab essentiali eiusmodi rei scopo diuersum est. Si prius, erit lex fundamentalis (§. 47.), ideoque naturalis (§. 48.). Ergo posterius esse debet. Quicquid itaque eiusmodi lege materialiter positua praescribitur, aut ad scopum rei, cuius ratione sit lex, essentialem obtinendum conducit, aut huic repugnat (§. 4. obf. 10.). Si hoc, lex illa non erit rationi conueniens. Si itaque leges materialiter posituae sint rationi conuenientes, necesse erit, vt sint leges, quae obligant ad ea facienda, quae ad ea, quae natura praescribit, obtinenda conducunt (per dem. §. 48.), ideoque vt sint leges minus-fundamentales (§. 47.)

§. LI.

Ex quo colligimus 1) leges materialiter posituas, quae rationi conueniunt, praescribere, ex iis, quae secundum naturam obiectiue indifferentia sunt, id faciendum vel omit-
Non-nulla
confutari
ex illis.
tendum esse, cuius commissio vel omissio spectari potest vt tale, quod ad ea, quae natura praescribit, obtinenda conducit (§. 5.). 2) Leges materialiter posituas rationi non conuenire, nisi, quae talem leges ad naturales habent relationem, quae est relatio mediorum ad finem.

SCH. Sumas v. g. SENATVS CONSVLTVM MACEDONIANVM, quo cautum est, ne iis, qui sub patria potestate sunt, sine eius, sub cuius sunt potestate, consensu, mutua daretur pecunia, & facile perspicies, scopum eius legis materialiter posituae non esse vltimum sed intermedium, ideoque eam legem tale praescribere, quod ad aliud quoddam obtinendum conducit, nimirum ad remouenda ea, quae filiis familias, officia, quae patri debet, violandi, praebuerunt occasionem. *Non violas officia, quae patri debes*, est lex naturalis. Ergo lex illa materialiter positua eam ad legem quandam naturalem habet relationem, quam media habent ad finem. Et quae sunt reliqua. Vsum quem in interpretandis legibus posituius hocce praestat principium, suo demonstrabo loco.

§. LII

§. LII.

*Porro leges
ratione sub-
iecti sunt
vel uniuersales
vel
particulares.*

Haec de diuisione legum, quae ex obiecti, circa quod versantur, consideratione descendit. Sequitur tertia conditio, ex qua generales legum diuisiones peti possunt, subiectum nimirum, quod, ut eiusmodi lege conuenienter uiuat, obligatum (§. 1.). Huius conditionis causa argumentor: Lex aut omnes, per quos actio, quae ea lege aut facienda, aut omittenda praescribitur, fieri potest, ad id, quod faciendum praescribitur, faciendum, & ad id, quod omittendum praescribitur, omittendum obligat, aut non omnes, per quos eiusmodi fieri potest actio, ad eandem faciendam, vel omittendam obligat. Si illud, lex uocatur *subiectiue uniuersalis*, & si hoc, *subiectiue particularis*.

SCH. Dixi, legem subiectiue uniuersalem omnes obligare, per quos actio, quae lege aut facienda, aut omittenda praescribitur, fieri potest. Rationem huius accipe. Non-nulli legem subiectiue uniuersalem definiunt per legem, quae omnes omnino homines obligat. Sed permultae sunt leges, quae talem praescribunt actionem aut faciendam, aut omittendam, quae non per omnes homines, qua tales, sed solum per omnes homines, qui in determinato quodam statu uiuunt, fieri possunt. E. g. *cole parentes, superiori pare*, sunt leges, quae tales praescribunt actiones, quae per eos solum possibiles sunt homines, quorum parentes uiuunt, & qui sub superioris cuiusdam sunt potestate. Quare, quum eiusmodi leges a doctoribus inter leges subiectiue uniuersales referantur; sequitur, secundum loquendi usum leges subiectiue uniuersales non definiendas esse, per leges, quae omnes omnino homines obligant; sed per leges, quae omnes obligant homines, per quos actiones legibus praescriptae sunt possibiles.

§. LIII.

*Illae sunt
vel absolute
vel secundum
quid
uniuersales.*

Quum leges subiectiue uniuersales omnes obligent homines, per quos actiones, legibus illis aut faciendas, aut omittendas praescriptae, sunt possibiles (§. 2.); & quum eiusmodi actiones aut per omnes homines simpliciter positae, aut per omnes homines, qui in eodem uiuunt statu, possibiles sint; sequitur, *leges*

leges subiectiue vniuersales in absolute & secundum quid vniuersales diuidendas esse. Absolute nimirum subiectiue vniuersales sunt, quae omnes omnino homines simpliciter positos obligant, & leges secundum quid subiectiue vniuersales sunt, quae omnes homines, qui in eodem viuunt statu, obligant.

SCH. Sic lex: *neminem laedas*, est subiectiue atque absolute vniuersalis. Per omnes enim homines simpliciter positos eiusmodi actiones, quibus alter laeditur, possibiles sunt. Ideoque lex illa omnes homines simpliciter positos obligat. Contra lex: *pacta sunt seruanda*, est lex subiectiue atque secundum quid vniuersalis, eos enim solum obligare potest homines, qui se pacto quodam ad alteri aliquid praestandum obligauerunt.

§. LIV.

Leges naturales sunt subiectiue vniuersales. Quum enim ^{Subiectiua} leges naturales eos obligent, qui actiones legibus naturali- ^{legum na-} bus prohibitas non, nisi sub conditione percipiendi mali a ^{turalium} natura cum eiusmodi legum violatione connexi, facere, & ^{probatum} actiones legibus naturalibus praecipitas non, nisi sub condi- ^{vniuersali-} tione euitandi boni a natura cum eiusmodi legum obserua- ^{tas.} tione connexi, omittere possunt (§. 2. obs. 17.): quilibet vero mortalium, qui actionem a lege naturali prohibitam facit, mala illa percipere, & qui actionem lege naturali praecipitam omittit, bona illa vitare debeat (§. 3. & §. 10. obs. 13.); sequitur, leges naturales omnes obligare homines, per quos actio, quae lege naturali aut facienda aut omittenda praecipitur, fieri potest. Ideoque leges naturales esse subiectiue vniuersales (§. 52.).

§. LV.

Ex quo fluit 1. leges naturales, quae actiones aut fa- ^{Non nullae} ciendas aut omittendas praecipunt, quae per omnes omni- ^{inde dedu-} no homines fieri possunt, esse absolute vniuersales. 2. Leges ^{cuntur con-} naturales, quae eas praecipunt actiones aut faciendas aut ^{suetaria.} omittendas, quae per eos solum fieri possunt homines, qui in eodem viuunt statu, esse secundum quid vniuersales (§. 53.).

Bb

3. Le

3. Leges, quæ subiectiue solum sunt particulares, esse positivas (§. 54. 2.).

§. LVI.

Scholasticorum hac de re sententia explicatur

Operæ pretium est indicare hoc loco, quid scholastici circa hanc rem philosophati sint? scilicet illi arbitrantur, leges naturales negatiuas esse absolute, affirmatiuas vero secundum quid vniuersales, illasque semper, vt dicunt, & ad semper, has quidem semper sed non ad semper obligare, a) id est, legem naturalem negatiuam officium ab hominibus in quocunque statu, & in quacunque relatione viuentibus præstandum, legem vero naturalem affirmatiuam tale solum inculcare officium, quod ab hominibus peculiari in statu peculiarique in relatione viuentibus præstandum. E. gr. *neminem laedas*, homines in quocunque statu viuentes omni momento obligare. Legem vero, *pacta seruanda sunt*, non omnes homines omni, sed eo solum momento obligare, quo pacto se ad alteri aliquid præstandum obligarunt.

a) vid. ZIEGLERVM in obseru. ad GROTIUM Lib. II. Cap. XVI §. 29.

§. LVII.

Et restringitur.

Accipe meam epicrisin. *Recte* leges naturales in absolute & secundum quid vniuersales diuiduntur. *Recte* asseritur, leges naturales absolute vniuersales omnes omnino homines omnique momento, leges vero naturales secundum quid vniuersales non omnes homines omni, sed eo solum momento obligare, quo in tali viuunt relatione, ad quam leges illae pertinent. *Vnicum* cum THOMASIO a) moneo. Effectus isti non ab affirmatione vel negatione, sed a qualitate actionis lege præscriptae dependent. Suntne propositiones: *honeste uiue, conserua te ipsum*, leges naturales affirmatiuae, & propositiones, *non committe crimen laesae maiestatis, non emigra e ciuitate sine principis consensu*, leges naturales negatiuae? Suntne illae leges absolute, & hae secundum quid vniuersales?

a) in Institutionibus Iurisprud. diuinae Lib. I. Cap. II. §. 113. ff.

§. LVIII.

§. LVIII.

Haec de subiecto, quod, vt legi conuenienter viuat, obligatum, fufficiant. Sequitur *quartum*, qualitas nimirum obligationis cum lege materialiter fpectata connexae (§. 1.). Obligatio eft vel cogens, vel inuitans (§. 7. obf. 16.). Ergo & leges in cogentes & inuitantes funt diuidendae. *Leges cogentes* funt, quae tale faciendum praefcribunt, cuius omiffio nobis fub conditione euitandi mali eft impoffibile. Et *leges inuitantes*, quae tale praefcribunt, quod fub conditione acquirendi boni a nobis neceffario faciendum.

SCH. I. Sic: *neminem laedas*, eft lex naturalis cogens, violatio enim eiusmodi legis nobis neceffario infert mala. Contra, lex naturalis, *quae nos ducit, ad vires animi augendas*, eft inuitans, eiusmodi enim legis violatio maiorum neceffario impedit perfectionum acquisitionem.

SCH. II. Quemadmodum coactio & phyfice & moraliter fumi- tur (§. 4. & 5. obf. 12.); ita & ambigua erit legis cogentis fignificatio, aut enim coactio moralis aut coactio phyfica fpectatur. Dixi de legibus cogentibus priori fignificatione fumptis. Leges cogentes posteriori fignificatione fumptae funt, quarum ratione alteri competit ius nos, vt leges illas obferuemus, phyfice cogendi. Sed de his fuo loco plura.

§. LIX.

Leges naturales, quae faciendum praefcribunt, quod perfectionem priuatiuam, & omittendum, quod imperfectionem, quae in oppofitione ad perfectionem priuatiuam talis eft, efficit, funt *leges naturales cogentes*. Ponamus legem naturalem faciendum praefcribere, quod perfectionem priuatiuam, aut omittendum, quod eam efficit imperfectionem, de qua dixi; fequitur, eiusmodi legem id faciendum praefcribere, cuius omiffio, aut omittendum, cuius commiffio nobis fub conditione euitandi mali eft impoffibilis (§. 14. & 15. obf. 10.). Ipfa itaque natura nos, vt eiusmodi legibus conuenienter viuamus, moraliter cogit (§. 5. obf. 12.). Ex quo patet,

obligationem ipsa natura eiusmodi cum legibus connexam esse cogentem (§. 7. obs. 16.), ideoque leges illas esse cogentes (§. 8.).

§. LX.

& quando inuitantes.

Leges naturales, quae faciendum praescribunt, quod perfectionem positivam, & omittendum, quod imperfectionem, quae in oppositione ad perfectionem positivam talis est, efficit, sunt leges naturales inuitantes. Si lex naturalis faciendum praescribit, quod perfectionem positivam, aut omittendum, quod eam efficit imperfectionem, quae in oppositione ad perfectionem positivam talis est; consequens erit, legem illam id faciendum praescribere, cuius omissio, aut omittendum, cuius commissio nobis sub conditione acquirendi boni est impossibilis (§. 14. & 15. obs. 10.). Ideoque ipsam naturam nos, ad eiusmodi legibus conuenienter viuendum, inuitare (§. 7. obs. 12.). Quae cum ita sint, manifestum est, obligationem ipsa natura eiusmodi cum legibus connexam, esse inuitantem (§. 7. obs. 16.), ideoque leges illas esse inuitantes (§. 58.).

§. LXI.

Illae positivae inuitantes, & hae positivae cogentes fieri possunt.

Cum lege naturali, quae est inuitans, obligatio positiva cogens, & cum lege naturali, quae est cogens, obligatio positiva inuitans potest connecti. Quum enim sanae rationis conueniens sit principiis, cum legibus naturalibus positivam connectere obligationem, si naturalis non satis sit, ad nos, vt legibus naturalibus conuenienter viuamus, ducendos (§. 16.); consequens est, sanae rationis quoque conuenire principiis, vt voluntate cuiusdam cum legibus naturalibus talia connectantur consuetaria, quae nos ad ea agenda inuitant, ad quae agenda natura nos moraliter cogit, & quae nos ad ea agenda moraliter cogunt, ad quae agenda natura nos inuitat (§. 5. ff. obs. 12. & §. 12. h. obs.). Quare, quum primum det obligationem positivam cogentem, & alterum obligationem positivam inuitantem (§. 2. obs. 17. & §. 7. obs. 16.); manifestum est, sanae rationis conuenire principiis, vt cum legibus

gibus naturalibus, quae sunt inuitantes, obligatio positua cogens, & cum legibus naturalibus, quae sunt cogentes, obligatio positua inuitans connectatur.

§. LXII.

Tandem de *qualitate*, qua obligatio cum legis materiali est connexa (§. 1.). Hicce nexus aut *mutabilis* aut *immutabilis* est. *Mutabilis* erit, si legis violatio sine consecratorum, quae obligationem constituunt, perceptione poni possit, & *immutabilis* erit, si legis violatio sine consecratorum, quae obligationem constituunt, perceptione nulla poni possit ratione.

Tandem vatione qualitatis connexionis leges sunt vel mutabilis vel immutabilis.

§. LXIII.

Si leges quoad formale sint necessariae, nexus quoque obligationis, cum legis materiali erit immutabilis. Et si leges quoad formale sint contingentes, nexus quoque obligationis cum legis materiali erit mutabilis. Quum lex ea ex ratione quoad formale sit necessaria, quia ipsa actionis moralis essentia in se spectata continet rationem sufficientem atque efficientem consecratorum, quae obligationem cum lege connexam constituunt (§. 18.): & quum posita essentia id quoque poni debeat, quod in essentia illa in se spectata rationem continet sufficientem atque efficientem (§. 96. Cor. 1. Ph. pr.); sequitur, vt legis quoad formale necessariae violatio sine perceptione consecratorum, quae obligationem illam constituunt, poni non possit, ideoque vt nexus obligationis cum legis materiali sit immutabilis, si lex quoad formale sit necessaria (§. 62.). Q. e. p.

Quae diuisio ad leges quoad formale necessariae & contingentes adcommo-

Quum porro lex ea ex ratione quoad formale sit contingens, quia ipsa actionis moralis essentia in se spectata non continet rationem sufficientem atque efficientem consecratorum, quae obligationem cum lege connexam constituunt (§. 18.): & quum posita actione id solum necessario ponendum sit, quod ad eiusmodi actionis essentiam pertinet, & ex eadem necessario fluit (§. 1 § 1. Ph. pr.); manifestum est, legis

quoad formale contingentis violationem sine perceptione confectariorum, quae obligationem illam constituunt, posse poni, ideoque nexum obligationis cum legis materiali esse mutabilem, si lex quoad formale sit contingens (§. 62.)
Q. e. a.

§. LXIV.

*Et non-nulla
inde dedu-
cuntur con-
suetudinaria.*

Ex quo porro colligimus 1. Nexum obligationis cum legis materiali ea mutabilem esse ratione, quia lex quoad formale est positiva (§. 12.) 2. Ex eo, quod nexus determinatae cuiusdam obligationis cum legis materiali sit mutabilis, non sequi, legem illam quoad materiale esse contingentem (§. 15. 17.). Et quae sunt reliqua.

Conf. Diff. nostram, de genuina iuris voluntarii speciatim diuini indole, eiusque a iure naturali discrimine. Lemae 1750, hab.

OBSERVATIO XX.

Ad §. 101.

AN LEGES POSITIVAE ETIAM
LEGISLATOREM OBLIGENT.

§. I.

*Auctor legis
& legislator
quinam sit.*

Philosophus legis auctorem a legislatore distinguit a). Illum vocat eum, qui legem condit, & hunc eum, qui legem feruari iubet, seu praecipit. Ex quo patet, legis cuiusdam positivae legislatorem esse, a cuius voluntate, ut regula, quae faciendum aut omittendum praescribit, sit obligatoria, dependet (§. 2. & 12. obs. 19.).

SCH. Sic v. g. Princeps Saxoniae, qui subditos observationem iuris romani iubet, huius iuris erit legislator, licet ciues, Praetores, Consules, Imperatores atque doctores Romanorum eiusmodi legum sint auctores.

a) vid. Per-III. L. B. de WOLF Part. prior. Phil. pract. uniuers. §. 271. ff.

§. II.

§. II.

His praemissis facile erit, ¶ sensum quaestionis haud ignobilis determinare: *an leges positivae legislatorem etiam obligent?* Sensus nimirum quaestionis hic est: si regula, quae quid faciendum vel omittendum praescribit, aut si obligatio, quae nos, ut eiusmodi regulae convenienter vivamus, moraliter cogit aut inuitat, a voluntate superioris non per adprobationem solum sed effectiue dependeat, quaeritur, an superior, qui legislator est, eadem obligatione, ut eiusmodi legi convenienter vivat, teneatur? vid. §. 8. obs. 19.

SGH. E. g. si a Principe, id est, ab eo, qui summum habet imperium, leges de usucapione latae sunt, quaerendum erit: an regalia, domanialia bona, & quae sunt reliqua, possidentes adversus Principem possint ad praescriptionem legibus illis determinatam provocare?

§. III.

Accedo ad sententiam GROTII, BVDDEI aliorumque, qui negando respondendum esse, censent. De argumentis, quibus VIRI illi doctissimi sententiam hanc corroboraverunt, ante dicam, quam expono meum. *Primum*, quo GROTIUS usus est argumentum; hoc est: Leges positivae nimirum simpliciter sic dictae (vid. §. 8. obs. 19.), subditis praescribuntur. Sed legislator seu Princeps, qui nimirum summum habet imperium, respectu sui nec imperans nec subditus est. Ergo & sibi non praescribit legem. Ideoque eiusmodi leges legislatorem non obligant. *Sed* hocce argumentum mihi non videtur gravissimum. Supponit enim, Principem leges positivas subditis solum praescribere. Sed haec est propositio, de qua ambiguitur. *Alterum* argumentum hoc est: Legislatori competit ius leges suas mutandi. Si itaque eiusmodi leges legislatorem obligent, ab huius tamen voluntate dependebit, utrum leges illae ratione sui maneat obligatoriae, nec ne. Leges itaque positivae legislatorem non obligant. *Sed* nec hocce argumentum mihi videtur firmissimum. Posito enim hocce argumento, consequens erit, leges

Sensus quaestionis, quae posita est, determinatur.

An GROTIUS negando respondendum esse, satis probaverit?

leges politicias, a legislatore ratione sui non mutatas, legislatorem etiam obligare. Quare, quum legum mutatio non possit praesumi, sed probari debeat; manifestum est, posito illo argumento praesumendum esse, ut leges positivae etiam legislatorem obligent. Ex quo patet, argumentum illud id non probare, ad quod probandum a GROTIO formatum est.

a) de I. B. & P. Lib. II. Cap. IV. §. XII. Cap. XX. §. XXIV. Conf. BODINVS de Republ. Lib. I. Cap. VIII. 134.

§. IV.

An idem factis probatum est a BVDDEO.

Firmior atque grauior mihi videtur argumentatio, quam ad thesin illam confirmandam formauit BVDDEVS. Sic enim ille a): Quicumque non habet superiorem inter homines, ille nulla lege humana potest obligari. Atqui princeps, qui nimirum summum habet imperium, non habet superiorem inter homines. Ergo princeps nulla lege humana potest obligari. *Vnicum* modo est, quod monendum, nimirum argumentum illud supponere, eum, qui alterum lege quadam obligat, esse huius superiorem, ideoque omnem obligationem a superiore descendere. Quod est contra §. 12. obs. 16.

a) in Diff. de Principe legibus humanis sed non diuinis soluto. Haiae 1695. hab.

§. V.

Negando respondendum esse probatur.

Meum argumentum hoc est: Ponamus leges positivas legislatorem etiam obligare; consequens erit, fieri posse, ut legislator se ipsum obliget (§. 2. & 12. obs. 19.). Si hoc, aut fieri potest, ut legislator se ipsum ad agendum moraliter cogat vel inuitet, aut legislator alteris concessit ius ipsum legislatorem ad legi, quam tulit, conuenienter-viendum, moraliter cogendi (§. 17. obs. 16.). Prius non esse, clarissime a nobis, vt opinor, §. cit. demonstratum est. Si posterius sit, necesse erit, ut eiusmodi ius a legislatore alteris sit concessum aut pacto aut turbatione. *Vltimum* non esse, ex ipsa rei natura per se patet. Si *illud*, manifestum erit,

NON

non leges illas positivas qua tales, sed pactum, ideoque principium illud naturale, pacta seruanda sunt, legislatorem obligare. His ex praemissis sequitur, *leges positivas, qua tales, legislatorem non obligare.*

§. VI.

Maxime itaque falluntur, qui legislatorem legibus, quas sua constituit voluntate, vlla ratione obligatum esse, asserunt. Sed argumentis disputant. Ideoque necesse erit, ut in eiusmodi argumentationum inquiramus valorem. Primo de argumentis, quibus vsus est GRONOVIVS. Punctum primi argumenti hoc est. a) Si ius naturae semper tendat ad optimum, & quum legislator, qui omnium est iustissimus, id solum agendum praecipiat, quod optimum est; sequitur, iuris quoque naturalis hoc esse principium: quod quisque in alium statuerit, ipse eodem vtatur iure. Sed verum est prius. Ergo & posterius. Ex quo porro colligit: leges positivas etiam legislatorem, qui omnium est iustissimus, obligare.

* in not. ad GROTII Lib. II. Cap. IV. §. XII. 1. a.

§. VII.

Haec argumentatio sententiam forte lectoribus nostrae contrariam ingenerabit primo intuitu. Sed salua res est. Agnosco veritatem antecedentis. Sed quaenam eius conclusio est? *Primum*, si consequentia sit legitima, hoc solum inde inferri poterit, ius naturae legislatorem obligare, vt ipse legibus, quas secundum principia iustitiae tulit, conuenienter viuat. Sed de hoc non ambiguitur, licet non nisi certos ad casus restrictum concedam. Haec est quaestio: an leges positivae, quatenus sunt leges positivae, legislatorem obligent? *Demde* nego consequentiam. Lex positiva, secundum iustitiae principia lata, aut est quoad materiale, aut quoad formale positiva. Si quoad materiale est positiva, ea lex id solum praescribit, quod ex iis, quae secundum naturam obiectiue indifferentia sunt, faciendum, vel omittendum

dum (§. 5. obl. 19.), ideoque obligat solum ad ea agenda, quae ad ea, quae natura praescribit, obtinenda conducunt (§. 49. obl. 19.). Si quoad formale est positiva, a legislatore cum lege naturali obligatio connexa est positiva, quia obligatio naturalis non fuit satis, ad subditos, ut legibus naturalibus conuenienter viuant, ducendos (§. 16. obl. 19.). Quare, quum certa in relatione optimum esse possit, quod alia in relatione inter obiectiue indifferentia referendum (§. 6. obl. 10.): quum porro non-nullae actiones, quae, quatenus in se spectantur, obiectiue indifferentes sunt, certa in relatione inter eas referri debeant, quae ad ea, quae natura praescribit, obtinenda necessario suscipiendae, quae alia in relatione inter eiusmodi actiones non necessario referendae (§. 4. obl. 15.): quum tandem obligatio naturalis certa in relatione satis, ad nos, ut legibus naturalibus conuenienter viuamus ducendos, esse possit, quae alia in relatione non satis est; manifestum est, ex eo, quod iustissimus legislator id solum agendum praecipiat, quod subditis optimum est, non sequi, ipsum quoque legislatorem, ad eiusmodi praeepto conuenienter viuendum, obligatum esse.

SCH. Ne ista in sinisteriorem quis interpretetur partem, placet unico, quae dicta sunt, exemplo declarare. *Mortuae uxoris sororem ducere in uxorem* secundum naturam inter ea referatur, quae permessa, ideoque obiectiue indifferentia sunt. Ponamus Principem, id est, eum, qui summum in ciuitate habet imperium, perspicere, libertatem illam naturalem ciuibus dare occasionem eiusmodi contrahendi matrimonia, quae permultas efficiunt controuersias atque perturbationes; iustitiae erit conueniens, libertatem illam naturalem restringere, atque id, quod secundum naturam indifferens est, ciuibus prohibere. Constituitur itaque lex positiva: *uxoris mortuae sororem non ducas uxorem.* Praescribitur hac lege, quod ciuibus, postis illis circumstantiis, est optimum. Obligantur ciues, ad eiusmodi matrimonium vitandum, quia ad ea, quae natura praescribit, obtinenda conducit. Sed quaenam superest ratio, cur etiam principem seu legislatorem obliget? Ratione Principis cessat ratio, qua

qua libertas illa naturalis restringenda. Ratione Principis eiusmodi matrimonium inter ea refertur, quae obiectiue indifferentia sunt. Subditis itaque optimum esse potest, quod Principi indifferens est. Et quae sunt reliqua.

§. VIII.

Pergit GRONOVIVS ^{a)}): An non populus obligat se lege, cum legem iubet? annon legem fecit se superiorem? ^{Obiectio secundae Gronovii,} cur ergo legum imperia Romae fuisse eiectis Regibus ait Liuius? si quis ipsum sese obligare potest sponcione; si iureiurando, quidni & lege? lex est communis sponcio ciuium, inquit ICTUS lex est quasi sacramentum ciuium; vnde leges Pythagoraeorum collegii *sodalitii iuris sacramenta* dicit Iustinus.

a) in not. ad GROTIUM. l. c. g.

§. IX.

Duo hac in argumentatione latent accurate distinguenda. ^{Responsio,} *Primum argumentum* sumitur ex forma democratica, in qua quilibet ciuium obligatur ad legi conuenienter viuendum, quae omnium consensu lata est. Sed quanam eius conclusio est? Si in forma democratica quilibet ciuium obligetur ad legi omnium ciuium consensu latae conuenienter viuendum; sequitur ipsum quoque legislatorem obligatum esse, vt legi, quam tulit, conuenienter viuat. *Nego consequentiam.* In forma enim democratica ciues singulatim spectati non sunt legislator, sed tales, qui sunt sub imperio ciuili, & obligatio, quae eiusmodi ciues singulatim spectatos ducit ad legibus illis conuenienter viuendum, est pactitia. Totus populus est legislator. Qui itaque ex forma democratica argumentum, ad thesin nostram eneruandam, ducere cupit, is debet probare, ad leges totius populi consensu positas aduersus totum populum valide prouocari posse. *Alterum argumentum* hoc est. Qui sponcione atque iureiurando, id est, qui pacto se potest obligare, is quoque lege, quam sua ponit voluntate, se potest obligare. Sed Princeps seu legislator pacto se obligare potest. Ergo &

lege, quam sua ponit voluntate. *Concedo* minorem, nego vero consequentiam maioris. Rationemque negandi sumo ex §. 17. & 18. obl. 16. Consentit BVDDEVS a), qui ad quaestionem: *an Princeps solutus sit legibus fundamentalibus?* respondet: Principem a legibus fundamentalibus quidem obligari, aut non per modum legis, sed per modum pacti.

a) In Diff. cit. Prop. IV.

§. X.

*Sententia
Ziegleri hac
de re expo-
nuntur.*

ZIEGLERVS a) huius rei ratione *primo* distinguit inter *vim legis coactiuam*, qua obligat seu moraliter cogit, & *vim directiuam*, qua non obligat quidem, tamen dicitur, legem illam normam actionum suarum agnoscere, esse prudentiae. *Deinde* distinguit inter *leges positivas*, quae ad honestatem morum pertinent, & *eas*, quae solennitates tantum aliquas in actionibus ciuium obseruandas concernunt. His praemissis ad quaestionem a nobis positam respondet: Leges, quae solennitates tantum ciuibus praescribunt, legislatorem ipsum neque quoad vim coactiuam, neque quoad vim directiuam obligant. Nec enim per eas obligari voluisse praesumitur, quippe quas subditis suis praescripsit, & de re quidem tali, quae ex se indifferens est, cuiusque adeo contrarium extra legis dispositionem committi sine peccato potest. Vti igitur superior est Princeps subditis suis, ita per legem istam subditorum in censum redigere se voluisse, suaeque legi se subiecisse, nulla ratione suadet. Leges vero positivae, quae ad honestatem morum pertinent, ipsum quoque legislatorem quoad vim directiuam obligant, quia Princeps sine violatione legis naturae id, quod toti communitati aequum & iustum esse iudicauerit, intermittere aut negligere non potest. Ideoque, ut ANTONIVS MERENDA b), GRASWINKEL c) alique loquuti sunt, Princeps, ut eiusmodi leges obseruet, tenetur, non quia leges sint, sed quia ars ciuilis & prudentia dicent, secundum leges huiusmodi agere debere. Prudentiae enim repugnat, exemplo destruere, quod voce aedificamus. Huc pertinet illud

TA-

TACITI d): *præcipuus adstricti moris auctor VESPASIANVS fuit, antiquo ipse cultu victuque. Obsequium inde in Principem & aemulandi amor, validior quam poena ex legibus & metus.*

SCH. Sic Princeps hereditatem potest acquirere per procuratorem, L. 1. §. ult. ff. de offic. proc. Caes. quod priuato non licet, L. 90. ff. de acqu. hered. Sic valet donatio pura ac simplex, quam facit Princeps uxori, L. 26. C. de donat. in V. & V, quæ non valet inter subditos, vid. tit. C. & ff. de donat. inter V. & V. Sic porro, si Princeps donauerit priuato, vel priuatus Principi, etiamsi quingentos res donata excesserit solidos, sine insinuatione fortitur effectum. L. 34. C. de donat. Nouell. XXV. Cap. 2. Et quæ sunt plura passim occurrentia.

a) de Iuribus Maiestaticis. Lib. I. Cap. I. §. XXVII; ff.

b) Lib. II. Controu. iur. Cap. XIV.

c) de Iur. Maiestat. Cap. VI.

d) Annal. Lib. III.

§. XI.

Quod primum adtinet, leges nimirum positivas, quæ solennitates tantum ciuibus præscribunt, legislatorem ipsum neque quoad vim coactiuam, neque quoad vim directiuam obligare, nihil habeo, quod moneam. Idem enim est, quod §. 5. demonstraui. Quod vero alterum adtinet, cum BVDDEO a) iudico, distinctione inter vim legum coactiuam atque directiuam, parum profecto ad rei summam proficere dissentientes. Leges enim, quæ ad honestatem morum pertinent, aut sunt naturales, aut mere positivæ. Illas Principem obligare extra litem est (§. 54. obs. 19.), earumque causa Princeps non est legislator (§. 2. obs. 19. & §. 1. h. obs.). Hæc vero quæ mere sunt positivæ, præscribunt solum, quod ex iis, quæ secundum naturam obiectiue indifferentia sunt, faciendum, vel omittendum (§. 5. obs. 19.), & quæ pro circumstantiarum ratione ad ea, quæ natura præscribit, obtinenda conducunt (§. 50. obs. 19.). Ideoque ne prudentia quidem vniuersaliter dicitur, eiusmodi leges a Principe

Et in veritatem huius inquiritur.

cipe obseruandas esse. (§. 7). Ponamus vero, circumstantias, quae obueniunt, tales esse, vt prudentia Principem eiusmodi legum obseruationem iubeat; manifestum erit, leges a Principe latas hisce sub circumstantiis naturam legum naturalium contingentium accipere (§. 19. obs. 19.). Ideoque eiusmodi leges Principem non quatenus sunt positivae, sed quatenus sunt naturales, positis illis sub circumstantiis obligare, vid. demonstrationem §. 5.

a) in Diss. laudata Prop. III. Confectarium

§. XII.

*Principem
legi positivae
conuenienter
uiuendum
pacto se obli-
gasse, an
praesumen-
dum.*

Satis itaque, vt opinor, euictum atque defensum est, *leges positivas, qua tales, legislatorum non obligare.* Inquiramus in vsum, quem es thesis praestat. Huncce quo delineare possumus, praemittendum erit *primo: In dubio non est praesumendum, legislatorum pacto quodam, ad legibus positivis, quas tulit, conuenienter viuendum, se obligasse.* Quod hac ratione euinco: Quicquid ex rei, de qua sermo est, constitutione non fluit, sed, si adsit, factum aliquod accidentale supponit, id eiusmodi rei, ratione non praesumendum erit, sed probari debet (§. 31. Cor. II. P. II. Log.). Enimvero legislatorum pacto quodam ad legibus positivis, quas tulit, conuenienter viuendum se obligasse, ex eiusmodi legislationis constitutione non fluit, sed factum aliquod accidentale, quo nimirum voluntatem suam hac ratione declarauit, supponit, manifestum est ex iis, quae §. 7. & 9. posuimus. Ergo non praesumendum est, legislatorum pacto quodam, ad legibus positivis, quas tulit, conuenienter viuendum se obligasse.

SCH. Idem sentit GROTIUS. Sic enim ille a): *nec voluntas adfuisse praesumitur, quia legum auctores non censentur se velle comprehendere.*

a) Lib. II. Cap. IV. §. XII. 1.

§. XIII.

*An actio
Principis le-*

gitivae, quas tulit, violat, iniuste agere. Quum enim manifestum sit,

fit, iniuste non agere, qui nullas violat obligationes; sequitur, actiones Principis seu legislatoris ea ex ratione, quia leges, quas tulit, violauit, non esse iniustas, nisi, ut eiusmodi legibus conuenienter viuat, fuerit obligatus. Enimvero nulla est Principis seu legislatoris obligatio, ut legibus, quas tulit, conuenienter viuat, nisi aut pacto quodam se ad eiusmodi legum obseruationem obligauerit, aut lex illa sit naturalis (§. 5.). Ergo & actio Principis, legibus, quas tulit, repugnans, iniusta vocari nequit, nisi pacto quodam ad eiusmodi legibus conuenienter viuendum se obligauerit, aut leges illae ut leges naturales possint spectari. Quare, quum nec illud (§. 12), nec hoc possit praesumi (§. 2. §. 12. & 16. obs. 19.); sequitur, ut non praesumendum sit, Principem seu legislatorem ea ex ratione, quia leges, quas posuit, violat, iniuste agere.

*gibus posit-
vis repu-
gnans iniuste
praesumen-
da.*

§. XIV.

Operae pretium est explicare hoc loco, quo sensu sit verum, quod GROTIUS *a)* monuit, nimirum non praesumendum esse, legislatorem se obligasse, ad legi, quam tulit, conuenienter viuendum, nisi ubi & materia & ratio legis sunt uniuersales, ut in aestimandis rerum pretiis. Ex iis, quae hucusque explicauimus, satis patet, huius sententiae, si sit vera, hanc esse sensum: non praesumendum est, legislatorem se obligasse ad legi, quam tulit, conuenienter viuendum, nisi ubi lex ut talis spectari potest, quae est iuris naturalis. Idem docet exemplum, ex quo dictum illustrauit. Quum enim iuris sit naturalis, ut pretium, quod quis alteri pro eo, quod suum est, offert, esse debeat iustum: quum porro pretia rerum, non nisi ab hominum opinione dependant, ideoque illud pretium pro iusto haberi nequeat, quod non conueniens est pretio a Principe, id est, ab eo, qui summum habet imperium, rebus statuto; sequitur, iuris quoque naturalis esse hocce principium: *Si lege Princeps statuatur rebus pretium, non minoris eas ipse comparare debet.* Et quae sunt reliqua.

*Sententia
Grotii hac
de re expli-
catur.*

a) L. c.

§. XV.

§. XV.

Theses probatæ vsus primus.

His præmissis facile erit demonstrare. *primo: in diiudicandis controuersis Principum ad leges, quas tulerunt, non prouocandum est, nisi probatum sit, Principes pacto, ad eiusmodi legibus conuenienter viuendum se obligasse; aut leges illas esse naturales.* Clarum atque perspicuum est, nos in diiudicandis controuersis frustra prouocare ad leges, quibus controuertentes non sunt obligati. Enimuero Principes legibus, quas tulerunt, non obligantur, nisi ipsi pacto quodam, ad legibus illis conuenienter viuendum, se obligauerint, aut leges illae sint iuris naturalis (§. 5.). Ergo & in diiudicandis controuersis Principum nos ad leges, quas tulerunt, frustra prouocamus, nisi ex pacto quodam, ut eiusmodi legibus conuenienter uiuant, obligati, aut leges illae sint iuris naturalis. Quare, quum nec illud nec hoc possit praesumi (§. 12. & per dem. §. 13.); sequitur, in diiudicandis controuersis Principum ad leges, quas tulerunt, non prouocandum esse, nisi satis sit probatum, Principes aut pacto ad eiusmodi legibus conuenienter viuendum se obligasse, aut leges illas esse naturales.

SCH. Subiiciamus exemplum, ex quo res illustrari potest. Notum est, Brabantinos. uti *iure deuolutionis*, ut cuius viri ad secunda vota transeuntis bona liberis maneat ex priori matrimonio genitis, exclusis liberis ex secundo matrimonio susceptis. Quum itaque Philippus IV. Rex Hispan. qui Mariam, Theresiam Ludouici Galliae Regis vxorem ex prioris matrimonio susceperat, obiisset, Ludouicus in Belgium Hispanicum ingrediebatur persuasus, ei iure deuolutionis deberi Belgium. His præmissis ponenda est quaestio, an prouocatio Ludouici ad ius deuolutionis fuerit valida? Negando respondendum esse censeo, quia ius deuolutionis non est iuris naturalis, sed iuris diuini Brabantinis proprii, ideoque praesumendum, in controuersis Principum ad eiusmodi ius non posse prouocari.

§. XVI.

§. XVI.

Deinde. *Factum civis legibus quidem civilibus, qua talibus, repugnans, auctoritate tamen Principis perfectum, validum praesumendum est.* Quum enim id in ciuitate pro valido haberi debeat, quod factum est auctoritate Principis non iniuste agentis (§. 678. I. N.), & quum non praesumendum sit, Principem ea ex ratione iniuste agere, quia leges positivas, quas tulit, violat (§. 13.); sequitur factum civis legibus quidem civilibus, qua talibus, repugnans, Principis tamen auctoritate perfectum, in ciuitate validum praesumendum esse.

SCH. Rem illustrabo exemplo a ZIEGLERO a) verbis, quae sequuntur, delineato: „Quando quis Principi supremae suae voluntatis scriptum obtulit, valet testamentum istud, etsi nulla alia accesserit solennitas, L. 19. C. de testam. Principis enim praesentia supplet omnem defectum solennitatum, immo talis solennitas, qua Principi per libellum supplicem offertur testamentum, omnes solennitates superat. Idem vero obtinet, si in consistorio Principis, & teste concilio, oblata fuerit ultima voluntatis scriptura, quia in consistorio suo Princeps ipse intelligitur praesens, atque in eo Principis nomine pleraque omnia expediuntur. Quocirca cum dubitaretur aliquando, num valet testamentum, quod a duobus secretariis ex consistorio Principis ablegatis, receptum fuerat, affirmarunt id Wittebergenses, & in hunc modum responderunt, an Michael Gleichmannen LL. Stud. mens. Ianuar. anno 1655. hat ein Churfürstl. Sächs. hoher Officier, und in der Guarnison liegender Kriegs-Obrister, C. T. sein Testament und letzten Willen am 14. Martii 1650. zu Papier bringen lassen, solches auf allen Blättern eigenhändig unterschrieben, am Ende desselben, wie auch von aufsen; mit seinem adelichen Pirschafft besiegelt, darin sein Ehe-Weib A. L. T. zur Erbin seiner ganzen Verlassenschafft eingesetzt, und 1000. Thl. ad pias causas legiret. Dieses darauf der Churfürstl. Sächs. Regierung zu erkennen gegeben, und gebeten, jemand zu Ihm abzuordnen, deme er solches Testament überreichen könnte, welchem Suchen Ihre Churfürstl. Durchl. gnädigst

„digst stat gegeben, zweene derselben verpflichtete Secretarios ab-
 „geschickt, denen ermeldter C. T. seinen verfaßten letzten Willen
 „in eigner Person überreicht, so sie zu sich genommen, der Chur-
 „fürstl. Sächs. Regierung gebührend vorgetragen, registriret,
 „den Acten insinuiret, und darüber einen Schein gegeben, dieses
 „Testament auch, nach Absterben des Testatoris bey der Chur-
 „fürstl. Sächs. Regierung befunden, und daselbst in Gegenwart
 „Canzlers und Rätthe, auch Weysen der Interressenten publici-
 „ret worden. Und es will dasselbe aniezo, seiner Solennitaet hal-
 „ber, angefochten und gestritten werden, nach mehren Inhalts
 „eures Berichts, und der Beslagen. Wenn nun gleich die
 „Churfürstl. Sächs. Landes-Constitution erfordert, daß ein Testa-
 „ment gerichtlich anzunehmen, Gerichts-Personen abgeschickt
 „werden sollen, dafür aber die Canzley-Secretarii nicht gehalten
 „werden wollen. Dennoch aber, und dieweil die Constitution
 „von denen Gerichten, wenn vor denselben ein letzter Wille auf-
 „zurichten handelt, darunter aber der Landes-Fürst, oder dessen
 „höchstes Gericht nicht gezogen werden kann, noch demselben in
 „solcher Constitution Ziel und Maß gesetzt, sondern nur den Un-
 „ter-Gerichten allerhand Unrichtigkeit zu verhüten, eine gewisse
 „Solennitaet dißfalls fürgeschrieben worden, und ohne das des
 „Constituenten hohe Person allezeit von der Constitution eximi-
 „ret, und in Dero freyen Willen stehet, wie Sie die sonst bräuch-
 „liche Solennitaeten nachlassen, und die Testamente annehmen,
 „und vor kräftiglich erklären wollen, auch noch zur Zeit bestän-
 „diger Weise nicht decidiret, noch von allen Juristen-Collegiis ein-
 „hellig dafür gehalten worden, daß das Wort der Constitution
 „Gerichts-Personen nothwendig von Raths-Herren oder Schöp-
 „pen müsse verstanden, und nicht vielmehr, wie es ingemein lau-
 „tet, auch andere Personen, so zu den Gerichten geschwohren,
 „und sonst in dergleichen Verrichtungen zu gebrauchen, darunter
 „begriffen werden, hierüber von langen Jahrenhero, dergleichen
 „Abordnung und Abholung der Testamente durch Secretarien bey
 „der Churfürstl. Regierung hergebracht, mehrgedachtes Testa-
 „ment auch von Ihr. Churfürstl. Durchl. oder Dero Regierungs-
 „Rätthe einmahl angenommen, auch etlicher maffen von R. T.
 „nach

„nach der publication approbiret worden. So erscheinet dan-
 „nenhero allenthalben so viel, daß C. T. letzter Wille, so auf
 „gnädigsten Befehl von den beyden Secretariis abgefordert, und
 „bey der Churfürstl. Regierung hinterleget worden, seiner Solen-
 „nitæet halber zu Recht kräftig, und dahero mit Bestande nicht
 „anzufechten. W. R. W.

a) de iur. Maiest. Lib. I. Cap. I. §. XXIX. ff.

OBSERVATIO XXI.

Ad §. 103.

DE

LEGIS RATIONE.

§. I.

Quemadmodum metaphysici rationem in metaphysicam & *Ratio legis*
 analyticam distinguunt: ita & necesse erit, ut in ea, quæ est vel *meta-*
 de legum ratione dicenda, inquisiturus, *rationem legis meta-* *physica vel*
physicam, quæ efficit, ut lex in se spectata sit talis, a *ratio-* *analytica.*
ne legis analytica, ex qua intelligitur, cur talis lex lata sit, di-
 stinguat. De ratione legis metaphysica satis, ut opinor, di-
 ctum est §. 2. ff. obl. 19. Addamus quaedam de analytica le-
 gum ratione, quæ a doctoribus anima legum & *κατ' ἐξοχην*
 ratio legis vocatur.

§. II.

Quum ratio legis *κατ' ἐξοχην* sic dicta sit, ex qua intelli-
 gitur, cur talis lex lata sit (§. 1.): duæ vero sint legis partes, *Hæc aut le-*
 materialis nimirum atque formalis (§. 7. obl. 18.); sequitur *gis materia-*
 rationem legis, quæ partem legis materialem spectat, a *le aut legis*
 tione legis, quæ ad partem legis formalem pertinet, *formale spe-*
ctat,
 guendam esse, ideoque *illam* esse, ex qua intelligitur, cur
 actio, de qua sermo est, facienda, vel omittenda sit præ-
 scripta, & *hanc*, ex qua intelligitur, cur talia mala cum le-
 gis violatione, aut talia bona cum legis observatione sint
 connexa.

Dd 2

§. III.

§. III.

*Et est vel
moralis vel
historica vel
legalis.*

Ratio illa, si nimirum sermo sit de ratione proxima, desumitur aut ex intrinseca actionis constitutione, aut ex factis, quae ferendis legibus praebent occasionem, aut ex alia quadam lege. Si primum, ratio legis a Per-III. L. B. de WOLF a) *moralis*, si alterum, *ratio legis historica*, & si ultimum, *ratio legis legalis* vocata est.

SCH. Sic proxima legis: *abstinendum est a luxu*, ratio est moralis: ex ipsa enim luxus notione patet, nos eundem ante tempus destruere. Porro, si matrimonium cum mortuae vxoris sorore ea ex ratione sit prohibitum, quia eiusmodi matrimonia saepissime litigandi dederunt occasionem, ratio legis, *non ducas mortuae vxoris sororem*, erit historica. Tandem si ex lege: *neminem laedas*, inferatur: *pacta seruanda sunt*, ratio huius legis erit legalis. Et quae sunt reliqua.

a) in Part. I. Phil. pr. vniuers. §. 132.

§. IV.

*Porro ratio
legis est vel
realis vel
personalis
vel mixta.*

Porro ratio legis aut desumitur ex eo, quod faciendum, vel omittendum praescribitur, aut ex iis, quibus aliquid faciendum, vel omittendum praescribitur. Si illud, rationem legis *realem*, & si hoc, *personalem* vocabo. Facile inde intelliges, quid sit *ratio legis mixta*, quae nimirum ex ratione reali atque personali composita est.

SCH. E. gr. *Lex*, quae milites a fideiussionis negotio eximit, habet rationem personalem, quia non ex fideiussione sed ex statu militari desumitur. *Lex*, quae legem commissoriam pignori adiiicere, prohibet, habet rationem realem, desumitur enim ex ipsa eiusmodi pacti conditione, qua vsurarum prauitati ansam locumue facile potest dare. Tandem prohibitio alienationis fundi dotalis habet rationem mixtam: non enim solum e sexus imbecillitate, vt permulti voluerunt, desumitur; hoc enim posito, consequens erit, vt in omnibus mulierum rebus locum habeat, quod tamen legibus non conueniens est; sed desumitur ex qualitate fundi dotalis cum sexus imbecillitate coniuncta.

§. V.

§. V.

Omnes leges & materialiter & formaliter spectatae, si Omnis lex sint bonae, rationem debent habere. Ponamus legem materialiter spectatam; consequens erit, eam in propositionem theoreticam esse resoluendam, quae, actionem quandam moralem bonam, vel malam esse, exprimit (§. 8. obs. 18.). Ponamus porro, legem hanc esse bonam; consequens erit, actionem, quam propositio illa bonam vocat, vere esse bonam, & actionem, quam propositio illa malam exprimit, vere esse malam (§. 12. obs. 18.). Manifestum itaque est, propositionem illam inter veras propositiones referendam esse. Quare, quum propositio ea ex ratione vera vocetur, quia adest, ex quo intelligi potest, cur hoc & non aliud praedicatum cum subiecto sit combinatum; sequitur, ut lex materialiter spectata non sit bona, nisi adsit, ex quo intelligi potest, cur actio, de qua sermo est, inter bonas, vel malas sit relata? ideoque ut lex, quae sit bona, rationem debeat habere (§. 1.). Q. e. p.

Posita lege formaliter spectata, ponitur determinatae obligationis combinatio cum legis materiali (§. 7. obs. 18.). Enimuero haec est natura combinationis, quae rationi conueniens est, ut adsit, ex quo intelligi potest, cur talia sint combinata (§. 22. Pr. Log.). Ergo & lex formaliter spectata rationi non est conueniens, seu non est bona, nisi adsit, ex quo intelligi potest, cur talis obligatio cum legis materiali sit combinata, id est, lex quoque formaliter spectata, si sit bona, rationem debet habere (§. 1.). Q. e. a.

SCH. Caeterum sciendum est, inde non sequi, rationem illam semper exprimendam esse, si lex sit valida. Solenne est Regi Galliae, subnectere diplomatibus, edictisque suis: Car c'est mon bon plaisir.

§. VI.

Si unica solum legis ratio possibilis sit, haec, licet non sit expressa, pro expressa tamen haberi debet. Quum lex, quae ^{Quando haec pro expressa} _{debeat haberi.} sit. ^{ri.}

Dd 3

fit bona, rationem debeat habere (§. 5.): lex vero, quae bonitate destituta, nomine legis non digna sit (§. 13. obs. 18.); sequitur, praesumendum esse, ut lex sine ratione non sit lata. Si itaque vnica solum legis ratio sit possibilis, consequens erit, hanc, licet non sit expressa, pro expressa tamen esse habendam.

§. VII.

Leges naturales necessariae, quae sunt fundamentales, habent rationem moralem atque realem. Si obuia lex sit naturalis atque necessaria; ratio sufficiens atque efficiens, per quam actio, de qua sermo est, inter bonas, vel malas referatur, & ob quam talis obligatio cum lege est connexa, in ipsa actionis in se spectatae erit essentia (§. 9. & 18. obs. 19.). Si eadem lex porro sit fundamentalis: quicquid lege faciendum praescribitur, erit ipse scopus essentialis rei, cuius causa lex illa est constituta (§. 47. obs. 19.). His praemissis, manifestum est, rationem legis naturalis necessariae, quae fundamentalis est, inter rationes morales atque reales esse referendam (§. 3. 4.).

§. VIII.

Leges naturales necessariae, quae sunt minus fundamentales, habent rationem legalem atque realem. Rationem hanc esse realem eadem argumentatio, qua §. 7. usus sum, corroborat. Eandem esse legalem, ex idea legis naturalis minus-fundamentalis deduco. Quum enim lex minus-fundamentalis praescribat faciendum, quod ad scopum rei essentialem obtinendum ea conducit ratione, ut sine eo scopus ille existens fieri nequeat (§. 47-49. obs. 19.); manifestum est, eiusmodi legum rationem ex legibus fundamentalibus desumendam esse (§. 47. obs. 19. & §. 1. h. obs.). Ratio itaque legum naturalium necessariarum, quae sunt minus-fundamentales, est legalis (§. 3.).

§. IX.

Constellatum inde dicitur. Quum leges aut sint naturales aut positivae (§. 2. & 12. obs. 19.); & leges naturales aut sint necessariae aut contingentes

gentes (§. 9. 18. obf. 19.): leges vero naturales necessariae, quatenus sunt fundamentales, rationem moralem atque realem, & quatenus sunt minus-fundamentales, rationem legalem, quae etiam realis est, habeant (§. 7. & 8.); sequitur, leges, quarum ratio est historica aut personalis, esse aut naturales contingentes, aut positivas.

§. X.

Omnes legum rationes & historicae & legales, si nimirum *Rationum leges principis, quae sana docet ratio, sint conuenientes, in & historicae rationes morales possunt resolui.* Lex, cuius ratio est historica, aut est iuris naturalis contingentis, aut lex positiva (§. 9.). Si prius, aut talis est quoad materiale, aut quoad formale. *rationum & legalium in rationes morales resolutio demonstratur.* Ideoque priori casu praescribit faciendum, quod obuiis sub circumstantiis necessario bonum, aut omittendum, quod obuiis sub circumstantiis necessario malum est (§. 9. & 10. obf. 19. §. 13. obf. 18.): posteriori in casu cum lege illa connectitur obligatio, quae obuiis ex circumstantiis necessario fluit, & quae nos ducat ad legi conuenienter viuendum, ideoque ad bonum faciendum & malum vitandum (§. 18. obf. 19.). Si posterius, lex positiva iterum est talis aut quoad materiale, aut quoad formale. Priori casu praescribit solum ea agenda, quae ad ea, quae natura praescribuntur, ideoque intrinsece bona sunt, obtinenda conducunt (§. 50. & §. 3. obf. 19.): posteriori in casu motiva naturalibus vehementiora ad nos, vt bonum agamus malumque vitemus, ducendos ponuntur, quia, quae natura posita sunt, ad idem obtinendum non sunt satis (§. 16. obf. 19.). His ex praemissis colligimus, rationes legum historicas, si nimirum sint leges principis, quae sana docet ratio, conuenientes, in rationes morales esse resoluendas (§. 3.). Eadem argumentatio, qua vsus sum, sufficiens erit, ad corroborandum, vt legales legum, quae bonae sunt, rationes in rationes morales possint resolui.

§. XI.

§. XI.

*Legis ratio
quomodo
euoluenda.
Regula pri-
ma.*

His praemissis facile quoque intelligi poterit, quid faciendum ab eo, qui rationem obuiæ legis euoluere cupit. *Prima*, quæ huius rei causa obseruari debet, *regula* hæc est. *Qui datae cuiusdam legis rationem euoluere cupit, primo loco in id inquirere debet, vtrum data lex sit naturalis, an positiua: si naturalis, vtrum sit necessaria, an contingens: si necessaria, vtrum sit fundamentalis, an minus-fundamentalis: si positiua, vtrum sit talis quoad materiale, an quoad formale.* Quum enim leges naturales necessariae atque fundamentales rationem moralem (§. 7.) & leges naturales necessariae atque minus-fundamentales rationem habeant legalem (§. 8.): legum vero naturalium contingentium, & legum positiuarum rationes & legales & historicae esse possint (§. 9.); manifestum est, ea, quæ posita sunt, primo loco ab eo, qui in datae cuiusdam legis rationem inquirere cupit, esse distinguenda.

§. XII.

*Regula se-
cunda.*

Secunda regula hæc est: *Legis naturalis necessariae atque fundamentalis rationem intelligit, qui scopum rei, cuius ratione lex illa constituta sit, perspicit.* Si data lex sit fundamentalis; quicquid lege faciendum præscribitur, erit ipse rei, cuius causa lex illa constituitur, scopus essentialis (§. 47. obs. 19.). Si porro eadem lex sit naturalis atque necessaria; ipse ille rei essentialis scopus, in se spectatus, erit ratio sufficiens, ob quam id, quod eiusmodi lege præscriptum, faciendum, vel omittendum (§. 9. 18. obs. 19.). Clarum itaque est atque apertum, legis naturalis necessariae atque fundamentalis rationem intelligere, qui scopum rei, cuius causa lex illa constituta est, essentialem perspicere habet (§. 1.).

§. XIII.

*Regula ter-
tia.*

Regula tertia sit hæc: Rationem legis naturalis necessariae atque minus-fundamentalis euolaturus, primo in ea inquirere, quæ per eiusmodi legis obseruationem, vel violationem fieri

feri possunt, & ex hisce deinde legem fundamentalem, cuius ratione lex ista sit minus fundamentalis, colligere debet. Quum enim lex minus fundamentalis id solum agendum praescribat, quod ad scopum rei cuiusdam essentialem obtinendum conducit (§. 47. obs. 19.): & quum lex naturalis necessaria circa ea solum versetur, quae in rei, de qua sermo est, essentia in se spectata, rationem habent sufficientem (§. 9. & 18. obs. 19.); sequitur legem naturalem necessariam atque minus fundamentalem id solum faciendum praescribere, quod vi essentiae ad legem quandam naturalem necessariam atque fundamentalem obseruandam conducit. Quae cum ita sint, manifestum est, iis, quae in propositione praescripta sunt, obseruatis, rationem legis naturalis necessariae atque minus fundamentalis esse euolutam (§. 1.).

SCH. Ponamus v. gr. euoluendam esse rationem legis naturalis necessariae atque minus fundamentalis: *pacta seruanda sunt.* Primo in ea inquiritur, quae ex pacti praestatione atque violatione necessario fluunt. Quo facto perspicitur, violatorem pacti alios in vsu virium, quae ad I^{d} suum pertinent, turbare; eum vero, qui pactum seruat, alios in vsu virium, quae ad I^{d} suum pertinent, non turbare. Ex his deinde colligitur, legem illam naturalem conducere ad obseruandam legem generaliore: *neminem laedas*, ideoque pacta ea ex ratione seruanda esse, quia nemo laedendus. Haec lex in foro externo est fundamentalis.

§. XIV.

Regula quarta sit haec: Rationem legis naturalis contin- *Regula*
gentis determinaturus, primo de circumstantiis, quae obueni- *quarta,*
unt, claras atque distinctas sibi formare notiones, & deinde in-
quirere debet in leges naturales necessarias, quae illas per cir-
cumstantias ea determinari possunt ratione, ut lex illa natura-
lis contingens inde eueniat. Rationem huius ita accipe: Le-
 ges naturales contingentes sunt leges naturales necessariae
 certas per circumstantias magis determinatae (§. 9. & 18.
 obs. 19.). Rationes itaque legum naturalium contingen-
 tium intelligit, qui perspicit, quomodo leges naturales

Ee

neces-

necessariae certas per circumstantias magis possint determinari (§. 1.). Ex quo satis clarum est, eam rationem legis naturalis contingentis perspectum habere, qui ea, quae in propositione praescripta sunt, obseruauit.

SCH. Ponamus e. gr. moris esse Caio, vt beneficia ab aliis percepta ad se aliosque destruendos conuertat; haec erit lex naturalis contingens: *in Caio non conferas beneficia.* Sed quaenam est huius legis ratio? Euoluas circumstantias, quas posui, & facile perspicias, legem illam contingentem euenire, si lex naturalis necessaria: *omnia remouenda sunt, quibus quis se aliosque destruit,* eas per circumstantias magis determinatur. Ideoque ratio illius legis contingentis erit manifesta.

§. XV.

*Regula
quinta.*

Quinta regula sit haec: *Rationem legis materialiter positivae inuestigaturus, primo circumstantias, quae eiusmodi legem constituendi praebuerunt occasionem, euoluere, deinde in ea, quae illis sub circumstantiis, per eiusmodi legis obseruationem vel violationem fieri possunt, inquirere, tandem, leges naturales cum hisce conferre, & inde, quaenam sit lex naturalis, quam ad obseruandam lex illa positiva datis sub circumstantiis conducit, iudicare debet.* Quum enim leges quoad materiale positivae sint tales, quae obligant ad ea agenda, quae ad ea, quae natura praescribit, obtinenda conducunt (§. 5. obs. 19.); sequitur, eam esse legis materialiter positivae rationem, vt lex quaedam naturalis faciliori negotio possit obseruari (§. 1.). Quum porro leges materialiter positivae non a natura sed a cuiusdam dependeant voluntate (§. 2. obs. 19.); manifestum est, leges positivas ea ex ratione aliquid, quod per naturam obiectiue indifferens est, praescribere, quia eiusmodi legum obseruatio pro circumstantiis, quae obueniunt, ad leges quasdam naturales obseruandas necessaria est (§. 5. obs. 19.). His praemissis, patet, praecepta, quae posuimus, obseruanda esse ab eo, qui rationem legis materialiter positivae euoluere cupit (§. 1.).

SCH. Illustrationis causa repete, quae diximus Schol. §. 51. obs. 19.

§. XVI.

§. XVI.

Sexta atque vltima regula sit haec: Rationem legis formaliter positivae inuestigaturi, est, primo annotare legis materiale, cum qua obligatio positiva est connexa; secundo inquirere in obligationes, quibus natura obuiam ad legem obseruandam nos ducit; tertio distinctas de circumstantiis formare notiones ad detegendas causas, quae obligationes illas naturales insufficientes fecerunt. Lex formaliter positiva ea constituitur ex ratione, quia naturalis obligatio non est satis ad nos, vt legibus naturalibus conuenienter viuamus, ducendos (§. 16. obs. 19.). Hoc sufficiens erit ad ea, quae probanda hic occurrunt, confirmanda (§. 1.).

SCH. Sic leges de vsucapione sunt formaliter positivae, quarum materialia sunt leges naturales, quae debitam diligentiam in administrandis iis, quae ad rō nostrum pertinent, adhibendam esse praescribunt. Naturalis obligatio, quae nos, vt eiusmodi legibus conuenienter viuamus, ducat, iis constituitur effectibus, qui ex ipsa negligentiae natura fluunt, periculo nimirum bona sua amittendi, vitam in egestate degendi, & quae sunt reliqua. Ponamus, inclinationes ciuium ad luxus fieri vehementiores inclinationibus, quibus ad debitam in rebus administrandis adhibendam diligentiam ducuntur, ideoque obligationem naturalem non sufficere ad ciues, vt legibus illis naturalibus conuenienter viuant, ducendos: fieri poterit, vt eiusmodi circumstantiae Principi praebant occasionem, mala illa, quae per naturam e negligentia fluunt, augendi, ideoque cum certa negligentiae specie poenae loco vsucapionem connectendi. Haec sufficient ad ea, quae in commate posita sunt, illustranda.

§. XVII.

Haec de inuestigatione rationis legum. Accipe nunc vsū eiusmodi inuestigationis. Notum est, *rationem esse formam & quasi animam legis, qua posita, vim obligandi commendam esse, qua vero si destruat, omnem protinus intercedere vim obligandi.* Veritas harum regularum dependet a metaphysico illo: posita ratione sufficiente, id quoque ponitur de

E e 2

bet,

Sensus regularum positivae legis ratione ponitur legis dispositio, & cessante legis ratione, cessat lex determinari.

bet, quod per eam constitutum, & cessante ratione sufficiente, id quoque cessat, quod ratio illa posuit. Sed regulas illas placet explicare plenius, quoniam variis diuersorum consequentiis & coniecturis praeberunt occasionem. Ad sensum illarum percipiendum quaedam distinguenda sunt vulgo neglecta. Distinguo rationem legis analyticam, seu rationem, ex qua intelligitur cur talis lata sit lex, a causa legis efficiente, quae quoad leges naturales est ipsa natura, quoad leges vero positivas legislatoris voluntas. Illam cum hacce coniungendam esse, si ratio obuiæ legis, qua talis, sit sufficiens, censeo. Ideoque regulas illas non valere, si sermo sit de sola ratione analytica, sed solum valere, si spectetur ratio legis analytica cum causa legis efficiente coniuncta. Hic itaque est regularum sensus. *Quo in casu ratio legis analytica & causa legis efficiens valet, eo quoque in casu lex illa obligat. Et quo in casu ratio legis analytica & causa legis efficiens cessat, eo quoque in casu lex illa non obligat.*

§. XVIII.

Hunc ad probandum primo ratio legis sufficiens negatiue, Tria hic obueniunt probanda. Primum: *rationem legis analyticam non esse rationem legis, qua talis, sufficientem.* Quum enim lex sit propositio obligatoria (§. 3. obl. 18.); sequitur, inter essentialia rationis sufficientis legis, qua talis, id referendum esse, quod facit, vt oppositum eius, quod lege faciendum vel omittendum praescribitur, nobis aut sub conditione euitandi mali, aut sub conditione acquirendi boni sit impossibile (§. 16. obl. 16.). Quicquid itaque hoc non facit, id ratio legis, qua talis, sufficiens vocari nequit. Enimvero ratio legis analytica, qua talis, illud non facit (§. 1.). Ratio itaque legis analytica non est legis, qua talis, ratio sufficiens.

§. XIX.

Et deinde affirmatiue, Secundum est hoc: *ratio legis, qua talis, sufficiens est ratio legis analytica cum causa legis efficiente coniuncta.* Id enim, ex quo non intelligimus solum, cur talis lex sit lata, sed & quod facit, vt id, quod lege faciendum vel omittendum

dum praescriptum, nobis aut sub conditione euitandi mali, aut sub conditione acquirendi boni sit impossibile, est ratio legis sufficiens (§. 3. obs. 18. §. 16. obs. 16.). Ex ratione legis analytica intelligimus, cur talis lex lata sit (§. 1.). Causa legis efficiens facit, ut id, quod lege faciendum vel omitendum praescriptum, nobis aut sub conditione euitandi mali, aut sub conditione acquirendi boni sit impossibile (§. 2. & 12. obs. 19.). Ratio itaque legis, qua talis, sufficiens est ratio legis analytica cum causa legis efficiente coniuncta.

§. XX.

Tertium, quod inde sequitur, est: *Quo in casu ratio & ex hisce legis analytica & causa legis efficiens valet, eo quoque in casu ipse sensus lex illa obligat. Et quo in casu ratio legis analytica & causa legis efficiens cessat, eo quoque in casu, legem illam non obligare, praesumendum est.* Primum hac ratione euinco: Posita ratione sufficiente id quoque poni debet, quod per eam constitutum est. Enimvero ratio legis analytica cum causa legis efficiente coniuncta est legis, qua talis, ratio sufficiens (§. 19.). Quo itaque in casu ratio legis analytica & causa legis efficiens valet, eo quoque in casu lex illa, qua talis, poni debet: Posita lege ponitur vis obligandi (§. 3. obs. 18.). Quo itaque in casu ratio legis analytica & causa legis efficiens valet, eo quoque in casu lex illa obligat. Q. é. p.

Alterum argumentatio, quae sequitur, probat: Non praesumendum est, id, quod per rationem quandam sufficientem constitutum est, eo in casu valere, quo ratio illa sufficiens cessat. Enimvero ratio sufficiens, qua lex constituitur, est ratio legis analytica cum causa legis efficiente coniuncta (§. 19.). Ergo & non praesumendum est, legem eo in casu valere, in quo ratio legis analytica & causa legis efficiens non valet. Vbi lex non valet, ibi nec obligat (§. 3. obs. 18.). Quo itaque in casu ratio legis analytica & causa legis efficiens cessat, eo quoque in casu, legem illam non obligare, praesumendum est. Q. e. a.

§. XXI.

*Solutio obie-
ctionis.*

Si velis dicere: *Ratio analytica determinat veritatem. Leges sunt veritates morales. Posita itaque ratione legis analytica ponenda, quoque est lex.* Distincte hic procedendum est. Ex iis, quae de legibus diximus, patet, leges esse veritates morales, sed non nudas. Coniunctae sunt cum vi obligandi. Ratio itaque legis analytica, qua talis, est ratio sufficiens solum ad hoc, *ut moraliter verum seu bonum sit, tale aut faciendum aut omittendum lege praescribere*, ideoque *ut vis obligandi adesse possit*. Ad possibilitatem obligationis sufficit bonitas actionis: Ea tamen posita nondum sequitur ipsa vis obligandi. Ratio legis, non qua veritatis solum sed qua legis, sufficiens esse debet ad hoc, *ut vis obligandi actu sit*. Moneo autem, rationem legis analyticam hoc sensu non esse sufficientem, nisi cum causa legis efficiente, quae ratione legum naturalium est ipsa natura, ratione vero legum positivarum legislatoris voluntas, sit coniuncta. Etsi igitur recte concludam. Lex, quae rationi conueniens est, obligat, ergo adest ratio legis analytica: Non tamen recte concluderes ex conuerso: Lex non obligat, ergo non adest ratio legis analytica, quae legem illam ut veritatem moralem constituit.

§. XXII.

*Principia
illa adcom-
modantur
ad leges na-
turales.*

Adcommodemus dicta ad leges & naturales & positivas. Primo de naturalibus: *vbi analytica legis naturalis ratio locum habet, ibi quoque efficiens eiusmodi legis causa valet.* Quum enim ratio legis analytica sit, ex qua intelligitur, cur actio, de qua sermo est, facienda vel omittenda sit praescripta, & cur talia mala cum legis violatione, aut talia bona cum legis obseruatione sint connexa (§. 2.); sequitur analyticam legis naturalis rationem esse ipsam actionis, de qua sermo est, essentiam atque naturam (§. 3. & 13. obs. 19.). Enimvero ipsa haec actionis natura atque essentia est eiusmodi legis naturalis causa efficiens (§. 2. & 12. obs. 19.): & posita actione eiusdem quoque actionis essentia, & quae inde fluunt,

fluunt, poni debet. Ergo & ibi causa legis naturalis efficiens valet, vbi analytica legis naturalis ratio habet locum.

§. XXIII.

Colligitur ex dictis *primo*: ex eo, quod obvio in casu *Confessoria* valeat analytica legis naturalis ratio, sequi eodem in casu *vtilia*, valere rationem legis sufficientem (§. 19.22.). *Deinde*, legem naturalem eo in casu obligare, in quo ratio eiusdem legis analytica valet (§. 20.). *Tandem*, legem naturalem eo in casu non obligare, in quo ratio eiusdem legis analytica cessat (§. cit.).

§. XXIV.

Lex naturalis minus-fundamentalis eo in casu non obligat, Confessoria in quo lex naturalis fundamentalis, cuius causa lex illa minus fundamentalis a natura constituta est, ut contra legem minus fundamentalem agamus, iubet. Quum enim analytica legis naturalis minus fundamentalis ratio solum sit legalis, quae nimirum ex lege vlla fundamentali desumitur (§. 8.); consequens erit, analyticam eiusmodi legis rationem esse, ut lex illa fundamentalis obseruetur (§. 1.). Eo itaque in casu, quo ea, quae lex fundamentalis praescribit, obtinere non possumus, nisi per actionem legi minus fundamentali repugnantem, cessat eiusmodi legis naturalis ratio analytica. Ergo & eo in casu lex illa naturalis minus-fundamentalis non obligat (§. 23.).

SCH. Ponamus legem naturalem: *neminem occidas*. Lex naturalis fundamentalis, ex qua illa lex sequitur, haec est: *abstinendum est ab iis, quae te ante tempus destruunt*. His praemissis, ponamus porro, casum, in quo vitam nostram alia ratione non possumus conseruare, quam alterius cuiusdam occisione. Hoc in casu cessat ratio analytica legis naturalis: *neminem occidas*, ideoque ea lex vim obligandi amittit.

§. XXV.

§. XXV.

*Explicata
porro ad-
commodan-
tur ad leges
positiuas, &
quidem re-
gula prima.*

Quoad leges positiuas regulae, quae sequuntur, notandae sunt: Prima est haec: *Quo in casu ratio legis positivae analytica locum habet, & voluntas eius, a quo lex illa dependet, facienda vel omittenda praescribere potuit: eo quoque in casu, legem illam obligare, praesumendum est.* Quoniam enim ratio legis positivae analytica est, ex qua intelligitur, cur talis lex voluntate legislatoris sit lata (§. 1. h. obs. & §. 2. & 12. obs. 19.); eo quoque in casu, quo eiusmodi legislatoris voluntas facienda vel omittenda praescribere potuit, & in quo ratio illius legis analytica locum habet, praesumendum est, legislatorem, ut ea lex obseruetur, velle. Hoc itaque in casu, legem illam obligare, praesumendum est (§. 20.).

SCH. Sic lex, qua Princeps ciuibus transportationem frumenti in aliena territoria ea ex ratione prohibet, quo inopiae frumentariae possit mederi, prohibet simul ciuibus exportationem farinae, vini sublimati ex frumento cocti. Et quae sunt reliqua.

§. XXVI.

*Regula se-
cunda.*

Secunda regula haec est: *Quo in casu ratio legis positivae analyticae locum quidem habet, voluntas tamen eius, a quo lex illa dependet, facienda vel omittenda praescribere non potuit, eo quoque in casu lex illa positiva non obligat.* Quo enim in casu ratio legis sufficiens locum non habet, eo quoque in casu ea lex non obligat (§. 17.). Enimvero eo in casu, quem posui, ratio legis positivae sufficiens locum non habet (§. 18.). Hoc itaque in casu lex illa non obligat.

SCH. Sic lex, qua FRIDERICVS Imperator occupationem bonorum naufragorum in litus eiectionum iniustam declarauit, quatenus est talis, non obligat eos, qui v. g. sunt in fide atque clientela Polonorum, licet horum quoque ratione analytica eiusmodi legis ratio locum habeat.

§. XXVII.

*Regula ter-
tia.*

Tertia regula est haec: *Quo in casu ratio legis positivae analytica in vniuersali cessat, eo quoque in casu praesumendum est,*

est, legem illam positivam non obligare. Quum enim quaelibet lex, quae bona est, rationem debeat habere analyticam (§. 5.); consequens est, ut non sit praesumendum, legislatorem velle, ut lex, quam tulit, eo in casu obliget, quo nullam habet rationem analyticam. Enimvero eo in casu, quo ratio legis positivae analytica in vniuersali cessat, nullam eiusmodi lex habet rationem analyticam. Ergo & non praesumendum est, legem illam eo in casu, quem posui, obligare.

SCH. Ponamus exemplum a). Prohibeantur tempore belli arma ad Gallos deferri. Haec lex tempore pacis non obligabit, hoc enim in tempore eiusmodi legis ratio analytica in vniuersali cessat.

a) vid. ZIEGLER de Iur. Mai. Lib. I. Cap. V. §. LXXXV.

§. XXVIII.

Regula quarta est haec: *Quo in casu ratio legis positivae analytica in particulari solum cessat, & lex illa positiva sine iuris naturalis violatione observari nequit: eo quoque in casu praesumendum est, legem illam non obligare.* Quum enim hoc in casu cesset ratio legis analytica, & lex ea positiva sine iuris naturalis violatione observari nequeat; praesumendum erit, legislatorem, ut eiusmodi lex hoc in casu observetur, non voluisse (§. 4. obs. 19.). Eo itaque in casu, quem posui, praesumendum est, rationem legis sufficientem cessare (§. 19.), ideoque vim legis obligatoriam (§. 20.).

SCH. Sit e. g. ea extatione, quia hactenus saepe turbae factae sunt, lata haec lex: *nemo post XI. horam aedibus suis egredietur, qui egreditur, multabitur 100 florenis.* Ponamus aliquem egressum esse, ut medicum vocaret ad aegrotum. Quaeritur: an mulcandus sit? respondeo negando. Non enim solum hoc in casu particulari ratio legis analytica cessat, sed & lex illa sine violatione iuris naturalis non potest observari.

§. XXIX.

Regula tandem quinta haec est: *Quo in casu ratio legis positivae analytica in particulari solum cessat, lex vero illa positiva ponitur.*

FF

positiva sine iuris naturalis violatione observari potest; eo in casu legem illam obligare, praesumendum est, si modo legislator eo in casu facienda, vel omittenda praescribere potuit. Quum enim leges positivae libertatem naturalem ex iis, quae secundum naturam obiective indifferentia sunt, id, quod placeat, eligendi ea ex ratione restringant, quia tales adfunt circumstantiae, sub quibus eiusmodi eligendi libertas subditis praebere posset occasionem ea violandi, quae natura facienda praescribit (§. 5. & 50. obi. 19.); manifestum est, subditos, seu eos, quorum ratione legislator facienda, vel omittenda praescribere potest, libertate illa naturali lege quadam positiva restricta, obligatos esse, ut eiusmodi legi convenienter vivant, donec circumstantiae illae cessent, sub quibus illa eligendi libertas subditis obligationes naturales violandi praebere possit occasionem (§. 25.). Enimvero ex eo, quod eiusmodi legis positivae, quae sine violatione iuris naturalis observari potest, ratio analytica in particulari solum cesset, non sequitur, circumstantias illas cessare a). Eo itaque in casu, quem posui, legem illam positivam obligare praesumendum est:

SCH. I. a) Ponamus, cuilibet subditorum eo in casu, quo ratio legis positivae ratione sui cessat, & ius naturae eiusmodi legis violationem non iubet, facultatem legem illam positivam violandi competere; permulti inde arripiunt occasionem, ea, quae contra legem fecerunt, hac ratione excusandi, se pro certo habuisse, eiusmodi legis rationem sui causa non valuisse. Manifestum itaque est, eiusmodi libertatem vim omnem praeecepto auferre, ideoque rationi, ex qua intelligitur, cur lex positiva lata sit, repugnare.

SCH. II. Ponamus exemplum b). Prohibetur lege, *ne quis arma ferat*; ratio eius sit, ne sequantur homicidia & vulnera. Ego autem scio, nullum esse aut oriri propter me, & a me periculum, quaeritur, annon arma ferre mihi liceat? Respondeo negando, quia ratio legis non in vniuersali, sed solum in particulari cessat, & eiusmodi lex salvis legibus naturalibus a me, positus illis circumstantiis, observari potest.

b) Conf. ZIEGLER l. c.

OBSER-

OBSERVATIO XXII.

Ad s. 113 - s. 117.

DE

INTERPRETATIONE.

§. I.

Aliquid interpretari, si terminus generatim sumitur, idem est, ac verum eius scopum seu intentionem determinare. Verborum scopus est sensus seu significatio, quem loquens eiusmodi verbis exprimere cupit. Verba itaque interpretari idem est, ac sensum verborum determinare.

§. II.

Patet inde, interpretationem esse vel rei vel verborum. Quae est vel sermo est, scopum seu intentionem determinare (§. I.): id vero, cuius scopus determinari potest, aut operatio quaedam sit, aut inter verba seu cogitationum signa referri debeat; manifestum est, interpretationem esse vel rei vel verborum seu signorum, quibus cogitationes nostras exprimimus.

SCH. Sic sermo est de interpretatione rei, si dicimus de interpretatione naturae, instinctuum naturalium, & quae sunt reliqua. Et de interpretatione verborum valent, quae v. gr. de interpretatione corporis iuris civilis dicuntur.

§. III.

Quaenam est huius doctrinae sedes? CLERICVS a) doctrinam de interpretatione ad criticam refert, sed mea quidem sententia minus accurate, critica enim magis in emendando & illustrando, quam in interpretando versatur, & si interpretatur, quaerit tantum sensum grammaticum. Propria huius doctrinae sedes est in Logica. GROTIUS primus hanc doctrinam ad ius naturae retulit, quem postea sequuti sunt PUFENDORFIUS in iure naturae & gentium.

Ff 2

THO-

THOMASIVS *in iurisprudencia diuina*, alique, Ratio huius est, quia omnium fere controuerfiarum ratione, de quibus secundum ius naturae constituendum, interpretatione opus est, aut naturae, aut facti, aut legum, aut pactorum, & quae sunt reliqua.

a) in Arte critica.

§. IV.

*An sit in-
terpretatio
legum natu-
ralium? Ar-
gumenta eor-
um, qui no-
gant, expli-
cantur.*

Ponitur quaestio: *an legum naturalium sit interpretatio? seu an interpretatio in iure naturae habeat utilitatem?* Sunt, qui negant. Sunt, qui affirmant. Primo inquiramus in argumenta eorum, qui negant. B. LEHMANNVS a) hac ratione argumentatus est: Leges naturales sunt vel explicitae vel implicitae. In illas interpretatio non quadrat, quia fines tantum explicant. In has non quadrat, quia verbis non continentur, sed res sunt. Ergo nulla est legum naturalium interpretatio. *Pergit.* Interpretatio ante constituit vitium legislatoris, qui sensum legum non satis clare atque perspicue expressit. Eiusmodi vero vitium de Deo legis naturalis auctore ne quidem cogitandum est. Ergo nec interpretatio legum naturalium ratione admitti potest.

a) in Inst. I. N. & G. Sect. I. §. IX. Not. V. & in obseru. ad Pufend. de O. hom. & ciu. Lib. I. Cap. II. §. IX.

§. V.

*Et responde-
tur.*

Quoad primam argumentationem primo nego hancce consequentiam. *Leges naturales explicitae fines tantum explicant. Ergo in has non quadrat interpretatio.* Potestne eiusmodi finis iterum medium esse ad alium obtinendum finem? quoposito interpretatione omnino opus est (§. 1.). Sic finis matrimonii iterum est medium ad alium obtinendum finem. Necesse itaque est, vt verum matrimonii scopum atque intentionem determinemus, id est, vt finem matrimonii interpretemur. Porro hancce nego consequentiam. *Leges naturales implicitae non continentur verbis, sed sunt res. Ergo & in eiusmodi leges non quadrat interpretatio.* Estne interpretatio alia rei, & alia verborum (§. 2.)? Quae cum ita sint,

sint, manifestum est, a negatione interpretationis verborum, ad negationem interpretationis rei non valere consequentiam. Leges illae naturales sunt stimuli naturales (§. 1. obs. 3.). Stimuli naturales nos ad certum obtinendum scopum ducunt. Sed quis est eiusmodi scopus? Hic non per se patet, sed rationis ope aliis ex principiis eundem colligere debemus. Estne hoc legum naturalium implicitarum interpretatio? Quoad *alteram argumentationem* nego, interpretationem ante constituere vitium legislatoris. Hoc enim, quod sensus legis sit difficilis, non semper a legislatore, sed laepe a statu eius, cui lex data est, dependet.

§. VI.

HEINECCIUS a) distinguit inter ius naturae ipsum & *Aliud argumentum pro-* eiusdem adplicationem. Regularum interpretandi quoad *negativa ad-* ipsum ius naturae nullam esse utilitatem, *ductum.* argumentatione, quae sequitur, probat: regulis interpretandi opus est, quoties adsunt signa, quibus quis sensu animi paullo obscurius expressit, id est, quoties adsunt verba & locutiones paullo obscuriores; atqui in iure naturae non adsunt signa vel verba obscuriora; ergo in iure naturae non opus est interpretatione. *Minorem* inde probat: ius naturae nobis non verbis reuelatum est, sed inscriptum in cordibus, non verbis, sed ipso sensu. e. g. sic scio, neminem occidendum, quamuis ipsa verba in corde meo non reperiantur, ipsam rem enim scio, cogitationes vero meae nulla indigent interpretatione.

a) in Praelect. acad. in PUFENDORFII de off. hom. & civ. Lib. I. Cap. XVII. §. 1.

§. VII.

Primo nego maiorem, si nimirum sit propositio exclusiva. Si vero non sit propositio exclusiva, nego formam *Ad quod re-* argumentationis legitime esse formatam. Ratio *spondetur.* prioris haec est. Aliam esse interpretationem rei & aliam interpretationem verborum, monui §. 2. Ex quo patet, a negatione interpretationis verborum ad negationem interpretationis

rei non valere consequentiam. Deinde notandum est, aliud esse sensa animi paullo obscurius exprimere, aliud sensum dicti aliquo modo esse difficilem. Illud a vitio loquentis, hoc vero saepe a statu eius dependet, cui verba sunt dicta. In utroque casu interpretatione opus est. Ratio *posterioris* patet ex forma syllogismi in prima figura formati. Si enim propositio maior non sit exclusiva, hic erit syllogismus: *Quoties adsunt verba & locutiones paullo obscuriores, toties interpretatione opus est. Sed in iure naturae non adsunt signa & verba obscuriora. Ergo in iure naturae non opus est interpretatione.* Qui est syllogismus primae figurae, in quo minor propositio est negans. Forma itaque est vitiosa. *Secundo* nego propositionem minorem. Quam enim praecepta iuris naturalis syllogismorum ope ex essentialibus rerum finibus deducamus; hoc vero non nisi verborum ope fieri possit; manifestum est, praecepta iuris naturalis verbis exprimenda esse. Et quae sunt reliqua.

§. VIII.

Mea hac de re sententia exponitur & quidem primo quoad ius naturae subiectivum.

Transeamus tandem ad meam hac de re sententiam, accuratiori attentione evolendam. Repeto distinctionem, quam obs. 3. §. 1. 7. & 8. posui. Sermo nimirum est aut de iure naturae *subiectivae*, aut de iure naturae *obiectivae* atque *systematice* sumto. Theorema illius ratione notandum hoc est: *Quoad ius naturae subiectivae sumtum interpretatione rei opus est.* Quum enim ius naturae subiectivae sumtum stimulis essentialibus, qui ducunt ad id, quod nobis bonum est, constituitur (§. 1. obs. 3.): qualitas vero eiusmodi boni non semper ex intuitu manifesta sit, sed saepe aliis ex principiis atque notionibus eruenda (§. 4. ff. obs. 8.); sequitur, magnam quoad ius naturae subiectivae sumtum esse utilitatem regularum, quae methodum verum determinatae cuiusdam rei scopum eruendi docent, ideoque in iure naturae subiectivae sumto opus esse interpretatione rei (§. 2.).

SCH.

SCH. Sic e. g. interpretatione opus est quoad stimulos naturales, qui nos ad concumbendum ducunt. Vtrum eiusmodi stimulorum scopus sit, explere libidinem suam, an sobolem procreare. Et si hoc, vtrum hic finis sit vltimus, an intermedius, qui ad alium quendam finem obtinendum, felicitatem nimirum generis humani conducit. Et quae sunt reliqua.

§. IX.

Quod ad ius naturae obiectivae atque systematice sum-
 tum adinet, distinguo inter praecepta iuris naturalis, & eo-
 rundem applicationem. *Quoad praecepta iuris naturalis in-
 terpretatione verborum opus esse*, hac ratione evinco: *Leges & systematicae obiectivae
 & systematicae* Leges naturales sunt vel *primitivae* vel *derivativae*. *Primitivae ex
 eo sumuntur.* Primitivae ex essentia, natura & attributis hominum immediate demon-
 strantur. *Derivativae* aliis ex legibus deducuntur. Leges
 itaque naturales primitivae sunt propositiones, quae essen-
 tialem iuris naturalis subiectivae summi exprimunt scopum
 (§. 1. obf. 3.): Quare, quum variae esse possint verborum
 significationes; sequitur, eiusmodi legum ratione regularum,
 quae docent modum determinandi verborum significationes,
 pro rei natura vtilitatem habere. Leges naturales derivati-
 vae sunt syllogismorum conclusiones. Enimvero ex Logica
 manifestum est, conclusionem syllogismi in se spectatam saepe
 latiore habere significationem ea, quam vi medi termini,
 qui rationem combinationis continet, habere potest
 (§. 360. P. I. Log.). Sensus itaque legis iuris naturalis deri-
 vativae a significatione principiorum, e quibus deducta est,
 dependet. Ex quo patet, eiusmodi quoque legum ratione
 interpretatione verborum opus esse.

SCH. E. gr. te perficias; est lex naturalis primitiva, quae, qua-
 tenus verba, quibus exprimitur, spectantur, & in bonam & in
 malam accipi potest partem. Regulis vero, quae de interpreta-
 tione rei agunt; applicatis manifestum erit; propositionem illam,
 si sit lex naturalis, in bonam partem accipiendam esse. Porro
 propositio: *maior pars in collegio conclusit*, est lex naturalis de-
 rivativa; quae, quatenus in se spectatur, eo quoque in casu
 applici-

adplicari potest, quo, quod maiori parte est conclusum, in praeiudicium collegii vergit. Facile vero erit manifestum, eiusmodi adplicationem sensui legis repugnare, si hic per eam determinaretur propositionem, ex qua deducta est, quae est haec, *maiori parti competit ius minorem cogendi ad ea agenda, quae per commodum collegii necessario requiruntur.*

a) vid. Per-III. L. B. de WOLF Part. prior. Phil. pract. vniuers. 6. 183.

§. X.

*Huiusque
adplicatio-
nem.*

Tandem de adplicatione legum naturalium. *Huius ratione interpretatione verborum opus esse*, argumentatione, quae sequitur, corroboro: In legis naturalis obuium ad casum adplicatione quaeritur, an v. g. obuium pactum, foedus & quae sunt reliqua secundum ius naturae sint obligatoria. Enimuero de iure respondere prius non possumus, quam intelligamus sensum legis naturalis, & an obuium factum ita comparatum sit, vt lex naturalis quoad sensum considerata in eodem habeat locum. *Vsus itaque interpretationis verborum in legis naturalis obuia ad facta adplicatione non exiguus est.*

SCH. Ponitur v. g. quaestio: *an maior collegii pars minorem in iure suo possit interpellare?* Non nulli respondent affirmando, rationemque responsonis e principio iuris naturalis sumunt: *maior collegii pars concludit.* Alii negant, persuasi, principium hocce iuris naturalis illo in casu non habere locum. Interpretatione ergo & legis naturalis, & obuii facti erit opus, prius quam, quid circa obuium factum iustum sit, pronunciare ex iure naturae possimus. Facta legis illius interpretatione manifestum erit, legem hancce eum ad casum non posse adplicari, qui in praeiudicium collegii vergit, ideoque eam ad quaestionem, quam posui, nec simpliciter affirmando nec simpliciter negando respondendum esse. Ponamus alium casum, quem enumeravit P VENDORF. Romani & Carthaginenses finito bello punico pacti erant, neutram gentem alterius socios laedere debere. Paulo post ad Romanorum societatem accesserat Saguntus, Hannibal Cartha-

Carthaginensis eam obsidebat: quaerebatur, an hoc contra foedus sit? Romani affirmabant, quia Saguntus sit socia ciuitas; negabant Carthaginenses, quia Saguntus socia ciuitas non fuerit eo tempore, quo foedus factum; Interpretatione ergo & legis: *foedera sunt seruanda*; & obuui foederis opus est. Et quae sunt reliqua.

§. XI.

- Licet haec mea sit sententia satis, vt opinor, corroborata, interpretatione & in iure naturae & in iure positiuo opus esse. Nihilominus accedo ad sententiam THOMASII ^{a)}, aliam nimirum esse iuris naturalis, aliam iuris positiuo interpretationem. In illo interpretationem demonstrationibus, in hoc vero coniecturis seu argumentis probabilibus vti. Quum enim fundamentum interpretationis quoad ius naturae subiectiue sumtum, & quoad leges naturales primitiuas sit ipsa natura (§. 8. 9.): & fundamentum interpretationis quoad leges naturales deriuatiuas sint leges naturales primitiuae (§. 9.); sequitur, interpretationem iuris naturalis, fieri per legitimam e primitiuis principiis deductionem, ideoque eiusmodi interpretationem vti demonstratione. Quod *alteram* sententiae THOMASII partem adinet, dubito, an ea omnibus in casibus valeat. Leges positivae a voluntate cuiusdam dependent. Sensem itaque eiusmodi legis determinaturus, id indicare debet, quod legislator eiusmodi lege obtinere voluit, id est, ex verbis, quibus legislator vsus est, eiusdem colligere debet cogitationes. Hoc quibusdam sub determinationibus cum certitudine, quibusdam vero sub determinationibus cum probabilitate solum fieri posse, e Logicis notum est. Ergo & poni potest interpretatio iuris positiuo, quae demonstratione, poni quoque potest, quae coniecturis seu argumentis probabilibus vtitur.

*Sententia
Thomasi
exponitur.*

a) in Inst. iurisprudentiae diuinae L. I. Cap. III. §. 5.

§. XII.

Praemissa obseruatione vsus interpretationis in iure naturali inuolente, transeo ad regulas interpretandi. Non

*Interpretationis iuris
naturalis*

Gg

insti-

*subiectus
summi regu-
la demon-
stratur.*

institui ea, quae Logica de interpretatione docet, exscribere, & in ius naturae transferre. Sed ea solum repetam magisque euoluam, quorum usus in iure naturali mea quidem opinione magnus est. Monui §. 2, interpretationem rei ab interpretatione verborum distinguendam esse. Primo itaque de interpretatione rei, cuius regula haec est: *Stimulos naturales interpretaturus inquirere debet primo in ea, quae per eiusmodi stimulos fieri possunt: deinde in essentiam eius, cui eiusmodi stimuli insunt, & in ea, quae per essentiam illam ponuntur atque poni possunt: tandem in illorum ad haecce relationem. Quicquid per stimulos illos naturales fieri potest, & ad ea obtinenda conducit, quae per essentiam eius, cui stimuli illi insunt, ponuntur atque poni possunt, id eiusmodi stimulorum erit scopus essentialis.* Quum enim stimuli naturales sint conatus ipsa rei, cui insunt, essentia excitati; manifestum est, eiusmodi stimulorum scopum naturalem non esse, nisi ut ea obtineantur, quae per essentiam eius, cui stimuli illi insunt, ponuntur atque poni possunt (§. 64. ff. Monadol.). Interpretatio stimuli naturalis determinat eius scopum naturalem seu essentialem (§. 2. & §. 8.). Stimulos itaque naturales interpretatus est, qui ea determinauit, quae per eiusmodi stimulos fieri possunt ad ea obtinenda, quae per essentiam eius, cui stimuli illi insunt, ponuntur, atque poni possunt. Ex quibus satis patet, ea, quae praescripta sunt, obseruare, idem esse, ac stimulos naturales seu ius naturae subiectiue sumtum (§. 1. obf. 3.) interpretari.

SCH. Alii eandem rem ita exprimunt: *stimulos naturales interpretaturus ea euoluere debet, quae per eiusmodi stimulos finibus rei conuenienter fieri possunt.* Vltim regularum, quas demonstravi, exemplo docebo. Natura nos stimulat ad concumbendum. Sed quisnam eiusmodi stimuli sensus seu scopus essentialis? Hic regulis illis, quas praescripsi, applicatis patebit. In ea, quae per stimulum illum fieri possunt, inquisiturus facile perspiciet, ea esse explere libidine, & procreare liberos. Ea, quae per essentiam nostram ponuntur atque poni possunt, euolunturus intelliget; haec ita esse comparata, ut fieri possint media ad
aliam

propria vo- popularem ex usu. Multis enim, ut verbis GRONOVII *a)*
cis significa- vtur, verbis longe aliam significationem imposuit usus, quam
lio. ea primitus ex origine acceperant. Ideoque ad propriam
 verbi significationem determinandam, non respiciendum est
 1) ad etymologiam, haec enim saepe a vera verbi significatio-
 ne discrepat, e. g. Schola dicitur ab otio, 2) nec ad primae-
 uam significationem, ea enim saepe cum tempore mutatur,
 & verba valent sicut nummi. E. gr. sophista olim significa-
 uit sapientem, hodie eum, qui fallis argumentationibus suam
 confirmat sententiam. 3) nec ad similitudinem formationis,
 hanc saepe fallere patet v. g. ex voce *comitii*. Comitium enim
 ob analogiam significat locum, vbi plures simul clamant, pro-
 prie vero locum in foro. Et quae sunt reliqua *b)*. Sed ad
 solum respiciendum est usum, quem penes arbitrium est, &
 ius & norma loquendi.

a) in not. ad GROTI. Lib. II. Cap. XVI. §. 2.

b) Conf. PUFENDORF I. N. & G. Lib. V. Cap. XII. §. 3. de offic.
 hom. & ciu. Lib. I. Cap. XVII. §. 2. Adde HEINECCIJ Prae-
 fectiones in h. l.

§. XV.

Eius conti-
nuatio.

Deinde, artium vocabulorum, seu terminorum techni-
 corum significationem propriam non dependere ab usu po-
 pulari, sed a definitionibus artis cuiusque prudentum. No-
 tum enim est e Logicis, significationem, qua populus ter-
 mino vtitur, a significatione, qua idem terminus a prudenti-
 bus in artem receptus est, maxime saepe discrepare.

SCH. Exemplum posuit PUFENDORFIVS *a)* atque GRO-
 TIVS *b)* in vocabulo *exercitus*. Quod ille verbis, quae sequun-
 tur, enumeravit: Verbi gratia, si in foedere aliquo cautum sit,
 ne quis cum exercitu alterius fines transeat. Vbi dispiciendum,
 qualis militum manus eo nomine veniat. GROTIUS putat,
 exercitum definiendum per talem militum multitudinem, quae
 palam fines hosticos inuadere ausit, vel etiam aperte hosti ingru-
 enti sese obicere. Nam passim apud historicos opponitur id,
 quod iusto fit cum exercitu, & quod furtim fit, ac more latro-
 cinan-

cinantium. In vniuersum tamēn non potest definiri, quanta manus vbique & semper exercitum constituat; sed respiciendae sunt vires tum hostium, tum nostrae. Si tenuibus rebus publicis inuicem sit negotium, modicae copiae exercitus instar haberi possunt; quae inter magna regna pro manipulo praedantium habentur. Et quae sunt reliqua.

a) l. c. §. IV.

b) l. c. §. III.

§. XVI.

Tandem, coniecturas illas, quae, vt propriam vocis Et quamam- significationem mittamus, nos ducunt, esse ea, quae faci- fit ratio, unt, vt ex propria vocis significatione vel contradictorium quae nos quid, vel fini loquentis contrarium fluat. Etenim non praesu- & propria mendum est, aliquem id velle, quod contradictorium atque vocis signifi- fini, quem posuit, contrarium est. catione di- uulsi.

§. XVII.

Reliqua, quae Logici hac de re disputauerunt, trans- Interpreta- scribere, non opus est. Transeamus ad interpretationem tionis propo- propositionum atque totius orationis. Qua de re regulae, sitionum re- quae sequuntur, notandae sunt, quae, vt cum GROTI^o a) gula prima loquar, *primo* ex materia, seu ex obiecto, de quo sermo & materia. est, *deinde* ex effectu, & *tandem* ex coniunctis fluunt. Prima regula est haec: *verba sunt accipienda secundum substratam materiam.* Quae inde patet, quia praesumendum, obiecto consentanea esse, quaecunque de illo dicuntur.

SCH. E. gr. Si triginta dierum pactae sint induciae, quaeritur, utrum dies naturales an ciuiles 24 horarum intelligendi sint? Respondeo dies ciuiles intelligendos esse. Sermo enim est de induciis. Induciae vero nullae sunt, si hostes ab vsu armorum non quiescunt. Logicorum eiusdem regulae expressio haec est: *talia sunt subiecta, qualia permittuntur esse a suis praedicatis, & talia sunt praedicata, qualia permittuntur esse a suis subiectis.*

a) l. c. §. V. ff.

§. XVIII.

*Regula secunda ex offi-
follu.*

Regula secunda, quae ex effectu fluit, haec est: *verba ita accipienda sunt, ut habeant effectum.* Manifestum enim est, aliquem ideo loqui, ut quod loquitur, nihil significet, nihilque sortiatur effectum, a ratione alienum esse.

SCH. Illustrabo rem exemplo BRVSIDAE, quod GROTIUS a) EX THUCIDIDE refert. Hic insidens agro Thebano cum exercitu, accepta pecunia promittebat, se agro Boeotiorum excessurum, deinde vero negabat, agrum exercitu suo occupatum, Thebanorum esse, quasi de bellica possessione non de finibus antiquis ea vox intelligenda esset: quo sensu nullus pacti fuerat effectus, ideoque pactum inane. Aliud exemplum, elegans enumeravit PVFENDORF b). Conuenerat LVDOVICVS XII. cum Legato Pontificis, ut Episcopatum, qui morte Episcoposum vacaturi essent in Francia, collatio ad Regem spectaret. Contigit Episcopum quendam Gallum mori Romae, in cuius locum Pontifex suffecit alterum, nec segnius Rex alterum. Quae res graui dis-
fensionem ansam dedit. Ego non dubitem pro Rege pronunciare. Nam ut officium aliquod vacare dicatur, nihil interest, quo loco decessor mortuus sit. Alias pactum erit sine effectu.

a) l. c. §. VI.

b) l. c. §. VIII. Adde III. MASCOVII not. ad h. l.

§. XIX.

*Regula tertia
ex coniunctis loco.
1) origini.*

Tandem de coniunctis, quae talia sunt vel *origine* vel *loco*. Illa sunt *loca parallela*, in quibus idem auctor de eodem obiecto loquutus est. Horum ratione notanda est regula: *verba vnius loci obscuriora interpretanda sunt ex loco altero clariore.* Quum enim a ratione alienum sit, talia proponere, quae inter se non cohaerent; sequitur, verba vnius loci obscuriora ea ratione interpretanda esse, ut sententiis eiusdem auctoris, quae manifestae sunt, non repugnent. Enimuero loca clariora aperte dicunt, quod idem sentit auctor. Locus itaque obscurior ex loco clariore explicandus est.

SCH. Ita, si quis triticum dari sibi stipulatus sit sine adiectione mensurae, haec quidem stipulatio imperfecta est. Sed si ex tra-
Gata

Statu prius habito adpareat, de certi generis, certaeque quantitatis tritico cogitatum & actum esse, id pro expresso etiam in ipsa stipulatione est habendum. Porro secundum hanc regulam saepe, quod in testamento obscurum est, explicatur ex codicillis, & quod in codicillis obscurum, ex testamento.

§. XX.

Si sermo sit de iis, quae loco coniuncta sunt, distinguere debemus *contextum*, id est, nexum propositionis cum eius antecedentibus atque consequentibus, a *ratione propositionis*, seu causa atque respectu, qui ad propositionem illam proponendam auctorem mouit. De priori notanda est regula: *verba ita interpretanda sunt, ut cohaereant cum antecedentibus atque consequentibus.* Ratio huius regulae eadem est, qua regulam §. 19. positam corroboravi.

SCH. Elegans est exemplum, quod ex Art. IV. Ryswicensi refert REINECCIUS a). Verba hoc in articulo obscura sunt, quod religio in prouinciis restitutis relinqui debeat in statu pristino. Minus accurate Pontificii id pro se interpretantur, quum antecedentia doceant, pro fundamento positam fuisse praecisa Westphalicam.

a) in Prael. in GROTIUM Lib. II. Cap. XVI. §. 8.

§. XXI.

De posteriori tandem §. 20. posito recte interpretes tenent regulam: *illa interpretatio est sequenda, quae rationi congruit: illa reiicienda, quae ei repugnat, vel posita propositionis seu iuris ratione, ponenda est iuris dispositio: cessante uero iuris ratione, cessat quoque iuris dispositio.* Quum enim ideae, quas obuia uerba expriment, illam obrationem sint combinate: manifestum est, non praesumendum esse, ut uerbis obuia in connexionem alius sit sensus, quam quem per rationem illam habere possunt.

§. XXII.

Medius terminus est ratio conclusionis syllogismo quodam ordinario illatae. Sequitur inde regula: *Syllogismi ordinarii* Ex quo specialiores quaedam uer.

regulae deducuntur.

narii conclusio ita interpretanda est, prout medio termino consentaneum est (§. 21.). Porro, causa finalis adaequata est ratio eius, quod fecimus. Ergo & haec manifesta est regula: *Facta ideoque & pacta nostra ita interpretanda sunt, prout eius causae finali adaequatae consentaneum est. Causa itaque finali adaequata omnino & in totum cessante, cessat pactum* (§. cit.) a)

SCH. Primae regulae exemplum exhibet Schol. §. 10. obf. 22. Posteriolem exemplum, quod sequitur, illustrabit. Si in foedere aliquo cautum sit, ne quis cum exercitu alterius fines transeat, eum in finem, ne nobis periculum creetur; manifestum erit, foedus non violari, ubi milites sparsim transeunt, nec intra fines nostros colliguntur.

a) Conf. Artem inveniendi P. 1. §. 360. II.

§. XXIII.

Obiectio huius
insque re-
sponsio.

PAGANINVS GAUDENTIVS a) negat regulam, quam §. 21. demonstrauiamus, veram esse, ea ex ratione commotus, quia omnium, quae a maioribus sunt constituta, rationem non possumus reddere. Sed nego consequentiam. Regula illa manet vera, licet eiusmodi regulae applicatio non semper nostra sit in potestate.

a) Exposit. iurid. Lib. I. Cap. III. Confer. HEINECCIJ Praefat. ad Elem. iur. ciuil. secundum ordin. Digestor.

§. XXIV.

Monita.

Duo hic monenda sunt. *Primum*, quod obseruauit GROTIVS a) Distinguendam esse mentem a ratione, vel quod idem est, praetextum a vera legis vel pacti, & quae sunt reliqua, ratione. Quid sit ratio legis vel pacti, satis, vt opinor, explicatum est §. 21. Per *praetextum* intelligunt eam facti causam finalem, quam agens manifestat. Praetextus itaque non semper est vera causa finalis seu ratio. Scio, ait HEINECCIUS, Principem lege prohibuisse calceos ligneos, sub praetextu, quod pedibus inimici sint: sed vera ratio erat, quia rustici ita non soluebant vectigal, quod soluitur

uitur ob calceos coriaceos. *Alterum*, quod adposuit Ill. MASCOVIVS *b)*, rationem seu causam legis vel pacti finalem non confundendam esse cum causa impulsiva, cuj quae eomouet tantum ad obuiam legem ferendam vel ad paciscendum. Quum enim id, ex quo motius ad agendum sumimus, non semper sit scopus volitionis nostrae; dici non poterit, omnem causam impulsivam esse causam finalem (§. 105. Cor. 1. Psych. emp.). Ex quo porro colligimus, causam legis vel pacti impulsivam esse earundem occasionem (§. 104. I. N.) ideoque principium, ex quo legis vel pacti causa finalis, vel quod perinde est, legis vel pacti ratio inferri poterit.

a) l. c. §. VIII.

b) ad PVFENDORFII I. N. & G. Lib. V. Cap. XII. §. X. n. 2.

§. XXV.

His praemissis facile erit intelligere, quid sit *interpretatio declarativa, extensiva & restrictiva*, & quae sint earum ^{Interpretatio est vel} interpretationum fundamenta. Quum enim ex hactenus ^{declar. vel} explicatis pateat, nos aliquando verba praecise adplicare ad ^{extens. vel} mentem nostram, *ut loquamur, quae sentimus*: aliquando ^{restrict.} verba mentem nostram ex parte saltem referre, *ut minus loquamur, quam sentimus*: aliquando verba latiora esse quam mentem, *ut plus loquamur, quam sentimus*; fuit inde *interpretatio declarativa*, quae mentem loquentis exponit, prout verba iacent: *extensiva*, quae verba angustiora extendit ad alium casum sub mente comprehensum: & *restrictiva*, quae docet, non omnia, quae sub verbis comprehenduntur, pertinere ad mentem loquentis. a)

a) Conf. THOMASIVS in Jurispr. diu. Lib. II. Cap. XII. §. 8. ff.

§. XXVI.

Quibus ex notionibus patet, interpretationem *declarativam* respicere solum propositionem verbis declaratam, ^{Earumque} *extensivam* vero atque *restrictivam* aliud quiddam, quod ^{interpretationum re-} verbis non declaratum est, nimirum contextum, rationem ^{regulae.}

Hh

atque

atque causam finalem (§. 25.). Ex quo fluit de *extensua interpretatione* tenendam esse regulam: *Quoties contextus, vel ratio, vel causa finalis legis vel pacti latius patent, quam verba, toties opus est interpretatione extensua.* Et de *interpretatione restrictiva*: *Quoties latius patent verba, quam contextus, ratio atque causa finalis, toties opus est interpretatione restrictiva.*

SCH. Exemplum interpretationis restrictivae vide Sch. §. 10. obs. 22. & Sch. §. 28. obs. 21. & exemplum extensivae Sch. §. 25. obs. 22.

§. XXVII.

In fraudem legis agere quid? Is agit in *fraudem legis*, qui legem non quidem secundum verba, tamen secundum sententiam violat, seu, ut cum PAVLO ^{a)} loquar: qui salvis verbis legis, sententiam eius circumvenit.

a) L. 29. D. de Legibus.

§. XXVIII.

Regula inde deducitur. Is itaque in fraudem legis agit, qui legem secundum interpretationem declarativam observat, quae extensivae vel restrictivae interpretanda (§. 26.).

§. XXIX.

Alia regula ex dictis colligitur. Quum porro non praesumendum sit, legislatorem atque paciscentes velle aequitati naturali atque humanitati repugnans (§. 4. obs. 19.); manifestum est, interpretatione restrictiva vel extensiva opus esse, si ab aequitate naturali vel humanitate discedendum esset, si interpretationi declarativae inhaerere vellemus (§. 26. & §. 28. obs. 21.). Sed haec satis.

OBSER-

OBSERVATIO XXIII.

DE

REGVLA INTERPRETATIONIS:
FAVORABILIA LAE, ODIOSA STRICTE
SVNT INTERPRETANDA.

§. I.

Veteres quidem omnes, qui de interpretatione pactorum ^{Scopus obser-} atque legum loquuti sunt, & post GROTIUM etiam ^{uationis.} PVFENDORFIUS hancce suggesserunt interpretationis regulam: *Favorabilia lae & odiosa stricte esse interpretanda.* GROTIUS favorabilibus atque odiosis tertium addidit genus mediorum & mixtorum, & horum causa constituit regulam: *Mixta pro magnitudine boni aut mutationis, modo lae, modo stricte interpretanda esse.* Sed THOMASIVS primum hancce regulam in controuersiam deduxit, & singulari dissertatione contra VINCENTIUM PLACCIVM scripta, quam & Iurisprudentiae diuinae inseruit, argumentis infirmauit, eandemque nullius momenti esse probauit. Quae cum ita sint, operae pretium esse videtur, *primo* sententiam GROTII atque PVFENDORFII, quantum eius fieri potest, delineare: *deinde* quae THOMASIVS in contrarium adduxit, euoluere, & *tandem* in eiusmodi argumentationum vim atque valorem inquirere. De singulis breuiter.

§. II.

Per *fauorabilia* intelligunt, in quibus par & aequalis ^{Fauorabilia,} vtriusque partis sit conditio, ambabus consulitur, & quae communem spectant vtilitatem. A huius quantitate fauoris dependeat quantitas, vt eorum, quae ad pacem faciunt, maior sit fauor, quam quae ad bellum, & belli ad fines suos defendendos suscepti maior quam ad acquirendum aut vlciscendum. a)

a) vid. GROTII Lib. II. Cap. XVI. §. X. & GRONOVII obseru. ad h. l.

§. III.

Odiosa

Odiosa ex eiusdem auctoris sententia sunt, in quibus impar & inaequalis vtriusque partis est conditio, ideoque quae partem alteram tantum aut plus altera onerant, quae poenam in se continent, & quae actus faciunt irritos, & quae de prioribus aliquid immutant.

§. IV.

*Et mixta ex
fensentia
Doctorum
explicantur.*

Et per *mixta*, in quibus fauor & odium pro parte concurrunt. TESMARVS *a)* illustrationis causa addidit exemplum, quod sequitur. Senatus Romanus, apud Liuium: *Auxilio vos dignos censemus; sed ita vobiscum amicitiam institui par est, ne qua vetustior amicitia ac societas violetur.* Ecce fauorabile & odiosum; fauorabile, succurrere miseris; odiosum contra focios.

a) in obseru. ad GROTII l. c.

§. V.

*Regula in-
terpretatio-
nis quoad
mixta*

His praemissis notionibus, pergit GROTIUS *a)* *primo* in mixtis verba sumenda esse secundum totam proprietatem vsus popularis, & si plures sint, eam, quae latissima est.

SCH. Exempli loco esse possunt, quae affert TESMARVS *b)*: Permissum erat Lubecensibus, etiam durante bello sinter Moscos & Liunos, ire in Rosciam; quando autem Liuoni id intelligere volebant de terrestri tantum professione, FERDINANDVS Caesar, arbiter electus, pronunciauit contra Liunos pro libertate Lubecensium.

a) l. c. §. XII.

b) in obseru. ad l. cit. GROTII.

§. VI.

*Quoad fa-
uorabilia.*

Secundo: in fauorabilibus, si is, qui loquitur, ius intelligat, aut peritorum iuris consilio vtatur, verba laxius sumenda esse, vt etiam includant significationem artis, aut quam lex dedit. Ad significationes autem plane improprias non recurrendum, nisi alioquin absurdum aliquid, aut pacti inuti-

inutilitas sequeretur. Ex contrario verba etiam strictius, quam fert proprietas, sumenda esse, si id necessarium erit ad vitandam iniquitatem vel absurditatem: at si non talis est necessitas, sed manifesta aequitas & utilitas in restrictione, subsistendum esse intra arctissimos terminos proprietatis, nisi circumstantiae aliud suadent.

SCH. Sic si cautum, ut valeat ultima voluntas, facta coram tribus testibus, intelligendum erit non tantum de codicillis, sed & testamentis. Ex contrario, si statutum, ut quisque magistratui inobediens puniendus, hoc non erit intelligendum de magistratu impia iubente.

§. VII.

Tandem, in odiosis quoque sermonem figuratum atque a proprietate verborum discedentem aliquantulum admit- *Quoad odio
sa.* tendendum esse, quo onus vitetur.

SCH. Sic auxilia promissa ab vna tantum parte ex sententia GROTIJ intelligentur deberi impendiis eius, qui postulabat.

§. VIII.

In sententiam GROTIJ atque PVFENDORFII accuratius inquisiturus facile perspiciet, fundamentum omnium, quas enumeravimus, regularum esse theorema: in omnibus *Harum fun-
damentum
explicatur.* interpretationibus praecipua esse debet aequitatis ratio, quod inde fluit, quia non praesumendum est, aliquem velle aequitati repugnans.

§. IX.

Haec de sententia GROTIJ atque PVFENDORFII. Sequitur sententia THOMASII. Primum, quod THOMASIVS in contrarium adduxit, hoc est: a) neminem accuratam odiosorum & favorabilium dedisse definitionem, & quid favorabile & odiosum sit, non posse accurate describi. Quod *Primum
quod Tho-
masius in
contrarium
adduxit ar-
gumentum.* verbis, quae sequuntur, probat: Res ipsa ostendit, hic non agi I. de definitione favoris & odii, sed de definitione favorabilium & odiosorum, neque sequi, defini posse favorem, ergo & favorabile, non magis, quam defini posse

amorem, ergo & amabile. Etenim non sufficit dicere, quod fauorabile sit obiectum fauoris, non enim quaerimus notionem generalem conceptus nostri de fauore; sed definitionem rei ipsius, ita vt per eam fauorabilia ab odiosis in exemplis omnibus aut certe plerisque discernere possimus. Deinde cum fauorabile vel notet ens fauore dignum, aut fauorem merens, vel ens, quod pro fauorabili ab hominibus habetur, quorum illud possis appellare fauorabile iuris, hoc fauorabile facti; patet 2) fauorabile iuris pertinere ad Philosophiam moralem, & a praesenti quaestione esse alienum, cum interpretatio pertineat ad Logicam, & quaerat, non quid homines pro fauorabili habere debeant, sed quid in pactis aut legibus pro fauorabili habuerint. Nam interpretatio non quaerit primario, quid alter dicere debuerit, sed quid voluerit. 3) Adeoque ad fauorabile facti pertinere etiam id, de quo agit ius humanum. Quia legislatores non solum non semper in legibus id obseruant, quod debebant, sed & quod leges humanae versentur in rebus indifferentibus, ad vtilitatem reipublicae pertinentibus, quae vtilitas cum variet, & res, quibus faueant in ferendis legibus, variare necesse est.

a) in Iurispr. diuina Lib. II. Cap. XII. §. 160-176. & in Appendice ad h. l. §. I. ff.

§. X.

*Argumen-
tum secundum.*

Alterum a THOMASIO in contrarium adductum, hoc est. Regulas illas in materia interpretationis nullum habere vsum, potius aptas esse, vt sub earum praetextu interpretationes cauillatoriae & ineptae possint saluari. Nam fauorabile & odiosum sunt ideae relatae. Hinc diuerso respectu modo fauorabilis est res, modo odiosa. Ideoque quod vni fauorabile est, alteri est odiosum, & quod vni odiosum, alteri fauorabile. Pergit THOMASIVS a). Quid si in foedere pacis conuentum sit, *captiuos virinque restitui?* & vna pars, quae longe plures captiuos detinebat, pro singulis singulos velit reddere, altera vero omnes pro omnibus; ex

GRO-

GROTII notis haec posterior pro se afferet, *fauorabile* esse negotium, cum ad pacem iucundam sit directum, adeoque extendendam esse locutionem; prior vero vrgebit, *odiosum* ita pactum esse, quae partem alteram plus altera oneret, atque adeo in se non habeat vtilitatem. Porro si fingamus legem esse, *quae frumenti exportationem prohibeat, poena graui in exportantem statuta, & quis farinam exportauerit*, si regulam de fauorabilibus & odiosis quis hic applicare velit, facile videri potest, exportantem non esse puniendum, quia lex ista ad odiosas ex dictis GROTII referenda esset, non solum quia de priori licentia aliquid immutat, sed & quia poenam in se continet; cum tamen certum sit, legem illam ad praesentem casum, ob rationis identitatem, pertinere.

a) l. c. §. 170. 171.

§. XI.

Accedo ad sententiam THOMASII. *Prima* huius ratio est, quia nemo odiosorum & fauorabilium accuratam dedit definitionem. Si enim GROTIUS fauorabilia vocat, in quibus par & aequalis vtriusque partis sit conditio, atque ambabus consulitur, merito opponuntur beneficia Principis, quorum causa non vtriusque partis aequalis est conditio, nihilo tamen minus inter fauorabilia referuntur. Si porro ex eiusdem sententia fauorabilia sint, quae communem spectant vtilitatem, in contrarium adduco poenas, quarum scopus communis est vtilitas, & tamen ab ipso GROTIUS res odiosae sunt vocatae. Hunc defectum a PVFENDORFIO non esse suppletum, manifestum est ex iis, quae hac de re *in Offic. hom. & ciu. Lib. I. Cap. XVII. & in I. N. & G. Lib. V. Cap. XII. §. XII.* disputauit.

§. XII.

*Alter*a eius ratio est haec, quia impossibile est, genuinas odiosorum & fauorabilium definitiones reperire. Sunt enim ideae relatiuae, quarum determinatio plerumque ab hominum opinione dependet, & quod vni fauorabile, id alteri

teri odiosum est. Beneficium fauorabile est ei, cui collatum, odiosum vero conciuibus; legatum fauorabile est legatario, & odiosum heredi. Et quae sunt reliqua.

§. XIII.

Et tertia exponitur.

*Tertia ratio sit haec: quia regulae illae, quae odiosorum & fauorabilium interpretationem docent, eo ex fonte, quem adduxerunt, legitime non fluunt. Concedo in omnibus interpretationibus praecipuam esse aequitatis rationem. Sed quid inde? fauorabilia esse extendenda & odiosa restringenda? nego consequentiam. Ex circumstantiis enim diiudicandum erit, num verba legis vel pacti pro norma aequitatis extendenda sint an restringenda, non vero ex eo, an fauorabile aut odiosum exprimant. Pona-
mus accuratas odiosorum vel fauorabilium reperiri posse definitiones, res tamen mea salua manebit. Permultae enim concurrere possunt circumstantiae, quae faciunt, vt, si aequitatem sequi velimus, odiosa extendere, & fauorabilia debemus restringere. Qua ex causa GROTIUS a) hancce addit limitationem: *Ex contrario verba, in fauorabilioribus nimirum, etiam strictius, quam fert proprietatis, sumenda erunt, si id necessarium erit, ad vitandam iniquitatem vel absurditatem: at si non talis est necessitas, sed manifesta aequitas vel utilitas in restrictione, subsistendum erit intra artissimos terminos proprietatis, nisi circumstantiae aliud suadeant.* Quae restrictio omnes fere interpretandi regulas, quae ad odiosa vel fauorabilia pertinent, destruit, & meam hac de re sententiam confirmat.*

a) I. c. s. XII. n. 2.

OBSER-

OBSERVATIO XXIV.

DE

INTERPRETATIONE AVTHENTICA
ET VSVALI.

§. I.

Hæc de interpretatione doctrinali. Disputarunt quoque *Interpretatio authentica quid?*
Iuris naturalis doctores de interpretatione authentica
atque vsuali. Meam hac de re sententiam breuiter delineabo. Qui interpretatur, is determinatum eius, de quo sermo est, sensum indicat. Si itaque is, qui loquutus est, ipse sensum dicti declarat: ea declaratio erit *interpretatio*. Et hæc est, quam doctores *authenticam* vocarunt.

§. II.

Fundamentum itaque omnis authenticæ interpretationis hæc est regula: *Huius naturæ*
Quilibet est optimus verborum suorum va
interpres. Ex quo colligimus, enunciationem eius, qui dicta authentice interpretatur, esse: *Hic est sensus dicti, quia volo, ut sit talis.*

§. III.

In interpretatione quadam adquiescere idem est ac eandem sine vlllo dubio pro certa habere. Ex quo immediate *& effectus explicatur.*
fluit, in interpretatione authentica adquiescendum esse (§. 2.).

§. IV.

Interpretatio authentica ad eum solum pertinet, qui sua
pro voluntate sensum dicti potest determinare. Quum enim, *Interpretatio authentica ad quem pertinet.*
qui authentice interpretatur, non sensum solum dicti determinet, sed & rationem huius determinationis sua ex voluntate sumat (§. 2.); manifestum est, interpretationem authenticam ad eum solum pertinere, in cuius potestate positum est, vt sensum dicti sua pro voluntate determinet.

§. V.

*Confectaria
quaedam.*

Sequitur inde: 1. authenticam legis interpretationem solum ad legislatorem, & 2. authenticam pacti interpretationem non ad alterum paciscentium; sed ad paciscentes pertinere.

§. VI.

*Ponitur ob-
iectio & re-
spondetur.*

Sed fortasse dixerit quispiam, interpretationem legis authenticam ad eum quoque pertinere, cui legislator ius authenticæ interpretandi dedit. Sed res mea salva est. Quum enim verba legis non constituent legem, sed sensus; manifestum est, alicui ius leges authenticæ interpretandi dare, idem esse, ac huic potestatem legislatariam concedere (§. 1. obf. 20. & §. 2. h. obf.). Ea itaque ratione, qua eiusmodi ius interpretandi habet, ut legislator debet spectari.

SCH. Colligimus inde, distinctionem inter eum, qui authenticæ leges interpretari potest, & legislatorem non esse realem, sed nude verbalem. Sic potestas leges a populo vel senatu latas authenticæ interpretandi, quam Romani Praetori dederunt, re ipsa erat legislatoria.

§. VII.

*Interpretatio
vsualis
quid?*

Interpretatio, cuius fundamentum ex consuetudine sumitur, vocatur *vsualis*. Regula itaque interpretationis vsualis haec est: *Ea, de quibus sermo est, accipienda sunt in significato moribus recepto.*

§. VIII.

*Et quando
habeat locum.*

Interpretatio vsualis locum non habet, nisi in relatione ad ea, quae continuo quodam vsu introduci possunt (§. 7.). Significatio verborum seorsim consideratorum continuo introducit vsu (§. 14. obf. 22.). Rei significationem non determinat vsus, sed ipsa natura (§. 12. obf. cit.). Sensus pacti a voluntate paciscentium, & sensus legis positivæ a voluntate legislatoris dependet (§. 4. & §. obf. 23.). Pater itaque, sensus verborum seorsim consideratorum vsuali interpretatione

tione posse determinari: quoad res vero, quoad pacta & quoad leges positivas interpretationem vsualem, qua talem, locum non habere, nisi qualitas eiusmodi interpretationis, a circumstantiis dependens, aliud suadeat. Hancce in qualitate inquiramus.

§. IX.

Interpretatio vsualis quoad leges naturales, qua tales, nullam habet utilitatem. Quum enim leges naturales, qua tales, sint veritates ipsa rei natura constitutae (§. 2. ff. obs. 19.); sequitur, eiusmodi leges nulla ratione a moribus dependere. Quae cum ita sint, manifestum est, quoad leges naturales, qua tales, interpretationem vsualem nullam habere utilitatem (§. 7.). Utilitas interpretationis vsualis in legibus naturalibus nulla est.

SCH. Idem argumentatione, quae indirecta vocatur, corroborari potest. Ponamus e. g. moris esse, ut mortales stimulis naturalibus, qui nos ad concumbendum ducunt, ad libidinem extinguendam utantur, & interpretationem vsualem eiusmodi stimulorum ratione locum habere; consequens erit, sensum seu scopum stimulorum, de quibus diximus, essentialem esse, exple-re libidinem. Enimuero eiusmodi interpretatio naturae reputat (Sch. §. 12. obs. 22.). Ergo & veritas propositionis, quam posuimus, manifesta est.

§. X.

Interpretatio vsualis legum positivarum vel pacti, quae doctrinali vel authenticae repugnat, pro falsa haberi debet. Qui enim legem positivam vel pactum doctrinaliter interpretatur, is sensum legis vel pacti secundum principia, quae sana praescribit ratio, determinat (§. 115. I. N.). Interpretatio itaque vsualis, quae doctrinali repugnat, consuetudinem involuit irrationalem (§. 7. h. obs. & §. 9. obs. 11.), ideoque talem, quae ius introducere nequit (§. 12. obs. cit.). Enimuero interpretatio legis vel pacti, quae vera est, docet quid iuris. Vsualis itaque interpretatio, quae doctrinali repugnat, inter falsas referri debet. Q. e. p. Interpret. vsualis legum positivarum & pacti quando pro falsa

Ponamus porro, authenticam legis vel pacti adesse interpretationem; necesse erit, ut in eadem adquiescamus

(§. 3.). Sensus itaque legis vel pacti, qui ei repugnat; quem authentica interpretatio determinauit, pro falso debet haberi. Sequitur inde alterum propositionis, quam posui, membrum, interpretationem nimirum legis vel pacti vsualem authentice repugnantem falsam esse. Q. e. a.

SCH. Colligimus inde auctoritatibus doctorum eatenus solum credendum esse, quatenus lege vel ratione probant, non vero quatenus ad nudum prouocant vsum, claraque lege atque ratione refutantur. Ideoque non considerandum esse, quis dicat, sed quid dicat. Sanctitas vel auctoritas ad sententiam quandam corroborandam non prodest.

§. XI.

*Et quando
pro vera ha-
benda.*

His praemissis facile erit perspicere, duo solum poni posse casus, in quibus vsualis legum positiuarum atque pactorum interpretatio, quandam habere possit utilitatem. *Primus est, si circumstantiae ita sint comparatae, ut ex illis colligere possimus, vsualem legis interpretationem a legislatore, & vsualem pacti interpretationem a paciscentibus tacite esse adprobatam.* Quum enim quilibet voluntatem suam & tacite & expresse possit declarare; manifestum est, positis eiusmodi circumstantiis vsualem interpretationem ad authenticam, in qua adquiescendum, referendam esse (§. 1. & 3.).

§. XII.

*Huius com-
mutatio.*

Secundus est. Interpretatione legum & pactorum doctrinali vel authentica deficiente, praesumendum est, interpretationem vsualem verum eiusmodi legum vel pactorum determinare sensum. Quod hac ratione euinco. Et leges & pacta sensum habere debent (§. 18. obs. 22.). Sensus vero legis vel pacti non colligere possumus nisi ex voluntate legislatoris vel paciscentium, aut ex principiis hermeneutices, aut ex consuetudine. Si istud, interpretatio erit authentica, quae omnibus interpretationibus praeferranda (§. 3.); si illud, interpretatio erit doctrinalis, quae vsuali praeferranda (§. 10.). Si hoc, interpretatio erit vsualis (§. 7.). Manifestum itaque est,

est, praesumendum esse, ut interpretatio legum vel pactorum v'sualis, doctrinali atque authentica deficiente, verum eiusmodi legum vel pactorum determinet sensum.

OBSERVATIO XXV.

Ad §. 119.

DE

POENIS GENERATIM ET POENIS MORALIBVS SPECIATIM.

§. I.

Per *malum passionis* intelligimus, quod inuitis, per modum nimirum coactionis infligitur. Et per *malum actionis* doctores intelligunt legum violationes, ideoque actiones & commissivas & omissivas legibus repugnantes.

*Malum pas-
sionis &
actionis
quid?*

§. II.

Poena secundum GROTIUM *a)* est malum passionis, quod ob malum actionis infligitur, ideoque malum, quod per modum coactionis alicui ob legis violationem imponitur.

Poena quid?

a) I. B. & P. Lib. II. Cap. XX. §. 1. Conf. PUFENDORF in I. N. & G. Lib. VIII. Cap. III. §. IV.

§. III.

Quum poena sit malum passionis, quod ob malum actionis infligitur (§. 2.); manifestum est, a malo passionis ad poenam non valere consequentiam. Per multa enim sunt incommoda, quae mortales etiam inuiti patiuntur, non quia mala fecerunt, sed quia in determinato quodam viuunt statu. Sic ob morbum contagiosum v. gr. lepram aliamue impuritatem a coeterorum conuersatione Ebraei arcentur *a)*, ob corpus mutilatum a sacerdotio excluduntur *b)*. Et quae sunt reliqua. Eiusmodi incommoda, licet sint mala passio-

*A qua casus
distinguenti.*

nis, inter poenas tamen proprie sic dictas referri nequeunt, sed *casus* vocantur.

a) Lev. XIII. & XV.

b) Deut. XXIII.

§. IV.

Definitio illa vindicatur ab obiectione prima.

Quatuor sunt argumenta, quae definitioni, quam GROTIUS de poena dedit, opposuerunt doctores. Ad singula respondebo. *Primum* est hoc. Omnis poena sit malum passionis. Atqui aliquando poenae loco iniungitur actio, v. g. operae publicae, onus remos ducendi, fossas faciendi. Ergo non omnis poena est malum passionis. *Respondeo.* In eiusmodi actionibus ipsam actionem ab eo distinguere debemus, quod alicui per modum coactionis iniungantur. Actiones illae, quae tales, non sunt poenae, sed poenae naturam habet, ut quis facere debeat, a voluntate sua vehementer abhorrens. Hac vero ratione non sunt actiones, sed mala passionis (§. I.). Sic in eodem vallo extruendo idem opus faciunt civis & delinquens. Ille mercede conductus, neutiquam puniendus; hic ex delicto & sub ratione poenae. Illius ratione operae illae sunt actiones, minime vero poenae. Huius vero ratione sunt poenae, quia sunt mala passionis a).

a) vid. HOCHSTETTER. in Lib. singulari de iure poenarum §. II.

§. V.

Ab obiectione secunda.

Secundum est. Poena est malum passionis, quod infligitur ob malum actionis. Atque reparatio damni etiam est malum passionis, quod ob malum actionis infligitur. Reparatio vero damni non est poena. Ergo definitio illa est latior suo definito, quia poenam a reparatione damni non distinguit. Hanc ob causam TITIVS a) poenam definiuit, malum, quod ob delictum praeter damni reparationem delinquenti, ad illud excipiendum obligato, ad securitatem & utilitatem societatis humanae, ab Imperante, illique subordinatis Magistratibus, legitime imponitur. Respondeo. Concedo reparationem damni, quae per modum coactionis postulatur, esse malum passionis. Porro concedo reparationem damni a poena

a poena distinguendam esse. Nego tamen eiusmodi reparationem damni esse malum passionis, quod ob malum actionis seu legum violationem (§. I.) infligitur. Rem ita accipe. Illationem damni consideraturus duo distinguere debet, ipsam nimirum turbationem, & eam actionis qualitatem, qua est legis violatio. Qui turbatorem ad praestandum damnum cogit, malum huic infert, non eam ob actionis qualitatem, qua est legis violatio, sed eam ob qualitatem, qua est turbatio. Qui vero punit, mala delinquenti eam ob actionis qualitatem infert, qua ut violatio legis spectatur. Salua itaque ea definitione, quam GROTIUS de poena dedit, poena a reparatione damni potest distingui. Sed fortasse dixerit quispiam, eum, qui alterum turbat, leges violare, ideoque mala passionis ob turbationem inflictam, esse mala passionis, quae ob legis violationem inflictam sunt. Sed nego consequentiam. Aliud esse ei, qui legem violat, mala infligere, aliud, ei mala infligere ob legis violationem, vel ex effectu patet. Postulo per modum coactionis reparationem damni, & volo solum, ut mala, ex turbatione orta, cessent. Infero delinquenti ob legis violationem mala, & volo, ut inde arripiat motiua obseruandi leges. Et quae sunt reliqua.

a) in Iurispr. priu. Lib. I. Cap. XV. §. 2.

§. VI.

Tertium est. Mala, quae alicui ex iure defensionis inferuntur, sunt mala passionis, quae infliguntur ob mala actionis. Definitio itaque illa poenas a defensionibus non distinguit, ideoque latior est suo definito. Sed repete, quae §. 5. monita sunt, & responsio erit in promptu. Iure defensionis vtens aggressori infert mala non ob legis violationem, sed ob aggressionem, ideoque ad obtinendam securitatem. *Ab obiectio-
ne tertia.*

§. VII.

Quartam tandem est. Si definitio illa sit vera, nihil erit discriminis inter poenam & vindictam priuatam. Definitio- *Ab obiectio-
ne quarta.* ni itaque GROTII cum PUFENDORFIO a) addere debemus a superiore. Haec itaque erit definitio de poena, quae
se recte

se recte habet: *poena est malum passionis, seu molestam, quod per modum coactionis, & pro imperio, intuitu antegressi delicti, alicui imponitur.* Sed hocce additamentum definitionem a GROTIUS mea quidem sententia recte formatam reddit vitiosam. *Primo* enim ad quaestionem, quid sit poena? respondet per causam efficientem, quod regulis, quae logica de formandis definitionibus praescribit, repugnat. *Secundo* vindictam a poenis distinguit, quod tamen nec per principia nec per usum loquendi fieri potest. Estne, ut cum VELT-HVYSIO *b)* loquar, poena *vindicta noxae*? Potestne par in parem ius puniendi habere? Sed hoc probandum est.

a) in I. N. & G. Lib. VIII. Cap. III. §. IV.

b) in Tr. de poena diu. & hum. Conf. SELDENVS de Iure naturali & gentium Lib. I. Cap. IV. Edit. 1665. p. 57. ff.

§. VIII.

*An definitio-
ni Grotii
verba a su-
periore ad-
denda?*

Alia est quaestio: *quid sit poena?* & alia, *cui competat ius puniendi?* Huius responsio ex illius responsione, quam definitio de poena exhibet, inferri debet. Minus itaque recte se habebit definitio de poena, quae simul ad posteriorem respondet quaestionem. Definitio rei solum naturam explicare debet, non vero causam rei efficientem. Sic, qui ad quaestionem: *quid est virtus?* respondet virtutem esse qualitatem vis hac vel illa ratione adquisitam, recte a logicis taxatur. Causa enim rei efficiens in eiusmodi rei definitionem non debet ingredi. Quae cum ita sint, manifestum est, regulas, quas logica de formandis definitionibus praescribit, non permittere, ut definitioni, quam GROTIUS de poena dedit, addamus verba: *a superiore.* Ponamus porro, verba illa addenda esse: consequens erit, characterem, qui poenam a reliquis malis passionis, quae ob malum actionis infliguntur, distinguit, sumendum esse a causa efficiente. Sed quaenam est differentia, quae a causa efficiente sumitur? estne extrinseca seu relatiua? Quare, quum absoluta per relationes non sint definienda; iterum manifestum est, definitionem de poena vitiosam esse, quae causam poenae efficientem enumerat.

§. IX.

§. IX.

Id de prima quaestione sufficiat. Transeo ad alteram. *An An par in scilicet par in parem habere possit ius puniendi, seu, quod idem parem ha- est, an poena accurate loquendo non detur, nisi quae a supe- bere possit riore in inferiorem proficiscitur.* HOBBSIVS, PVEENDORF, ^{ius puniendi.} & qui sunt reliqui, ius puniendi partem imperii seu superioritatis esse, argumento, quod sequitur, corroborare voluerunt. *Quicumque alterum non potest obligare ad obedientiam, & qui alteri non potest leges praescribere, is ius puniendi non potest habere.* Enimvero qui non habet superioritatem imperii, is non potest alterum obligare ad obedientiam, nec alteri potest praescribere leges. *Ius itaque puniendi non est, nisi pars superioritatis imperii.* Sed primo, nego consequentiam maioris, & deinde, nego vniuersalitatem minoris. *Primum* hac ratione euinco: Qui aliquem ad obedientiam obligat, is talia cum actionibus alterius connectit consecretaria, quae faciunt, vt eius actionis opposita huic sub conditione euitandi mali sit impossibilis (§. 16. obs. 16.). Qui punit, is consecretaria illa, quae legis violatori constituta sunt, eiusmodi violatori irrogat (§. 2.). Porro, qui leges alicui praescribit, is regulas ponit, quibus quis conuenienter debet viuere (§. 2. obs. 19.). Qui vero punit, is mala, quae cum eiusmodi legis violatione connexa sunt, legis violatori infert (§. 2.). Quae cum ita sint, manifestum est, consequentiam maioris non recte se habere. *Aliisrum* patet ex iis, quae §. 17. ff. obs. 16. demonstrata atque monita sunt. Minus itaque accurate, ius puniendi non esse, nisi partem superioritatis, nimirum imperii, probatum est.

§. X.

Ius puniendi iis quoque posse competere, qui imperii supe- Respondatur rioritatem non habent, hac ratione euinco. Quicquid salua ^{affirmando.} morali hominum aequalitate locum habere potest, id quoque sine imperii superioritate potest concipi. Ius puniendi alicui potest competere salua manente morali hominum aequalitate. Ergo ex eo, quod alicui competat ius punien-

Kk

di,

di, vt superioritatem habeat imperii, inferri nequit. *Minor* patet ex ipsa moralis aequalitatis notione (§. 14. I. N.). *Minorem* hac ratione probo. Quicquid non inuoluit ius de actionibus alterius suo pro arbitrio disponendi, id locum habere potest, salua manente morali hominum aequalitate. Sed ius puniendi, qua tale, non inuoluit ius de actionibus alterius suo pro arbitrio disponendi. Ergo & ius puniendi locum habere potest salua manente morali hominum aequalitate. *Maior* iterum patet ex ipsa moralis aequalitatis notione. *Minor* manifesta est ex idea iuris puniendi. Quum enim ius puniendi solummodo sit ius alicui per modum coactionis ob legis violationem inferendi mala (§. 2.); sequitur, ius puniendi non inuoluere ius de actionibus alterius suo pro arbitrio disponendi, sed ius efficiendi, vt legum violator ea percipiat confectaria, quae ipsa natura sanaque ratio, aut pacta, & quae sunt reliqua, legum violationi constituit.

SCH. Idem corroborari potest per argumentationem a simili. Estne ius belli, ius postulandi praestationem damni, ius alicui per modum coactionis inferendi mala? Potestne eiusmodi ius sine superioritate imperii locum habere? & quaenam est huius ratio? haec sane est, quia eiusmodi ius non deducitur ex iure de actionibus alicuius suo pro arbitrio disponendi, sed eo ex principio naturali: *ius ad finem dat ius ad media sufficientia*. Eodem ex principio ius puniendi potest deduci. Ergo & inde patet, a iure puniendi ad superioritatem imperii non valere consequentiam.

§. XI.

*Quae respon-
sio a po-
steriori pro-
batur.*

Idem a posteriori potest corroborari. Notum enim est, antiquum fuisse ius poenas a fontibus sumendi, eiusmodique ius singulis fuisse concessum. Prouoco hic modo ad iudicium, quod iudicium *zeli* appellatum est, quo *DEVS* unicuique iudaeo permisit, vt supplicium possit sumere ab idololatra *a*). *Dicis b*): superiorem ius puniendi priuato posse demandare, ergo & *DEVM* potuisse priuatis demandare executionem poenae idololatri irrogatae, inde tamen non sequi, vt par in parem possit habere ius puniendi.

di. Sed concedo antecedens, nego vero consequentiam inde illatam. Id enim inde solum sequitur, ut nemini possit competere ius puniendi, cui illud iusta ex causa non sit concessum. Concedi vero potest ipsa natura, concedi potest & tacita & expressa Dei voluntate, concedi potest pacto, voluntate superioris, & quae sunt reliqua. *Pergis*, qui ius puniendi exercet ab altero sibi demandatum, eum non habere ius puniendi, sed ius puniendi, quod alteri competit, exercere. Sed respondeo: Hancce consequentiam non simpliciter veram esse, sed eius veritatem a modo concessionis dependere. Si enim sit simpliciter vera, consequens erit, neminem mortalium habere ius dominii. Quicquid enim habet iuris dominii, id non habet nisi a Deo concessum.

a) Deut. XIII. 9.

b) vid. HOCHSTETTER. Lib. sing. de iure poenarum Sect. II. §. II. n. b.

§. XII.

Definitione itaque, quam GROTIUS de poena dedit, *Poenae sunt* fatis, ut opinor, probata, inquiramus in poenae species, & *vel morales* quae inde sequuntur. Quum poena sit malum passionis, quod *vel physicae.* ob malum actionis seu legum violationem infligitur (§. 1. 2.); manifestum est, duos esse characteres, e quibus poenarum species inferendae. *Alter* est legum violatio, *alter* est causa efficiens, quae mala passionis legum violatori constituit. Quoad *primum* argumentor. Legum violatio aut est moralis aut non moralis seu physica. *Moralis*, quae ad libertatem potest referri. *Non-moralis*, quae ad libertatem referri nequit. Quae cum ita sint, manifestum est, *aliam* esse poenarum speciem, quae ob moralem legum violationem, *aliam*, quae ob legum violationem sed non-moralem infliguntur. Illius speciei poenae vocantur *poenae morales*, huius vero, *poenae non-morales* seu *physicae*. Poenae simpliciter positae significant *morales*. a)

SCH. Ponamus furiosum violare legem, huicque mala passionis ob legum violationem inferri. Eiusmodi legum violatio non

erit moralis, & mala illa passionis erunt poenae non-morales seu physicae.

a) vid. SELDENVM de Iure naturali & gentium. Lib. I. Cap. IV. Edit. 1665. p. 57. f.

§. XIII.

*An morbi
sint poenae.*

Potest inde constitui de quaestione in controuersiam vocata: *an morbi sint poenae?* Hanc ad quaestionem, mea quidem sententia, nec vniuersaliter affirmando, nec vniuersaliter negando possumus respondere. Sed causa, ob quam eiusmodi mala infliguntur, spectari debet. Si causa haec sit legum violatio, erunt poenae, si vero non sit legum violatio, erunt casus (§. 3.). Si sint poenae, iterum inquirere debemus in qualitatem legum violationis, ob quam infliguntur. Haec si sit moralis, morbi erunt poenae morales, si vero sit non-moralis seu physica, morbi erunt poenae non-morales seu physicae (§. 12.). vid. §. 4.

§. XIV.

*Poenae porro
sunt vel na-
turales vel
arbitrariae.*

Quoad alterum, quem §. 12. posui, characterem argumentor: causa efficiens, quae mala passionis legum violatori constituit, aut est ipsa actionis, de qua sermo est, natura seu essentia, aut cuiusdam voluntas. Si illud, *poenae* vocantur *naturales*, & si hoc, *arbitrarie*, ab aliis *positivae*. Voluntas haec aut est voluntas paciscentium, aut voluntas superioris. Si illud, *poenae arbitrarie* vocantur *conventionales*, & si hoc, simpliciter *positivae*.

§. XV.

*Naturales
sunt vel in-
ternae vel
externae.*

Si ipsa natura legum violatoribus mala constituat passionis, aut ipsa quoque natura eiusmodi mala legum violatoribus infert, aut causa quaedam externa concurrere debet, cuius ope mala illa ipsa natura constituta legum violatoribus inferuntur. Priori ratione *poenae naturales* vocantur *internae*, & posteriori ratione *externae*.

SCH. Sic v. g. destructio ante tempus est malum passionis, quod ipsa natura non ei solum, qui a luxu non abstinet, constituit,

stituit, sed & infert. Ideoque est poena naturalis interna. Poenam porro socium quendam non contra scopum solum societatis agere, sed & reliquos socios maxime turbare, natura quidem huic exclusionem poenae loco constituit, sed malum hocce passiois non infert. Causa quaedam externa concurrere debet, quae imperium naturae exsequitur. Poena itaque illa naturalis quidem est, sed externa.

§. XVI.

Poenae naturalis intrinsecam actionum malitiam, & poenae naturales morales intrinsecam actionum moralitatem demonstrant. Quum enim poenae naturales sint mala consecutaria, quorum ratio efficiens est ipsa actionis constitutio (§. 14.), eiusmodi vero consecutaria intrinsecam actionis malitiam demonstrant (§. 8. obs. 13.); sequitur, poenas naturales intrinsecam actionum malitiam demonstrare. Q. e. p.

Quum porro poenae naturales morales sint mala moralis legum violationis consecutaria, quorum ratio efficiens est ipsa actionis, qua moralis, constitutio (§. 12. 14.): eiusmodi vero consecutaria intrinsecam actionum moralitatem constituent (§. 7. obs. 14.); manifestum est, poenas naturales morales intrinsecam actionis moralitatem demonstrare. Q. e. a.

SCH. Quae itaque de intrinseca actionum malitia obs. 13. & de intrinseca actionum moralitate obs. 14. demonstrata sunt, hic quoque possunt adcommodari. Conferantur quoque ea, quae obs. 17. de obligatione naturali cogente, & obs. 19. de legibus formaliter naturalibus sunt evoluta.

§. XVII.

Porro ex §. 15. colligimus primo: ex eo, quod ipsa natura poenas determinatas legum violatori non infligat, non inferendum esse, naturam legum violatori eiusmodi poenas non constituisse. Porro naturam alicui posse concedere ius legum violatori determinatas quasdam inferendi poenas, licet huic non competat ius eiusmodi poenas determinandi, sed a naturam determinatae sint.

SCH. Plura de his infra in observationibus ad caput de quantitate moralitatis.

§. XVIII.

Poenae sunt
vel iustae
vel iniustae.

Addamus quaedam de poenarum finibus a). Huius causa primo distinguo poenas in tales, quae secundum legem iustitiae constitutae sunt, & tales, quae secundum eiusmodi legem non sunt constitutae. Notum est ex §. 229. I. N. iustitiam esse benignitatem pro sapientia administratam. Quicquid itaque secundum legem iustitiae ponitur, id ad remouendas imperfectiones ducit, quantum eius pro circumstantiis potest fieri. Ex quo patet, poenas, secundum legem iustitiae constitutas, esse mala passionis, quae legum violatori ea ex ratione constituuntur, quo imperfectiones, quantum pro circumstantiis fieri potest, remoueri possint. E contrario poenas, secundum legem iustitiae non constitutas, esse mala passionis, quae legum violatoribus constituuntur quidem, ad remouendas tamen imperfectiones, quantum pro circumstantiis fieri potest, non ducunt. Illius generis poenae, quia secundum legem iustitiae sunt constitutae, vocantur *iustae*, huius vero generis poenae, quia secundum legem iustitiae non constitutae sunt, vocantur *iniustae*.

a) Conf. meine philosophischen Nebenstunden die 2te Sammlung die 4te Abhandlung.

§. XIX.

Iniustae tales
sunt vel in
excessu vel
in defectu.

Quum poenae ea ex ratione sint iniustae, quia sunt mala passionis, quae ad remouendas imperfectiones, quantum pro circumstantiis fieri potest, non ducunt (§. 18.): quum porro hoc & ea ex ratione fieri possit, quia eiusmodi mala passionis maiora inuoluunt mala, quam quae ad imperfectiones remouendas necessaria, & ea ex ratione, quia minora sunt mala, quam quae ad remouendas imperfectiones, quantum pro circumstantiis fieri potest, requiruntur; sequitur, duo poenarum iniustarum ponenda esse genera. Illae sunt *poenae iniustae in excessu*: hae *poenae iniustae in defectu*.

SCH.

SCH. Qui itaque poenas in defectu iniustas constituit, benignitæ abutitur.

§. XIX.

Poenae naturales non sunt iniustae in excessu, fieri tamen potest, ut in defectu sint iniustae. Poenae naturales quando sint iniustae & quando iniustae esse possunt. Primum hac ratione evinco: Quicquid ipsa rei natura constituitur, id, quantum pro circumstantiis fieri potest, ducit solum ad remouendas imperfectiones, & augendas perfectiones. Poenae naturales ipsa rei natura constituuntur (§. 14.). Poenae itaque naturales non maiora inuoluunt mala, quam quae ad remouendas imperfectiones pro circumstantiis sunt necessaria. Enimuero eiusmodi poenae in excessu non sunt iniustae (§. 19.). Poenae itaque naturales in eas, quae in excessu iniustae sunt, referri nequeunt. Q. e. p.

Alterum argumentatione, quae sequitur, corroboro. Ex ipsa poenae naturalis notione manifestum est, eiusmodi poenas esse obligationes naturales cogentes (§. 2. obs. 17. §. 7. obs. 16. & 14. h. obs.). Obligationes naturales non semper satis esse, ad nos, vt legibus naturalibus conuenienter viuamus, ducendos, ipsa corroborat experientia. Manifestum itaque est, fieri posse, vt poenae naturales minora inuoluant mala passionis, quam quorum irrogatio ad imperfectiones, quantum pro circumstantiis fieri potest, remouendas necessaria. Enimuero eiusmodi poenae in defectu sunt iniustae (§. 19.). Clarum itaque est, ex eo, quod poenae sint naturales, non sequi, vt in defectu non sint iniustae. Q. e. a.

§. XXI.

Ex quo simul intelligimus, quomodo necesse sit, vt poenae arbitrarie actionibus nostris constituerentur, si poenae legum violatoribus irrogandae essent omnimode iustae. Considerandum. Necesse nimirum erit, si poenae naturales in defectu essent iniustae (§. 16. obs. 19. & §. 19. h. obs.). Conf. §. 16. obs. 21.

§. XXII.

§. XXII.

*Ex ultione
punire quid?*

Finis poenae sola est ultio, ad quam irrogandam sola cupiditate ex delinquentis dolore voluptatem percipiendi ducimur.

§. XXIII.

quod iniustum est.

Poenae, cuius finis sola est ultio, inter iniustas referri debet. Quum enim poena, quae non infligitur, ad imperfectiones, quantum pro circumstantiis fieri potest, remouendas, sit iniusta (§. 18.); sequitur, ut ea poena sit iniusta, quae solum ad voluptatem ex delinquentis dolore percipiendam irrogatur. Sed poena, cuius finis sola est ultio, irrogatur solum ad voluptatem ex delinquentis dolore percipiendam (§. 22.). Eiusmodi itaque poena inter iniustas debet referri.

SCH. Hinc *SENECA* *o*): ad vindictam veniendum, non quasi dulce sit vindicare, sed quasi vtile.

o) Lib. II. de ira Cap. XXXII. Conf. *GROTIUS*. *l.c.* Lib. II. Cap. XX §. IV. n. 3.

§. XXIV.

*Obiectio &
responsio.*

Quaecunque, *dicunt dissentientes*, cupiditas est stimulus naturalis homini cum bestiis communis, ea non mala vel iniusta esse potest. Sed cupiditas ex delinquentis dolore voluptatem percipiendi est stimulus naturalis homini cum bestiis communis. Eiusmodi itaque cupiditas non mala vel iniusta esse potest. Minorem inde probant, quia eiusmodi cupiditas adeo per se caret ratione, ut saepe in sensu carentia feratur, ut in lapidem, quo ictus est canis. Sed respondeo: appetitum, qui fertur in lapidem, quo ictus est canis, non esse cupiditatem ex delinquentis dolore percipiendi voluptatem, sed conatum, qui animalia ad remouendas turbationes ducit, ideoque minorem non esse probatam. Conatum, qui animalia ad remouendas turbationes ducit, esse stimulum naturalem, ideoque non malum vel iniustum concedo,

cedo, in cupiditate vero illa nullum est bonum nisi falsum & imaginarium a).

a) GROTIUS l. c. §. 5.

§. XXV.

Poenae iustae finem esse verae perfectionis promotionem, hac ratione evinco: Qui imperfectiones, quantum fieri potest, remouere cupit, is eum in finem agit, vt vera promoueri possit perfectio. Enimuero poenae iustae finis est, imperfectiones, quantum fieri potest, remouere (§. 18.). Verae itaque perfectionis promotionem finem iustae vocare debemus poenae. Finis poenae iustae definitur.

§. XXVI.

Sequitur inde, cuiuscunque poenae iuste illatae finem esse satisfactionem iustitiae. Quum enim iustitia sit benignitas pro sapientia administrata (§. 229. I. N.); manifestum est, veras, quantum fieri potest, perfectiones promouere, idem esse, ac iustitiae satisfacere (§. cit.). Enimuero finis poenae iuste illatae est verae perfectionis, quantum fieri potest, promotio (§. 25.). Poenae itaque iuste illatae finis est satisfactio iustitiae. Consequenter.

§. XXVII.

Nec difficile iam erit demonstrare: tres esse poenarum species, quae ex genuino poenarum, quae iustae sunt, fine fluunt, *ἠθροσίαν* seu emendationem, *κόλασιν* seu exemplum, & *τιμωρίαν* seu satisfactionem a). Species poenarum inde inferuntur. Quum enim genuinus poenarum, quae iustae vocari merentur, finis sit, vt perfectio, quantum pro circumstantiis, quae obueniunt, fieri potest, promoueat (§. 25.); sequitur, genuinum eiusmodi poenarum finem esse, aut vt perfectio eius, qui peccauit, promoueat, id est. vt is, qui peccauit, corrigatur & melior fiat; aut vt alii peccare caueant; aut vt in posterum laesis praestetur securitas. Si illud, poenae emendationis causa, si illud, exempli causa, & si hoc, satisfactionis causa infliguntur.

SCH. Addunt non-nulli *b)* quartum finem, nempe ut malus e medio tollatur. Sed accedo ad sententiam *TESMARI c)*, ut nimirum haecce poena, si sit iusta, inter eas sit, quae satisfactionis causa infliguntur, inferenda.

a) vid. *GROTIUS* l.c. Lib. II. Cap. XX. §. VI. VII.

b) conf. *ANT. MATTHAEVS* de Crim. tit. quibus modis crim. extinguuntur.

c) in notis ad *GROTIUM*, l.c. §. VI. n. a.

§. XXVIII.

Confessarium.

Patet inde, eiusmodi poenarum differentiam non a malis passionis, quae infliguntur, sed a fine, ob quem infliguntur, dependere. Ideoque fieri posse, ut vnum idemque malum passionis, quod poenae loco infligitur, sit poena emendationis, exempli & satisfactionis causa illata.

SCH. De poenarum subordinatione, de modo determinandi poenarum quantitatem, & de poenarum abusu infra in observationibus ad caput de moralitatis quantitate dicturi sumus.

§. XXIX.

Emendatio est vel moralis vel civilis.

Emendationem Philosophi diuidunt in *moralem* & *ciuilem*. *Illa* est, quae ipsam mentem corrigit, ideoque veram excitat virtutem. *Haec*, quae actus tantum prauos externos impedit.

§. XXX.

Illa ex poenis non est speranda, sed solum haec.

Poenae, quae emendationis causa infliguntur, emendationem moralem efficere nequeunt, sed solum ciuilem. Euoluas ea, quae de acquisitione virtutis in philosophia morali demonstrata sunt, & facile perspicias, hominem virtute praeditum fieri non posse, qui sibi non acquisiuit distinctam boni & mali cognitionem, & spontaneitatem, quae intrinsece magis ad bonum quam ad malum inclinata est. Enimvero eiusmodi perfectionum acquisitiones poenas non posse efficere ex ipsa poenarum notione patet. Emendatio itaque moralis ex poenis non est speranda (§. 29.). Q. e. p.

Poenas

Poenas vero iuste illatas emendationem ciuilem posse efficere, hac ratione euinco : Quicquid mortalem ducere potest, vt consuetudini peccandi sibi acquisitae contraria agat, id quoque est medium peccatorem ciuilitate emendandi (§. 29.). Enimvero dolor, quem ex poenis iuste illatis sentit peccator, ducere potest peccatorem, vt consuetudini peccandi sibi acquisitae contraria agat (quod non ex experientia solum, sed & ex iis patet, quae in philosophia morali de rationibus, quibus homines ad agendum ducuntur, demonstrata sunt). Ergo & poenae iuste illatae inter media ciuilitate emendandi referri possunt. Q. e. a.

§. XXXI.

Poenae, quae emendationis causa irrogatur, usque ad mortem non potest porrigi. Quum enim rationi repugnet, alicui media emendandi ponere, cui nulla est occasio malefacta contrariis actionibus emendandi: mortuo vero eiusmodi occasio non fit; manifestum est, rationi quoque repugnare, poenam ad emendationem comparatam usque ad mortem porrigere. Terminus eiusmodi poenae definitur.

SCH. Addit GROTIUS a) limitationem: nisi eo modo, quem reduciuum vocant, quo negationes reducuntur ad rerum oppositarum genera. Nam sicut CHRISTVS dixit b) melius quibusdam futurum fuisse, id est, non tam male, si nati nunquam essent, ita ingeniis insanabilibus melius est, id est, minus est malum, emori quam viuere, quando certum est viuendo peiores euasuros. Sed quid limitatio, quae ad rem nil facit? Thesis nostra salua manet. Quaestio enim non ponitur de eo, an melius sit delinquentem morte quam alia quadam ratione punire; sed an poena, quae emendationis causa irrogatur, ad mortem possit pertinere?

a) l. c. Lib. II. Cap. XX. §. VII. n. 3.

b) Marc. XIV. 21.

OBSERVATIO XXVI.

Ad §. 121.

DE

IVRE NATURALI PERMISSIVO.

§. I.

Ratio insi-
anti.

Inter celeberrimas quaestiones, quae a iuris naturalis doctores in controuersiam vocatae sunt, haud postremum sibi vindicat locum ea, quae de *iure naturali permissivo* ponitur, quam paullo accuratius euoluere decreuimus atque enodare. Hunc in finem *primo* inquiramus in notionem iuris naturalis permissivi: *deinde* in argumenta eorum, qui eiusmodi ius defendunt: *porro* in argumenta eorum, qui eiusmodi iuris existentiam negant: & *tandem* meam hac de re sententiam delineaturus sum.

§. II.

Ius naturale
permissivum
quid?

Qui ius naturale in *permissivum ac praecipitium* diuidunt, per *hoc* intelligunt ius naturale, quatenus obligat, per *illud* vero ius naturale, quod neque praecipit, neque vetat, ideoque non obligat *a*).

a) vid. GROTIUM I. B. & P. Lib. I. Cap. I. §. IX. n. 1. & §. X. n. 3.
PUFENDORF I. N. & G. Lib. I. Cap. VI. §. XV. III. GLAFEY
Natur und Völkcr-Recht. Lib. I. Cap. II. §. 62.

§. III.

Argumenta
quibus huius
existentia a
non-nullis
probatnr.

Argumenta, quibus eiusmodi iuris naturalis existentiam corroborare voluerunt, potissima sunt, quae sequuntur. *Primum*, MODESTINVS *a*) monuit, quatuor esse legum virtutes, imperare, vetare, permittere, punire. Ergo & concipiendum est ius naturae, quod nec praecipit nec vetat nec punit sed permittit. Concipi itaque potest ius naturae permissivum. *Alterum*. Permulta sunt, quae homo facere potest, iure naturali nec praecepta nec vetita. v. g. contrahere, res nullius occupare, de rebus suis disponere. Ergo datur ius naturae permissivum. *Tertium*. Tertius ipsa

ipsa natura obligatus est, ne impedimentum nobis ponat, si, quod lege naturali permissum est, velimus exercere. Ipsa itaque naturalis permissio obligat. Ergo est ius proprie sic dictum. *Quartum*. Datur ius civile permissuum, v.gr. quod vsuras intra certum duntaxat modum permittit, cur non ius naturale permissuum?

a) L. 7. D. de LL.

§. IV.

Dissentientes *primo* ad argumenta illa respondent, & *Responsiones deinde* sententiam contrariam corroborant. Quoad *primum dissentienti-argumentum* negant, permittere esse virtutem legis. Lex enim obligat, ergo aut praecipit aut vetat. Quicquid itaque nec praeceptum nec vetitum, id inter legis virtutes non est referendum. Quoad *argumentum secundum*, negant consequentiam. Quoad *tertium* negant, obligationem illam resultare ex permissione, sed ex iure praeceptiuo, *neminem laedas*. Quoad *quartum* negant, illa ex permissione sequi, vt detur ius civile permissuum, sed id inde solum sequi, vt naturalis illa libertas a legibus civilibus non omnimode sit restricta.

§. V.

Argumentationes, quibus contrariam corroborare voluerunt sententiam dissentientes potissimae sunt hae: *prima argumenta*. Ius permissuum est contradictio in adiecto. Ius enim obligat, in permissione vero nulla est obligatio. Ergo non datur ius permissuum, ideoque nec ius naturale permissuum. *Alter*. Omnes actiones nostrae aut sunt intrinsece bonae vel malae. Ergo iure naturali aut praeceptae aut vetitae. Ergo non datur ius naturale permissuum. Et quae sunt reliqua.

SCH. Operae pretium est, dare hoc loco verba Ill. GLAFEV ipsa ex §. 62. loci in §. 2. citati: „Es haben aber verschiedne, „inquit, wider dieses ius permissuum einwenden wollen, daß, „wenn dasselbige nur alsdenn statt finden sollte, wenn das ius na-

„tutae nichts gebiethe oder verbiethe, das ist, aufhöre zu disponiren, solche eine pur lautre Contradiction inuoluiren würde, angesehen dasienige unter ein Recht oder Geseze keinesweges gerechnet werden könne, worauf sich dergleichen Recht oder Geseze weder Ge. noch Verbothsweise erstrecke. Denn da würde es eine sehr schlechte Antwort seyn, wenn jemand auf die Frage, ob etwas vernünftigen Rechts sey, mit Ja antworten, und doch dasselbige dergestalt ausdrücken wollte, daß das vernünftige Recht selbiges weder gebiethe noch verbiethe. Es würde eben herauskommen, als wenn mich einer fragte, ob Wien dem Könige in Frankreich gehöre, oder ob es iuris Gallici sey, und ich wollte mit Ja antworten, gleichwohl aber zur Ursache angeben, daß der König in Frankreich über Wien nichts zu gebietzen oder verbietzen habe.

§. VI.

*Significatio-
nes nominis
iuris per-
missivi di-
stinguuntur.*

Haec de aliorum sententiis sufficiant. Transeo ad meae delineationem. Causa huius controuersiae, mea quidem sententia, est ambiguitas nominis *iuris*. Monui *observatione secunda*, nomen iuris & subiectiue & obiectiue sumi. Ius subiectiue sumtum significat facultatem seu libertatem ea, quae sibi bona sunt, agendi, & ius obiectiue sumtum idem significat, quod lex, seu propositio, ad cuius praescriptum actiones instituere debemus (§. 6. obs. cit.). His praemissis patet, *ius naturale permissiuum* aut significare legem naturalem quae nec praecipit nec vetat: aut facultatem seu libertatem moralem ea agendi vel non agendi, quae leges naturales nec praecipunt nec vetant, seu quae legibus naturalibus non determinata quidem sunt, eiusmodi tamen legibus non repugnant.

§. VII.

*Ius nat. per-
missiuum
priori signifi-
catione accep-
tum reici-
tur.*

Ius naturale permissiuum priori significatione acceptum inuoluit contradictionem, hac ratione euinco. Lex proprie dicta aut ad faciendum aut ad omittendum obligat, ideoque aut praecipit aut vetat (§. 3. obs. 18.). Haec itaque enunciatio: *datur lex, quae nec praecipit nec vetat*, inuoluit contradi-

traditionem. Si ergo ius naturale permissivum significet legem naturalem, quae nec praecipit nec vetat, ius naturale permissivum erit nullum.

§. VIII.

Dicis: vbi est effectus legis, ibi est lex. Permittere est effectus legis, vbi ergo sunt permissiones, ibi sunt leges, quae permittunt. Datur ergo ius permissivum priori significatione acceptum. *Respondeo.* Permittere non est effectus legis, sed effectus eius, quod nulla adsit lex, quae nec praecipit nec vetat. Sensus itaque enunciationis: *Leges, ut hoc faciamus, permittunt*, hic est. Nullae adsunt leges, quae actionem, de qua sermo est, aut praecipiant aut vetant, ideoque nostra a libertate dependet, vtrum idem facere an omittere velimus.

*Respondetur
obiectioni.*

§. IX.

Ius naturale permissivum posteriori significatione acceptum inter ea refero, quae non concipi solum possunt, sed & actu sunt. Quum enim permultae sint actiones humanae secundum naturam obiective indifferentes (§. 14. obs. 15.); sequitur, permultas esse actiones humanas, quas leges naturales nec faciendas nec omittendas praescribunt (§. 43. ff. obs. 19.). Facultas ea agendi vel non agendi quae legibus non repugnant, vocatur facultas seu libertas moralis. In foro itaque naturali nobis competit facultas seu libertas moralis permulta agendi vel omittendi, quae legibus naturalibus nec praecepta nec vetita sunt. vid. §. 15. obs. 15. Adeorum ergo accedere debemus sententiam, qui ius naturale permissivum ea defendunt ratione, qua nomen iuris sumitur subiective; & ius naturale permissivum significat facultatem seu libertatem moralem ea agendi aut omittendi, quae leges naturales nec praecipiant nec vetant.

Ius nat. permiss. posteriori significatione acceptum defenditur.

SCH. Eo sensu iuris naturalis permissivi est, res nullius occupare, contrahere, de rebus suis disponere. Quum enim leges naturales eiusmodi actiones nec praecipiant nec vetent; nobis per naturam competit facultas moralis res nullius occupandi,

con-

contrahendi & de bonis nostris disponendi. Et quae sunt reliqua.

§. X.

Sententia
Cocceii

MAGNUS HENRICVS de COCCII defendit ius naturale permissuum. Sed rem accuratius euoluturus facile perspiciet, magni huius Doctoris sententiam cum mea congruere. Sic enim ille: a) „permissio est pars legis, eiusque actio. „Dum enim lege naturali prohibetur, ne ius aliis naturali „ratione quaesitum auferatur; dum, inquam, praecipitur, „vt ius suum cuique tribuatur, necessario sequitur ius ha- „bendi vel agendi lege permissum esse eis, quibus id absque „iniuria auferri nequit. At inde non propria species *iuris* „*permissui* efficitur, sed permissio illa, id est, facultas agendi „lege adprobata est obiectum legis; cuius effectus est, vt „alii ius hoc, ex permissione & concessione diuina cuique „quaesitum, tribuere teneantur. Duo hic distinguenda sunt, „*subiectum*, quod legibus naturalibus obligatur ad neminem in eo turbandum, quod ad *se* suum pertinet; & „*subiectum*, quod per naturam habet ius seu facultatem moralem ea sua pro voluntate agendi vel non agendi, quae legibus naturalibus nec praecepta nec vetita sunt. *Illius* ratione non adest ius naturae permissuum sed praeceptuum, quia obligatur. *Huius* vero ratione adest ius naturale permissuum. *Illi* leges facienda praescribunt. *Huius* vero, qua talis, ratione nullae adsunt leges. Quae quum ita sint, manifestum est, Per-III. de COCCII ius naturale permissuum, quod defendit, non priori sed posteriori sumere significatione, quam §. 6. posui, ideoque huic ea, quae a me probata sunt, non repugnare.

a) In Comment. ad GROTII I. B. & P. Lib. I. Cap. I. §. IX. Addit. ad n. I.

§. XI.

aliquo Glafey exponitur.

Porro in ea sum sententia, dogmata, quae de iure naturali permissiuo corroborauit, non repugnare iis, quae hac de re ab Ill. GLAFEY iuris naturalis permissui defensore solidissime sunt euoluta. Sic enim ille: a) „*Allein alles dieses, „quod*

„quod nimirum sententiae de iure naturali permissiuo op-
 „ponitur, erweist in der That nichts mehr, als daß das Wort
 „ius naturae permissiuum nicht stehen bleiben, und dem prae-
 „ceptiuo nicht wohl entgegen gesetzt werden könne, indem eben
 „der lex praecipiens auch der permittens ist. Die Sache selbst
 „stet aber wirft es nicht über den Hauffen: sientemahl das Still-
 „schweigen des vernünftigen Rechts, oder die Zulassung desselben
 „die Wirkung hat, daß ein anderer an einer Verrichtung, welche
 „das ius naturae nur weder gebothen noch verbothen, sondern mei-
 „nem freyen Belieben überlassen hat, mich nicht hindern darf. Z. E.
 „die Freyheit ist eine von Natur mir angebohrne Eigenschaft, an
 „deren freyen Gebrauch mir ein anderer, so lange ich ihm dieselbe
 „ge nicht verkauft, oder sonst damit unterwürfig worden bin, kei-
 „nesweges hinderlich fallen darf. Noch ein deutlicher Exempel
 „zu geben, so ist die Fischzeit iure naturae nicht vorgeschrieben,
 „sondern frey gelassen, ob ich um 12. oder um 11. Uhr will decken las-
 „sen. Daher hat ein anderer, unter dessen Ge- und Verboth ich
 „hierinnen nicht stehe, schlechterdings kein Befugniß, mich davon
 „zu verhindern, oder mir darinn vorzuschreiben. Woraus so viel
 „erhellet, daß dasjenige, was das Geseze der Vernunft nicht ge-
 „biethet, und auch von andern Gesezen nicht verbothen ist, mir
 „bey andern ein Recht machet, ne me in libero eiusmodi actus
 „exercitio turbent. Wie nun dergleichen Recht mir von dem
 „Geseze der Vernunft eingeräumet wird, und von daher seinen
 „Ursprung nimmt: Also kan es zwar in Ansehen dessen wohl
 „ius naturae permissiuum heißen, es ist aber alsdenn das ius
 „naturae praeceptiuum mit diesem kein equiuocum mehr, weil
 „hier bey dem praeceptiuo das Wort ius einen complexum le-
 „gum naturalium, bey dem permissiuo aber eine facultatem
 „bedeutet. Et quae sunt reliqua.

a) l. c. §. 63. Conf. Per-III. L. B. de WOLF Phil. pract. vniuers. P. I.
 §. 165. 169.

§. XII.

Transeo cetera, quae ex dictis satis ab vnoquoque intelli- *Inde scite*
 gi possunt. Vnicum modo addam consuetarium, & deinde *diuisio iuris*
 ad ea, quae in contrarium adduci possunt, respondebo. *naturalis in*
permissiuum

Mm

Quum

*Et necessi-
tatis,*

Quum detur ius naturale permissivum, quod est facultas seu libertas moralis ea sua pro voluntate agendi vel omittendi, quae legibus naturalibus nec praecepta nec vetita sunt (§.9.); manifestum est, duo iuris naturalis subiectivae summi genera concipienda esse, quae ea, quae sequitur ratione, definienda. *Ius naturale subiectivae sumtum* est facultas seu libertas naturalis ea agendi, quae legibus naturalibus non repugnant. Quicquid legibus naturalibus non repugnat, id legibus naturalibus faciendum vel omittendum praescriptum est, aut nec inter ea, quae legibus naturalibus praecepta, nec inter ea, quae legibus naturalibus prohibita sunt, referri potest. Quare, quum ius naturale subiectivae sumtum, quod se ad posterius refert, *iuris naturalis permissivi* acceperit nomen; ius naturale subiectivae sumtum, quod se ad prius refert, *ius naturale necessitans* cum Ill. MASCOVIO a) vocari poterit.

SCH. Sic *pacta servare* est iuris naturalis necessitantis, licet pacta inire, sit iuris naturalis permissivi.

a) in not. ad PUFENDORPII I. N. & G. Lib. I. Cap. VI. §. XV. n. 2.

§. XIII.

*Resolutio
dubii primi,*

Sequuntur responsiones ad argumenta, quae in contrarium adduci possunt. *Primum* sit hoc: Omnes actiones humanae sunt vel intrinsece bonae vel intrinsece malae. Ergo leges naturales vel praeceptae vel prohibitae. Ergo ius illud naturale permissivum est nullum. Respondeo. Omnes actiones humanas aut intrinsece bonas aut intrinsece malas esse, concedo (§.9. obf. 13.). Nego vero inde sequi, omnes actiones humanas legibus naturalibus aut praeceptas aut prohibitas esse. Verum quidem est, omnes actiones humanas intrinsece malas legibus naturalibus prohibitas esse (§.43. obf. 19.). Sed inde non sequitur, ut omnes actiones intrinsece bonae legibus naturalibus sint praeceptae. E contrario, quia ex eo, quod actiones humanae intrinsece bonae vel malae sint, non sequitur, ut indifferentia actionum humanarum obiectiva poni nequeat (§. 10. obf. 15.), manifestum est, leges naturales eas solum actiones intrinsece bonas faciendas praescri-

scribere, quae secundum naturam non sunt obiectiue indifferentes (§. 44. obl. 19.).

§. XIV.

Secundum sit: In quocunque foro non sunt permiffa, ^{secundum} in eo quoque foro nullum datur ius permiffium. Sed in foro naturali non sunt permiffa (§. 139. I. N.). Ergo & nullum datur ius naturale permiffium. Respondeo. Concedo maiorem, nego vero propositionem minorem. Loco quidem citato eandem posui, velim tamen, vt ea restringatur ratione, qua per demonstrationem, qua corroborata est, fieri debet. Hic enim sit illius propositionis sensus: Actiones intrinsece malae in foro naturali non sunt permiffae, & actiones intrinsece bonae in foro naturali inter actiones, quae permiffae sunt, alia non referri possunt ratione, quam qua obiectiue sunt indifferentes.

§. XV.

Tertium sit hoc: Omne ius naturale subiectiue sum- ^{tertium} tum descendit ex obligatione (§. 152. I. N.). Qui itaque id agit, ad quod agendum habet ius naturale, is agit, ad quod agendum obligatus est. In foro itaque naturali non datur ius permiffium (§. 6.). Respondeo. Nego consequentiam. Rationem huius infra in obseruatione ad §. 152. I. N. enodabo.

§. XVI.

Quartum sit: Priuilegia sunt leges, licet non priuilegiatos obligent, sed alios, ne illos in exercitio priuilegii sui turbent. Sunt itaque leges permittentes. Ergo & ius naturale permiffium ea ratione concipi potest, qua ius idem significat, quod lex. Respondeo. Priuilegia spectari possunt & in relatione ad priuilegiatos & in relatione ad alios. In relatione ad priuilegiatos non sunt leges sed beneficia; quibus priuilegiatis conceditur vsus libertatis naturalis. In relatione ad alios sunt leges, non vero permittentes sed obligantes,

gantes, quia hocce obligant, ne privilegiatis concessum libertatis naturalis exercitium turbent. Sed de his pro scopo factis.

OBSERVATIO XXVII.

Ad §. 124.

DE

DISPENSATIONE.

§. I.

*Dispensatio
quid?*

Is ad legi conuenienter viuendum obligatus est, qui legem sine periculo percipiendi poenam cum eiusmodi legis violatione connexam violare nequit. *Liberatur* itaque ab eiusmodi obligatione, cui conceditur facultas legem sine periculo percipiendi poenam cum legis violatione connexam violandi. Eiusmodi liberatio vocatur *dispensatio*.

SCH. Notandum est, hanc definitionem eam, quam §. 124. de dispensatione dedi, non mutare, sed magis euoluere. Qui enim legem intuitu certae cuiusdam personae derogat, is eandem personam ab obligatione liberat & v. v. Quae ex causa dicitur a), *dispensare idem esse, ac indicare actionem quandam a lege quidem praecipere aut vetari, sed certas ob causas permittere, ut subiectus hic aut ille recedere ab ea possit.*

a) B. LEHMANNVS in I.N. & G. Sect. I. §. IX. not. IV. Conf. P. VENDORF de I.N. & G. Lib. I. Cap. VI. §. XVII.

§. II.

Consequenter.

Colligimus inde *primo*: dispensationem ea ratione non habere locum, qua impossibile est, vt periculum percipiendi poenam cum legis violatione connexam cesset. *Secundo* ei solum competere ius dispensandi, qui habet ius periculum illud remouendi. *Tertio*. Eo in casu non opus esse dispensatione, in quo lex non obligat.

§. III.

§. III.

Ex primo porro colligimus, *ratione legis naturalis, qua dispensatio talis, locum non habere dispensationem.* Qua enim ratione *locum non violatio legis, sine periculo percipiendi poenam cum legis habet ratio violatione connexam, omnimode impossibilis est, ea quoque ratione dispensatio locum non potest habere (§. 2.).* Sed *ne legis naturalis.* ea ratione, qua leges sunt naturales, violatio legis sine periculo percipiendi poenam cum legis violatione connexam omnimode impossibilis est (§. 62. obf. 19. §. 2. obf. 25.). Ergo & ratione legis naturalis, qua talis, locum non habet dispensatio.

§. IV.

Quicquid omnimode impossibile est, id etiam per *Ergo ut a DEVM* fieri non potest (§. 113. Th. nat.). Hinc patet, *DEVM* a legibus naturalibus, qua talibus, non posse dispensare (§. 3.), id est, *DEVM* non posse permittere, ut homines a legibus naturalibus possint recedere (§. 1.).

§. V.

Dicitur Si *DEVS* a lege naturali non potest dispensare, *Responsio ad sequitur DEVM* non esse omnipotentem, & *DEVM* non esse *obiectionem* legum naturalium legislatorem. Sed quoad *primum* nego *primum.* consequentiam. Omnipotentia enim est vis omnia agendi, quae cum perfectione morali agi possunt. Qui vero alicui concedit facultatem leges naturales violandi, is concedit facultatem morali quadam imperfectione agendi, ideoque ipse morali quadam imperfectione agit. *DEVS* itaque ea ex ratione, quia omnipotens est, non potest permittere, ut homines a legibus naturalibus recedant. Quoad *alterum* respondeo, consequens limitandum esse. Si nimirum per legislatorem intelligis eum, a cuius voluntate leges ea dependent ratione, ut easdem sua pro voluntate possit mutare, concedo consequentiam, & nego *DEVM* eo sensu legum naturalium esse legislatorem.

§. VI.

*Et ad obie-
ctionem se-
cundam.*

Pergis, DEVS a) Abrahamo filium innocentem e medio tollendi, & Israelitis b) mutua accepta non restituendi dedit facultatem. Filium innocentem e medio tollere, & mutua accepta non restituere est contra ius naturae. Deus itaque a lege naturali dispensauit. *Respondeo.* Deus non vitae solum, sed & omnium bonorum, quae sunt in mundo, est dominus. Qui iussu eius, qui dominium vitae habet, aliquem e medio tollit, & qui iussu domini eorum, quae mutua accepit, mutua accepta non restituit, is non agit contra ius naturae. Hisce enim sub determinationibus eiusmodi actiones non sunt laesiones, ideoque fundamentum: *neminem laedas*, ex quo leges illae, quae naturales, fluunt, ergo & eiusmodi legum, quae naturalium, cessat valor (§. 17. obs. 21.). Quae cum ita sint, manifestum est, permissiones illas diuinas non esse dispensationes (§. 2.).

a) Gen. XXII. 2.

b) Exod. XI. 2. XII. 35. 36.

§. VII.

*Locum se-
lum habet
quoad leges
positiuas.*

Leges aut sunt naturales aut positivae (§. 2. & 12. obs. 19.). Ratione legum naturalium dispensatio non habet locum (§. 3.). Ea itaque ratione, qua dispensatio locum inuenire potest, leges debent esse positivae. Inquiramus in eiusmodi dispensationis possibilitatem. Leges positivae aut, ita comparatae sunt, ut earum violatio simul inuoluet violationem legum naturalium, aut ita comparatae sunt, ut sine legum naturalium violatione possint violari. Si prius, dispensatio a legibus positivis simul inuoluet dispensationem a legibus naturalibus. Ergo nec eiusmodi legum positivarum ratione locum habebit dispensatio (§. 7.). Si posterius, obligatio, quae nos, ut eiusmodi leges obseruemus, ducit, a sola legislatoris dependet voluntate a contingentibus quibusdam circumstantiis mota (§. 1. obs. 20. & dem. §. 15. & 16. obs. 21.). Circumstantiae illae, quia sunt contingentes, huius vel illius ratione cessare possunt. Ergo & eiusmodi legum

gum ratione dispensatio locum potest inuenire (§. 1. & §. 17. obf. 21.).

§. VIII.

Ex altero, quod §. 2. posui, confectario infero: *ius dispensandi ei solum competere, qui legislator est, aut cui a legi-
gislatore eiusmodi potestas sit concessa.* Quum enim, qui di-
spensat, legi subiecto concedat facultatem legem violandi
sine periculo percipiendi poenam cum legis violatione con-
nexam (§. 1.); manifestum est, eum solum posse dispensare,
a cuius voluntate dependeat, vtrum eiusmodi legis violator
poenam cum legis violatione connexam percipiat nec ne.
Solius itaque legislatoris voluntas est causa dispensationis ef-
ficiens (§. 1. obf. 20. & §. 25. obf. 21.). Quilibet volunta-
tem suam & per se & per alium declarare potest. Ergo &
fieri potest, vt legislator alicui concedat potestatem a legibus
dispensandi. Subiectum itaque, quod habet ius dispensandi
primarium est ipse legislator, secundarium vero is, cui eius-
modi potestas a legislatore est concessa.

SCH. Princeps itaque a legibus positivis proprio iure, magi-
stratus vero subalternus non nisi potestate delata dispensat. Po-
testatis delatio est hypotheticum, quod non praesumitur sed pro-
bari debet. Magistratus ergo subalternus, qui a legibus positivis
dispensare cupit, eiusmodi potestatem sibi a Principe esse con-
cessam probare debet.

§. IX.

Notatu tamen digna sunt, quae monuit *PVFENDORP*^{a)}
verbis, quae sequuntur: „Etsi circa dispensationem indulgen-
dam prudentia opus sit, ne dum ea promiscue conceditur,
vis & auctoritas legis eneruetur: vel si citra grauissimas cau-
sas reliquis, qui sunt eiusdem conditionis, denegatur, in-
uidiae & indignationi causa praebeatur, quod aequales aequa-
li gratia digni non sint habiti.,”

a) I. N. & G. Lib. I. Cap. VI. §. XVII. p. 209. edit. Magai MASCOVII.

§. X.

§. X.

*Dispensatio
no opus non
est, ratione
legislatoris.*

Tandem ex tertio, quod §. 2. posui, confectario infero: *ratione legislatoris, qui legem positivam, quam tulit, violare cupit; opus non esse dispensatione.* Quum enim leges positivae, qua tales, legislatorem non obligent (§. 12. obs. 20.): eo vero in casu, quo leges non obligant, opus non sit dispensatione (§. 2.); manifestum est, ratione legislatoris, qui leges, quas tulit, violare cupit, opus non esse dispensatione.

§. XI.

*Magis eo in casu,
quo observatio legis
positivae aequitati
repugnat.*

Porro inde infero. *Dispensatione eo in casu non esse opus, quo leges positivae, salva aequitate naturali, observari nequeunt.* Quod argumentatione, quae sequitur, corrobore: Quo in casu leges positivae non obligant, eo quoque in casu dispensatione non est opus (§. 2.). Enimvero leges positivae eo in casu, quo salva aequitate naturali observari nequeunt, non obligant (§. 3.). Ergo & eo in casu, quo leges positivae salva aequitate naturali observari nequeunt, opus non est dispensatione.

§. XII.

Hoc declarandi cuilibet competit magistratui.

Cuilibet magistratui competit ius declarandi legem positivam eo in casu non habere locum, quo salva aequitate naturali observari nequit. Per se enim patet, cuilibet magistratui competere ius, omnia eo dirigendi, ut aequitas observetur naturalis (§. 3. & dem. §. 7.). Ius ad finem dat ius ad media sufficientia (§. 24. I. N.). Manifestum itaque est, cuilibet magistratui competere ius declarandi, eo in casu legem positivam non habere locum, quo salva aequitate naturali observari nequit.

§. XIII.

Inde differentia inter ius dispensandi & legem pro aequitate interpretandi.

Qui declarat, legem positivam obvio in casu non habere locum, quia salva aequitate observari nequit, is legem pro aequitate interpretatur (§. 29. obs. 22.). Patet inde, recte a GROTIUS^o) monitum esse, FERDINANDUM VASQVIUM, ICrum doctissimum, qui statuit, iustam causam dispensandi

spensandi, id est, lege soluendi, esse eam tantum, de qua legis auctor consultus dixisset, extra mentem suam esse eam obseruari, non distinxisse inter ius legem pro aequitate interpretandi & ius dispensandi. Ex iis enim, quae demonstrauimus, satis patet, maximam esse inter eiusmodi iura differentiam. Nam *primo* ius dispensandi pertinet ad legis, quae obligat, adplicationem (§. 1.), interpretatio pro aequitate ad sensus legis determinationem. Dispensatio a legislatoris dependet voluntate (§. 8.), aequitas vero nemini denegari potest. (§. 4. obf. 19.). Dispensare est solius legislatoris (§. 8.); aequitatem vero quilibet obseruare debet iudex (§. 12.). Et quae sunt reliqua.

a) I. B. & P. Lib. II. Cap. XX. §. XXVII.

§. XIV.

Sed fortasse dixerit quispiam, posita hacce distinctione esse consequens, ut nulla possibilis sit dispensatio. Aut enim ratio legis obuio in casu cessat aut non cessat. Si ratio legis cesset, consequens erit, valorem quoque legis per interpretationem pro aequitate cessare, ideoque dispensatione non esse opus (§. 11.). Si ratio legis non cesset, lex quoque erit ponenda; ideoque dispensatio non inueniet locum. *Respondeo.* Vltimum concedo, primum nego. Distinguo casum, quo ratio legis in vniuersali cessat, a casu, quo ratio legis solum in particulari cessat. Si *illud*, aliqua quidem ratione concedo, quod ex iis, quae posita sunt, deductum est (§. 27. obf. 21.); si vero *hoc*, consequentiam illam simpliciter nego. Rationem huius vide §. 28. obf. 21.

§. XV.

Ex quibus porro sequitur: *interpretationem legis pro aequitate ad omnes casus similes pertinere, dispensationem vero ad casus similes non trahendam esse.* Primum hac ratione euinco: Eo in casu, quo lex salua aequitate obseruari nequit, cessat obligatio, quae nos ad legem illam obseruandam ducit (§. 4. obf. 19.). Interpretatio legis pro aequitate de-

Nn

termi-

terminat casum, in quo lex salva aequitate observari nequit. Interpretatio itaque legis pro aequitate facta ad omnes casus similes pertinet. Q. e. p.

Quoad alterum hac ratione argumentor: Dispensatio a lege eo solum in casu locum habet, quo ratio legis in particulari cessat (§. 14.). Enimvero ex eo, quod ratio legis in particulari cesset, non sequitur, obligationem, quae nos ad legem illam observandam ducit, cessare (§. 28. obs. 21.). Manifestum itaque est, dispensationem ad casus similes non esse trahendam (§. 1. & §. 8.). Q. e. a.

§. XVI.

Iam facile erit respondere ad quaestionem; *an Principi ratione legum diuinarum positivarum competat ius dispensandi?* Aut enim hac in quaestione dispensatio significat interpretationem legis pro aequitate, aut dispensationem proprie sic dictam. Si illud, ex §. 12. patet, ius leges diuinas pro aequitate interpretandi Principi omnino competere. Si hoc, manifestum est ex §. 8., eiusmodi dispensandi ius Principi ea competere ratione, qua a Deo est concessum a).

SCH. Plura de his infra in obseru. de legibus diuinis positivis.

a) Conf. III. GLAFREY Recht der Veruunfft. p. 105. ff. Edit. 9.

OBSERVATIO XXVIII.

Ad §. 126.

DE

LEGVM COLLISIONE GENERATIM.

§. I.

Ratio insi-
tuti.

Iam de legum collisione, utpote quae doctrina & dignitate sua, pariter ac difficultate maximopere se nobis commendat. Quae ex ratione HERTIVS a) monuit, de legum collisione ancipitem, difficilem & late diffusam esse disputationem. Systematice rem sumus tractaturi. Et hunc in finem euoluturi sumus, quid sit legum collisio? an detur legum collisio? quid iuris in legum collisione generatim? quid iuris in legum

legum naturalium collisione? quid iuris in collisione legum positivarum cum naturalibus? & tandem, quid iuris in collisione legum positivarum inter se? De singulis suo loco.

a) in peculiari Dissertatione de Collisione legum, quae extat Tomo primo opusculorum Sect. I. §. I. Conf. HOCHSTETTER in Collegio Pufendorffiano Exerc. III. §. 26. GLAFEY I. c. p. 109. ADOLPHI FRID. HOFMANNI Commentatio de iurium & obligationum collisione ex principiis iurisprudentiae naturalis. Et quae sunt reliqua.

§. II.

Collisio legum ex Doctorum sententiis duobus modis con- *Collisio*
tingit. *Vno*, cum priorem legem posterior ita oppugnat, ut *quid?*
illa vel omnino vel ex parte perimatur. *Altero*, quando
utraque lex, etiam post pugnam, salva & incolumis manet,
& tantum ob rei, de qua agitur, indolem, atque circumstan-
tias, alteram cedere, viresque suas aliquamdiu cohibere oportet.
Collisio legum illa significatione accepta potius est
prioris legis abrogatio quam legum collisio (§. 123. I. N.).
Collisio itaque legum proprie sic dicta, & de qua hoc loco
quaerimus, posteriori accipienda est significatione. Intel-
ligimus ergo per *legum collisionem* eum statum, quo tales con-
currunt circumstantiae, per quas fieri non potest, ut legibus,
quae in se quidem spectatae non sunt contrariae, simul fieri
possit satis.

SCH. Hancce de legum collisione definitionem vsui loquendi
a doctoribus recepto conuenienter formatam esse, patet ex iis,
quae hac de re Ill. GLAFEY a) verbis, quae sequuntur, do-
cuit: „Dergestalt ist eine collisio legum, wenn zwen Gesetze also
„in einem casu zusammen stossen, daß ich beyde zugleich nicht voll-
„bringen kann, sondern nothwendig eine hintenansetzen muß. Es
„nennet zwar HERTIVS auch dasienige collisionem legum, wenn
„ein vorhergehendes Gesetze durch ein nachfolgendes entweder ganz
„oder doch zum Theil aufgehoben wird. Alldieweiln aber dieses
„von dem vernünftigen Rechte, welches allemal unveränderlich
„ist, nicht gesagt werden mag, sondern einzig und allein auf die
„positiu-Gesetze quadret, und eher eine mutatio legis als collisio
N n 2 „heissen

„heissen kan, so habe ich diese Gattung in die gegebene Definition nicht einschliessen können.“

a) l. c. p. 109. §. 186. Conf. eiusdem Diff. de officiorum collisione lenae. 1713. hab.

§. III.

Confessari-
um.

Colligimus inde, vt leges in se spectatae cum se inuicem non possint collidi, sed ea solum ratione, qua obuiocasu ad facta adplicandae (§. 2.). Huc pertinet QUINTILIANE illud a): *nunquam lex legi contraria iure ipso: sed eae casu colliduntur, atque euentu.*

a) Lib. VII. Instit. Orat. cap. VII.

§. IV.

An detur
eiusmodi le-
gum collisio.

Eiusmodi legum collisionem possibilem esse, hac ratione euinco. Quicquid in abstracto & in concreto possibile est, id inter possible omnino debet referri. Collisionem legum, quam §. 2. definiui, in abstracto possibilem esse, pater ex Metaphysicorum illo: Quicquid in se possibile est, id certis sub circumstantiis impossibile fieri potest (§. 12. Phil. pr.). Eandem quoque in concreto possibilem esse, exempla demonstrant. Quotidie enim obueniunt casus, in quibus eiusmodi legum collisio obseruatur. e. g. Leges iuris naturalis: *non occidas, conserua te ipsum*, quatenus in se spectantur, non sunt contrariae. Iam ponamus, Caium ea Titium inuadere ratione, vt conseruatio sui ipsius Caio sine Titii occisione sit impossibilis; casus hicce legum demonstrabit collisionem (§. 2.). Porro iuris est naturalis; vt nemo ad rerum suarum alienationem possit cogi. Sed Princeps ex iure dominii eminentis ciues ad eiusmodi alienationem potest cogere, si nimirum ad conseruandam reipublicae securitatem sit necessaria. Adest itaque legum collisio. Et quae sunt reliqua.

§. V.

Obiectio &
responsio.

Dissentientes argumentantur. Cessante obligatione cessat lex. In eiusmodi legum collisione, quae definita est, aut huius

huius aut illius legis cessat obligatio. Ergo & in eiusmodi collisione aut illa aut haecce lex definit esse talis. Vbi non sunt leges, ibi nec legum collisio potest concipi. Nulla itaque possibilis est legum collisio. *Respondeo.* Omnia concedo, quae praemissa sunt, sed nego consequentiam. Concedo legem cessare cessante legis obligatione: Concedo alteram legem in legum collisione definire esse talem. Sed quid inde? ergo non datur legum collisio? *Minime.* Hoc inde solum sequitur: in collisione legum fieri non potest, ut utraeque vim obligatoriam seruent. Hoc vero posito saluum manebit, leges, de quibus sermo est, in se spectatas non esse contrarias. Eo vero in casu, quem posui, tales concurrere circumstantias, per quas fieri non potest, ut legibus illis simul fieri possit satis. Estne eiusmodi status ex omnium consensu legum collisio?

§. VI.

His praemissis, inquiramus in principia, quae, quid iuris in legum collisione, determinant. Notatu digna sunt, quae WESENDECIUS a) hac de re proposuit. „Incidunt, inquit, tempora, cum inter se concurrunt & pugnant leges naturales; sunt enim quidam gradus principiorum & conclusionum moralium, in quibus, si quando vsu venit, ut sibi obstant, inferior superiori cedat, necesse est. V. gr. lex naturalis est, non occides: altera est, defende tuam tuorumque vitam. Si grassator igitur viatorem praeter euntem inuadat, non valebit prior illa lex, tanquam inferior, sed cedet huic, quae defensionem praecipit, & cui illa ipsa lex inest; ideoque impune occidi aggressor poterit. Lex enim, quae praecipit: non occides, etiam tuam ipsius vitam abs te praecipue vult seruari, non modo alienam. Deinde cum lex defensionis vniuersalis & momentosior sit (tuetur enim totam societatem) altera illi cedere debet: quae sic accipienda est, non occides scilicet infontem aut immerentem, neque priuatae vindictae cupiditate, sed legis auctoritate. Lex autem gladium priuato in casu.

casu defensionis tradit, quia in illa necessitate auxilium Magistratus praesto haberi non potest., Et quae sunt reliqua.

a) In parat. de Iust. & iur. n. 15.

§. VII.

Quae ad systema reducitur primo legum fundamentalium ratione,

Reducamus, quae dicta sunt, ad systema. Notum est ex §. 47. obs. 19. leges esse vel fundamentales vel minus-fundamentales. De legum itaque collisione generatim dicturus distinguere debeo collisionem legum fundamentalium, collisionem legum minus-fundamentalium cum fundamentalibus, & collisionem legum minus-fundamentalium inter se. Quod ad primum attinet, primo monendum est, *fieri posse, ut lex, quae certa in relatione est fundamentalis, alia in relatione sit minus-fundamentalis*, quod argumentatione, quae sequitur, corroboro. Lex ea in relatione est fundamentalis, qua id, quod faciendum praescribit, est ipse essentialis rei scopus, ea vero in relatione est minus-fundamentalis, qua eam praescribit actionem; quae ad essentialem rei cuiusdam scopum obtinendum conducit (§. 47. obs. 19.). Enimvero ex metaphysicis manifestum est, certa in relatione medium esse posse, quod alia in relatione est scopus. Ergo & fieri potest, ut lex, quae certa in relatione est fundamentalis, alia in relatione sit minus fundamentalis.

SCH. Sic propositio: *non agas contra civitatis securitatem*, reipublicae causa est lex fundamentalis, quae in relatione ad animi quietem est lex minus-fundamentalis. Illius enim legis observatio ad huius acquisitionem conducit.

§. VIII.

Si illae, quae tales, sint in collisione, quaeenam praesferenda

Hoc praemisso sequitur, ut de legum fundamentalium collisione sermonem facturum duos distinguere debeat casus. Alterum, quo leges fundamentales, quae tales, sunt in collisione, alterum, quo legum fundamentalium, quae in collisione sunt, una in relatione ad alteram ut lex minus-fundamentalis spectari potest. In illo casu, si sit possibilis, regula, quae sequitur, debet observari: *ea lex praesferenda est, quae ad*

ad maximas perfectiones pertinere videtur. Quum enim per se pateat, quod idem esse debeat legum obseruationis scopus, qui est iustitiae: huius vero scopus sit, imperfectiones, quantum pro circumstantiis fieri potest, remouere (§. 18. obf. 25.); sequitur, iustitiae conueniens esse, vt in eiusmodi legum fundamentalium collisione ea praeferranda sit lex, quae ad maximas perfectiones pertinere videtur.

§. IX.

Hocce vero in casu *legem fundamentalem ei praeferrendam esse legi, quae illius ratione, vt lex minus-fundamentalis spectari potest*, hac ratione euinco: Lex minus-fundamentalis eo in casu non obligat; in quo lex fundamentalis, cuius causa lex illa constituta est, vt contra eandem legem agamus, iubet (§. 24. obf. 21.). Ea itaque in legum collisione de qua diximus, legis, quae vt minus-fundamentalis spectari potest, obligatio cessat, ea vero lex, quae naturam legis fundamentalis seruat, manet obligatoria. Quare, quum id agere debeamus, ad quod agendum obligati sumus; manifestum est, obuia in legum collisione eam legem praeferrendam esse, quae naturam legis fundamentalis seruat.

SCH. Sic in collisione legum, de quibus Sch. §. 7. diximus, ea praeferranda est, quae quietem animi efficere praescribit.

§. X.

Eadem argumentatio, qua §. 9. vsi sumus, corroborat hancce regulam: *In collisione legis minus-fundamentali cum fundamentali, lex fundamentalis praeferranda est.*

SCH. Priuatum ciuium commodum in ciuitate sit medium ad commodum ciuitatis obtinendum. Ponamus leges, quae ad illud ducunt, cum legibus, quae hocce quaerunt, esse in collisione posterioris generis leges prioris generis legibus erunt praeferrendae. Sic Princeps dominii eminentis iure tempore communis egestatis ciues suos cogere potest ad frumentum, quo abundant, communis iuris faciendum, licet libera bonorum dispositio sit iuris dominii, quo gaudet possessor, effectus.

§. XI.

§. XI.

Tertio ratione collisionis legis minus-fundamentalium, regula prima.

Tandem ratione collisionis legum minus-fundamentalium notanda est regula, *prima: Ea lex praeferenda est, quae ad scopum, quem lex fundamentalis praescribit, obtinendum maxime conducit.* Quum enim lex minus-fundamentalis ea solum ex ratione obliget, quia ad scopum, quem lex fundamentalis obtinendum praescribit, conducit (§. 47. obs. 19.); sequitur legis minus-fundamentalis obligationem eo in casu cessare, in quo eiusmodi legis observatio iis repugnat, quae per legem fundamentalem fieri debent. His praemissis ponamus, legem minus-fundamentalem A & legem minus-fundamentalem B esse in collisione. Ergo fieri non poterit, ut omnibus hisce legibus fieret satis (§. 2.). Alteram itaque alteri praeferre debemus. Ponamus porro, observationem legis B magis, quam observationem legis A ad scopum, quem lex fundamentalis obtinendum praescribit, conducere. Hoc in casu observatio legis A iis repugnabit, quae per legem fundamentalem fieri debent. Cessat itaque huius legis obligatio. Lex ergo B praeferri debet.

SCH. Sic in collisione legis, quae fidem custodiri iubet, cum lege, quae sui ipsius conservationem praescribit, haecce lex illi debet praeferri, quia ultima legis observatio magis, quam primae legis observatio, ad scopum, quem natura praescribit, obtinendum conducit.

§. XII.

§ regula secunda.

Secunda regula huius ratione notanda haec est: *In collisione legum minus-fundamentalium, quarum altera alteri subordinata est, ea lex praeferenda est, cui altera subordinata.* Quum enim ea lex minus-fundamentalis, quae alteri subordinata est, ad ea solum obtinenda conducit, quae haecce lex facienda praescribit (quod ex subordinationis notione patet); sequitur, illam legem ad hancce eam habere relationem, quam lex minus-fundamentalis ad fundamentalem habet (§. 47. obs. 19.). Quare, quum in collisione legis minus-fundamen-

damentalis cum lege fundamentali lex fundamentalis sit praeferenda (§. 10.); manifestum est, in collisione legum minus-fundamentalium, quarum altera alteri subordinata est, eam legem, cui altera subordinata, praeferendam esse.

SCH. Sic lex, quae, *paſſa ſeruanda eſſe*, praefcribit, subordinata est legi, quae, *neminem laedere*, iubet. Iam ponamus casum, quo pactum sine laesione tertii seruari nequit, hoc in casu pactum erit violandum. Hinc, vt cum HERTIO *a)* loquar, qui bello domestico graui & iuxta vires suas attinetur, ad praestanda auxilia ex foedere conueniri non potest.

a) in laudata dissertatione Sect. II. §. XII. Conf. ZENTGRAVIUS de origine verit, & obligat. Iuris Gentium art. 4. §. 18. art. 9. §. 17.

OBSERVATIO XXIX.

DE

COLLISIONE LEGVM NATVRALIVM.

§. I.

Haec de legum collisione generatim spectata sufficiant. *Ratio iusti-*
Sequitur collisio legum naturalium. Duo sunt legum *tut.*
naturalium genera. *Aliae* sunt, quae hominibus singulis seorsum consideratis, *aliae*, quae hominibus, prout in certas societates coaluerunt, consideratis facienda & omittenda praefcribunt. De illarum collisione primo loco erit dicendum. Eiusmodi leges aut officia erga DEVM, aut officia erga nos ipsos, aut officia erga proximum praefcribunt. Alii addunt leges, quae praefcribunt officia, quae angelis, brutis atque rebus inanimatis debemus. Sed naturam nobis non praefcribere officia, quae brutis & rebus inanimatis debemus, nisi quae sunt officia erga DEVM, aut officia erga nos ipsos, aut officia erga proximum, alio quodam loco satis, vt opinor, demonstraui *a)*. Officia erga angelos eadem esse, quae officia erga proximum, lector philosophus sine probatione concedet. Satis itaque erit, in ea inquirere, quae in collisione legum, quas posuimus, sint iuris naturalis.

a) vid. in meiner philosophischen Sitten-Lehre der letzte Abschnitt.

O o

§. II.

§. II.

Fundamentum legum naturalium ponitur.

Fundamentum omnium legum naturalium hancce esse thesin: *Perfectiones, quantum pro circumstantiis fieri potest, conserva atque auge*, fatis a Philosophis demonstratum est. Plura de hoc infra in obseruationibus ad §. 143. I N. Merito itaque *lex iuris naturalis prima seu fundamentalis absolute talis* vocatur.

§. III.

Leges iuris naturalis fundamentales in absolute & secundum quid tales diuiduntur.

Sequitur inde, vt de legibus fundamentalibus, quae in iurisprudencia naturali obueniunt, sermonem facturus, legem fundamentalem absolute talem a legibus fundamentalibus secundum quid talibus distinguere debeat. *Absolute* nimirum *fundamentalis* est, quae eum praescribit scopum, ad quem obtinendum omnes omnino leges naturales conducunt. *Secundum quid vero fundamentalis* est, quae eum praescribit scopum, ad quem non omnes, sed determinati solum generis leges naturales, obtinendum conducunt. Sic lex, ex qua ea solum fluunt officia, quae proximo debemus, & lex, quae eiusmodi solum legum, quae officia erga nos ipsos praescribunt, fundamentum est, sunt leges fundamentales secundum quid, non absolute tales.

§. IV.

Haec in relatione ad illam sunt minus-fundamentales.

Leges naturales secundum quid fundamentales in relatione ad legem naturalem absolute fundamentalem sunt minus-fundamentales. Quum enim lex naturalis absolute fundamentalis eum praescribat scopum, ad quem obtinendum omnes omnino leges naturales conducant (§. 3.); sequitur, leges naturales secundum quid fundamentales eiusmodi esse leges, quae ea facienda praescribunt, quae per legem naturalem absolute fundamentalem fieri debent. Leges itaque naturales secundum quid fundamentales in relatione ad legem naturalem absolute fundamentalem sunt leges minus-fundamentales (§. 47. obs. 19.).

§. V.

§. V.

Quid ex isto vero conficitur? *primum* hoc consequitur: *Confecta-*
 leges naturales secundum quid fundamentales legi naturali *rium pri-*
 absolute fundamentali, & omnes leges naturales, quae non vt *imum.*
 fundamentales spectari possunt, primo legibus secundum
 quid fundamentalibus, & deinde legi absolute fundamentali
 esse subordinatas.

§. VI.

Secundo hoc inde fluit. In collisione legum naturalium, *Confecta-*
 quae non sunt fundamentales, cum lege secundum quid fun- *rium secun-*
 damentali, legem secundum quid fundamentalem, cui illae *dum.*
 subordinatae sunt, & in collisione legum secundum quid
 fundamentalium cum lege naturali absolute fundamentali le-
 gem absolute fundamentalem praefendam esse (§. 9. & 10.
 obs. 28.).

§. VII.

Generatim dicta magis determinaturi sumus. Prima thesis *Natura le-*
 huius causa notanda haec est: *Lex fundamentalis earum legum, quae officia erga Deum praescribunt, legi naturali absolute fundamentali non subordinata, sed cum ea plane eadem est.* *gis funda-*
 Lex fundamentalis earum, quae officia erga Deum praescri- *mentalis in*
 bunt, sine vlla dubitatione haec est: *voluntati diuinae viuas* *relations ad*
conuenienter. Sed quid est, quod Deus fieri vult? estne hoc? per- *officia erga*
 fectiones quantum pro circumstantiis fieri potest, conserua *Deum acco-*
 atque auge (§. 78. Theol. nat.). Alteram itaque enuncia- *nitur.*
 tionem pro altera illi aequipollente substituas, & habebis
 legem naturalem absolute fundamentalem (§. 2.). Hoc suf-
 ficiens esse videtur ad probandam thesin, quod lex fundamen-
 talis earum legum, quae officia erga Deum praescribunt, le-
 gi naturali absolute fundamentali non sit subordinata, & quod
 cum eiusmodi lege plane sit eadem.

§. VIII.

Haccē demonstrata thesi patet, *in collisione officiorum quae in*
erga proximum aut erga nos ipsos cum officiis erga Deum, offi- *quacumque*
cia

collisione
praeferen-
da.

cia erga Deum semper praeferenda esse. Ponamus officia erga proximum aut officia erga nos ipsos cum officiis, quae Deo debemus, esse in collisione; consequens erit, leges, quae officia erga proximum, aut quae officia erga nos ipsos praescribunt, cum legibus, quae officia erga Deum praescribunt, in collisione esse (§. 148. I. N.). Hoc itaque in casu, leges, quae officia erga proximum, aut officia erga nos ipsos praescribunt, sunt in collisione cum lege naturali absolute fundamentali (§. 7.). Enimuero in eiusmodi legum collisione lex naturalis absolute fundamentalis praeferrari debet (§. 6.). Ergo & in collisione officiorum erga proximum aut officiorum erga nos ipsos cum officiis, quae Deo debemus, officia erga Deum praeferenda sunt.

§. IX.

Reliqui ca-
sus, in qui-
bus LL. nat.
collisio conci-
pi potest,
distinguntur.

Quae cum ita sint, necesse solum esse videtur, ut in ea, quae in legum naturalium collisione sint iuris, inquisitionis, leges, quae officia erga nos ipsos, & quae officia erga alios praescribunt, spectarem. Sequentes hunc in finem distinguendi sunt casus. *Primus*, si leges naturales, quae officia erga nos ipsos praescribunt, sint in collisione cum lege naturali absolute fundamentali. *Secundus*, si leges, quae officia erga nos ipsos praescribunt, sint inter se in collisione. *Tertius*, si eiusmodi leges sint in collisione cum iis, quae officia erga alios praescribunt. *Quartus*, si leges naturales, quae officia erga alios praescribunt, sint in collisione cum lege naturali absolute fundamentali. *Casus quintus*, si leges, quae officia erga proximum praescribunt, sint inter se in collisione. De singulis breuiter.

§. X.

Regula in
casu primo.

Quoad *casum primum*, in quo leges naturales, quae officia erga nos ipsos praescribunt, cum lege naturali absolute fundamentali sunt in collisione; notanda est regula: *Lex naturalis absolute fundamentalis praeferrari debet.* Veritas huius regulae patet ex §. 6.

SCH.

SCH. Inter officia erga nos ipsos v. g. referenda est facultatum externarum adquisitio. Ponamus hocce officium esse in collisione cum alio, per quod maiores, quam per eiusmodi bonorum acquisitionem, efficere possumus perfectiones; officium erga nos ipsos cum lege naturali absolute vniuersali erit in collisione (§. 2.), ideoque ab acquisitione illa abstinendum.

§. XI.

Regula in casu secundo, in quo nimirum leges, quae officia erga nos ipsos praescribunt, inter se sunt in collisione, obseruanda haec est: *si conseruatio nostra sit in collisione cum iis officiis, quae perfectiones nostras augere possunt, conseruatio nostra praeferrri debet, si vero eiusmodi officia sint in collisione, quae nostras augent perfectiones, id praeferrendum est, quod nostras perfectiones pro circumstantiis, quae obueniunt, maxime potest augere.* *Regula in casu secundo.* Huius veritatem hac ratione euinco: Leges, quae officia erga nos ipsos praescribunt, ea ratione debent obseruari, qua lex naturalis absolute fundamentalis iubet (§. 6.). Enimuero lex naturalis absolute fundamentalis perfectiones, quantum pro circumstantiis fieri potest, conseruandas atque augendas praescribit (§. 2.) Ergo & in illarum legum collisione exceptio ea instituenda est ratione, vt perfectiones nostrae, quantum pro circumstantiis fieri potest, conseruentur atque augeantur. Sed suas perfectiones ea augere ratione, quae sui conseruationi repugnat, idem est, ac se imperfectiorem reddere (§. 2. obf. 10.). In collisione ergo officiorum erga nos ipsos nostra conseruatio semper praeferrenda est. Si vero eiusmodi officia sint in collisione, quae nostras augent perfectiones, id erit praeferrendum, quod nostras perfectiones, pro circumstantiis, quae obueniunt, maxime potest augere.

SCH. Sic in collisione legis, quae labore moderate vtendum praescribit, cum lege, quae nos ad facultates externas adquirendas obligat, illa est praeferrenda. Porro lex, quae emendationem voluntatis praescribit, si sit in collisione cum lege, quae decorum etiam arbitrarium obseruare iubet, huic erit praeferrenda.

§. XII.

Genera of-
ficiorum er-
ga nos ipsos
enumeran-
tur.

Determinemus regulam illam per genera officiorum, quae nobis debemus. Officia illa diuidi possunt in *officia necessitatis, iusti, commoditatis* atque *decori*. Horum definitiones ea, quae sequitur, ratione accipe. Officia, quae nobis debemus, si ita comparata sunt, vt sine eorum obseruatione nos non possimus conseruare, vocantur *necessitatis*: quae ita comparata sunt, vt sine eorum obseruatione perfectiones nostras nulla ratione possimus augere, vocantur *officia erga nos iusti*. Quae porro ita comparata sunt, vt sine eorum obseruatione nos quidem conseruare perfectionesque nostras augere possimus, licet non ea, quae per se poni potest, tranquillitate, vocantur *officia erga nos ipsos commoditatis*. Quae tandem eiusmodi sunt conditionis, vt eorum violatio solum inuoluat violationem obligationis, quae nos ad ea agenda ducit, quibus in rebus indifferentibus nos aliorum attemperemus moribus, *officiorum decori* acceperunt nomen a).

a) Confer. laudata Diss. III. GLAFEY de officiorum collisione §. 19. ff.

§. XIII.

Et per hanc
regula illa
magis deter-
minatur.

Sequitur ex hac theoria *primo*, officia erga nos ipsos *commoditatis* atque *decori* officii iusti atque *necessitatis* esse subordinata: *secundo*, officia erga nos *necessitatis*, dum colliduntur cum officii iusti, esse praeferenda (§. 11.): tandem officia erga nos *commoditatis* atque *decori* in collisione cum officii erga nos iusti his esse postponenda (§. 12.).

§. XIV.

Ea, quae
ratione ca-
sus tertii di-
stinguenda
enumeran-
tur.

Sequitur *casus tertius*, quo leges, quae officia erga nos ipsos determinant, sunt in collisione cum legibus, quae officia erga alios praescribunt. Officia erga alios diuiduntur in ea, *quae sunt iuris perfecti*, & ea, *quae sunt iuris imperfecti*. Illa sunt, ad quorum obseruationem alter nos physice potest cogere, & spectant conseruationem perfectionum, quae ad *to* suum alterius pertinent. Haec sunt, ad quorum obser-

obseruationem nos alter physice non potest cogere, & nos ducunt ad perfectiones alterius augendas (§. 159. & 322. I. N.).

§. XV.

Qui itaque determinare cupit, quomodo in casu tertio ^{Huius continatio.} exceptio sit instituenda, is casum, quo officia erga nos ipsos cum officiis erga alios, quae sunt iuris perfecti, ab eo casu, quo officia erga nos ipsos cum officiis erga alios, quae sunt iuris imperfecti, colliduntur, distinguere debet. Et in utroque casu, vtrum officia erga nos ipsos, quae cum officiis erga alios colliduntur, sint necessitatis, an iusti aut commoditatis aut decori (§. 12.).

§. XVI.

Prima regula hoc in casu tertio obseruanda haec est: ^{Regularum} si officia erga nos ipsos commoditatis vel decori sint in collisione ^{in casu tertio obseruandarum} cum officiis erga alios aut iuris perfecti aut iuris imperfecti, officia erga alios praeferenda sunt. Qui officia erga se ipsum vel commoditatis vel decori violat, is nihilo tamen minus se conseruare, verasque suas perfectiones potest augere (§. 12.). Qui vero officia erga alios, quae sunt iuris perfecti, violat, is perfectiones aliorum destruit, & qui officia erga alios, quae sunt iuris imperfecti, violat, is alios non ea perficit ratione, qua fieri potest (§. 14.). Qui itaque obuia in collisione officia erga se ipsum praefert, is veras perfectiones non ea ratione, qua pro circumstantiis fieri potest, conseruat atque auget. Agit ergo contra legem naturalem absolute vniuersalem (§. 2.). Enimvero leges, quae officia erga nos ipsos & erga alios praescribunt, ea obseruanda sunt ratione, quam lex naturalis absolute fundamentalis iubet (§. 6.). Ergo & obuia in collisione officia erga alios sunt praeferenda. ^{prima.}

SCH. Verum quidem est, nullam obligationem perfectam nos adstringere ad ea ratione agendum. Sed quid inde? Sermo hoc loco non est de iis, ad quae praestanda alter ab altero potest cogi, sed ad quae natura sanaque ratio nos obligat. Sic, inquit MERTIVS ^a), animal alterius in agro meo repertum expellere possum,

possum, neque damnum, si quod adferat expulsio, refarcire teneor, quamvis æquum sit, dominum de repulsione commoneri. Elegans quoque est exemplum, quod dedit *VLPIANVS* *b)* in ventilatore, qui vinum ad mensuram vendidit. „Licet autem, inquit, vel effundere vinum, si diem ad metiendum praestituit, nec intra diem admensum est: effundere autem non statim poterit, priusquam testato denunciaret emtori, ut aut tollat vinum, aut sciat futurum, ut vinum effunderetur. Si tamen, cum posset effundere, non effudit, laudandus est potius.” Porro pacta et si mihi incommoda seruire teneor. Et quae eiusdem sunt tenoris.

a) in *Diss. laudata Sect. II. §. 1.*

b) *L. 1. §. 3. 4. D. de peric. & commod. rei vend.*

§. XVII.

Secunda

Secunda regula est: *si officia erga nos ipsos necessitatis sint in collisione cum officiis erga alios, quae sunt iuris imperfecti, illa praeferenda sunt.* Quod hac ratione euinco: Quum officia erga nos ipsos necessitatis, iis, quorum obseruationes perfectiones nostras augent, si collidantur, praeferenda sint (§. 13.); manifestum erit, officia erga nos ipsos necessitatis eo quoque in casu esse praeferenda, quo cum officiis erga alios, quae nos ad perfectiones aliorum augendas ducunt, sunt in collisione. Enimuero officia erga alios, quae sunt iuris imperfecti, ita comparata sunt, ut eorum obseruatio aliorum augeat perfectiones (§. 14.). Ergo & eiusmodi officia in collisione, quam posuimus, illis postponenda sunt.

SCH. Sic iuri naturali conuenienter uiuit, qui alteri, qui vires suas augere cupit, non succurrit, quia sine sui ipsius destructione succurrere non potest. Porro, qui transitum exercitus ob metum interitus denegat, Qui homines ex locis pestiferis profectos a finibus suis abarctet. Et quae sunt reliqua,

§. XVIII.

Tertia

Regula tertia est: *officia erga nos ipsos necessitatis, quae cum officiis erga alios, quae iuris perfecti sunt, colliduntur, eo in casu praeferenda sunt, quo tales concurrunt aliorum perfectiones,*

ctiones, quas salua sui ipsius conseruatione possunt amittere. Eadem argumentatio, qua §. 17. vsus sum, hancce corroborat regulam.

SCH. Sic fame pressus, alterius opes & res, quibus ad commoditatem vitur, potest auferre. Porro qb necessitatem a foedere recedere semper licitum crediderunt populi a). Operas debitas morbo laborans non praestare teneor. Et quae sunt eiusdem generis.

a) vid. GROTIVM. I. B. & P. Lib. II. Cap. XV. §. XIII. & Cap. II. §. 6. ff. PVFENDORF de I. N. & G. Lib. II. Cap. VI.

§. XIX.

Regula quarta est: *Si officia erga nos ipsos necessitatis cum Quarta. officiis erga alios, quae iuris perfecti sunt, eo in casu collidantur, quo tales aliorum concurrunt perfectiones, quas salua sui ipsius conseruatione amittere nequeunt: generatim ad quaestionem, quaenam officia sint praeferenda, non poterit responderi; sed id officium praeferendum erit, cuius obseruatio obuio in casu maximas efficere poterit perfectiones.* Quum enim leges naturales, quae officia erga nos ipsos, & leges naturales, quae officia erga alios praescribunt, non sint leges naturales absolute fundamentales, sed absolute fundamentali subordinatae (§. 3. & 4.); manifestum est, in eiusmodi legum collisione id praeferendum esse, quod pro circumstantiis, quae obueniunt, maximas efficere potest perfectiones (§. 2. & 6.). Enimvero suo interitu alios conseruare certis sub circumstantiis maiores efficere potest perfectiones, quam sui ipsius conseruatio; & e contrario aliis sub circumstantiis sui ipsius conseruatio maiorum perfectionum causa esse potest, quam si quis suo interitu alios conseruare studeat (quod ex experientia manifestum est). Patet itaque, ea in legum collisione, quam posuimus, ad quaestionem, quaenam officia sint praeferenda, non posse generatim responderi; sed solum monendum esse, vt id officium sit praeferendum, quod obuio in casu maximas efficere potest perfectiones.

SCH. Inde fluit illud roties inculcatum sapientibus: *Patriae vitam & spiritum deberi.* Notatu hic digna videntur, quae SOCRATES apud PLATONEM in Critone monuit: „An „sic es sapiens, inquit, vt te latuerit, & patri & matri & pro- „genitoribus omnibus patriam esse anteponendam? atque esse ve- „nerabilius quiddam sanctiusque? & superiore loco tum apud „Deos tum apud homines sapientes esse patriam collocandam, „colereque eam oportere magis, eique obedire, tum autem „asperius ac durius se gerenti obsequentiorem esse, quam patri: „& si quid iubeat, vel dissuaderi illi, vel facere & patientissime „sustinere quicquid iusserit patiendum? ac siue mandauerit ver- „berari te, siue in vincula conici, siue in praelium miserit ad „vulnera excipienda, mortemque subeundam, obediendum est „omnino. Ius enim ita dicitur, & neque tergiuersandum, neque „fugiendum, neque ordinem deserendum, sed & in bello & in „iudicio & prorsus vbique ea sunt, quae respublica patriaque „iusserit, facienda a).“

a) Conf. HERTIVS l. c. Sect. II. §. XIX. ff.

§. XX.

Quinta.

Regula quinta est: *Si officia erga nos iusti collidantur cum officiis erga alios, quae sunt iuris perfecti: illa hisce postponenda sunt.* Huius regulae veritatem argumentatione, quae sequitur, euinco: Qui officia iusti erga se ipsum violat, is negligit solum se perficere, se tamen non reddit imperfectiorem (§. 12.). Qui vero officia erga alios, quae sunt iuris perfecti, violat, is alteri dat ius inferendi mala (§. 14.), ideoque se ipsum reddit imperfectiorem. Huius itaque legis violatio maiores quam illius efficit imperfectiones, ideoque ea in collisione, quam posuimus, officia erga alios praeferenda sunt (§. 2. & 6.).

SCH. Sic praeceptum, quod pactum seruandum esse iubet, in collisione praefereendum est praecepto, quod adquisitionem bonorum sed non summe necessariam inculcat.

§. XXI.

§. XXI.

Regula tandem sexta est: *Si officia erga nos iusti sint in Sexta.* collisione cum officiis erga alios, quae sunt iuris imperfecti; idem valebit, quod §. 19. monitum est, nimirum, generatim ad quaestionem: quodnam officium praefendum, non posse responderi; sed id praefendum esse, quod cum lege naturali absolute fundamentali maxime conueniens. Haecce regula eadem, qua §. 19. vli fumus, argumentatione; iis mutatis, quae per obiecti naturam mutanda, corroborari potest.

SCH. Ponamus v. gr. duo labores A & B esse in collisione, qui ita comparati sunt, vt per A alios magis perficere possimus quam per B, per B vero nobis maiora bona maioresque fortunas adquirere quam per A. Queritur, quinam praefendus? respondendum erit, A praefendum esse.

§. XXII.

Haec de casu tertio. Sequitur casus quartus, qui §. 9. positus est, in quo nimirum leges naturales, quae officia erga alios praescribunt, sunt in collisione cum lege naturali absolute fundamentali. Huius caussa iterum notari debet regula: *Lex naturalis absolute fundamentalis eiusmodi in collisione praefenda est.* Haecce propositio eodem prorsus modo demonstratur, quo regulam §. 10. positam demonstrauius.

§. XXIII.

Tandem de casu quinto §. 9. posito, quo leges, quae officia erga proximum praescribunt, inter se sunt in collisione. Huius caussa iterum tres distinguendi sunt casus. *Primus*, si officia erga alios, quae sunt iuris perfecti, collidantur cum officiis erga alios, quae sunt iuris imperfecti. *Secundus*, si officia erga alios, quae sunt iuris perfecti, inter se collidantur. Et *tertius*, si officia erga alios, quae sunt iuris imperfecti, sint in collisione. De singulis breuiter.

§. XXIV.

Prima regula hoc in casu quinto obseruanda haec est: *Regularum Si officia erga alios, quae sunt iuris perfecti, sint in collisione in casu quinto*

Pp 2.

cum se obseruax-

*datum pri-
ma.*

cum officiis erga alios, quae sunt iuris imperfecti; illa hisce sunt praeferenda. Veritas huius regulae eodem prorsus modo, quo thesin §. 20. positam demonstrauimus, iis nimirum mutatis, quae natura obiecti mutari iubet, demonstratur.

SC.H. Sic cessabit obligatio naturalis, quae nos ducit ad alteris officia, quae officia innoxiae vocantur vtilitatis, praestanda, si eiusmodi officiorum praestatio v. g. praecepto, quod neminem laedere, aut pacta seruanda esse iubet, repugnaret.

§. XXV.

*atque secun-
da.*

Secunda regula est: Si officia erga alios, quae sunt iuris perfecti: aut officia erga alios, quae sunt iuris imperfecti, sint in collisione, generatim ad quaestionem: quodnam officium praefendum? non potest responderi; sed id alteri praeferrere debet, quod obuiis pro circumstantiis maximas efficere potest perfectiones. Mutes in demonstratione, qua §. 19. vti sumus, ea, quae per obuii obiecti naturam mutari debent, & habebis demonstrationem, quae huius regulae veritatem corroborat.

SC.H. Sic in concursu foederum ab eo iure recedimus, cuius praestatio maximarum imperfectionum causa est futura. Defendendi proximi causa vicini aedificium orto incendio dissipare possumus. Et quae alia habentur a)

a) Conf. III. GLAUBER im Rechte der Vernunft. Edit. 3. p. III. ff.

§. XXVI.

*Transitus
ad eos casus,
in quibus le-
ges sociales
concurrunt.*

Haec de legibus naturalibus, quae hominibus singulis seorsum consideratis facienda vel omittenda praescribunt, sufficiant. Transeo ad eas leges naturales, quae homines, prout in certas societates coaluerunt, considerant, & quas compendii causa *leges sociales* vocabo. Notum est ex §. 521. ff. I. N. primo Leges sociales generatim consideratas esse eiusmodi leges, quae officia erga alios praescribunt. Secundo, leges illas speciatim consideratas praescribere officia erga alios, quae sunt iuris perfecti. Tertio, a commodo societatis omnium fere sociorum commoda, & ab incommodo societatis omnium fere sociorum incommoda dependere. Quae cum

cum ita sint, facile intelligi poterit, quomodo ea, quae de legum collisione hucusque explicata sunt, eos ad casus adcommodanda, in quibus leges sociales cum ceteris legibus, quae nobis natura praescribit, colliduntur.

§. XXVII.

Sunt itaque regulae eiusmodi in collisione obseruandae, quae sequuntur:

- Regulae eiusmodi in collisione obseruandas.*
- 1) Si officia erga nos ipsos commoditatis vel decori sint in collisione cum officiis socialibus, officia socialia praefereenda sunt (§. 16.).
 - 2) Si officia ergo nos ipsos necessitatis cum eiusmodi officiis erga societatem, quae sunt iuris imperfecti, colliduntur, officia erga nos ipsos praefereenda sunt (§. 17.).
 - 3) Si officia erga nos ipsos necessitatis cum officiis socialibus, qua talibus, id est, quae sunt iuris perfecti, colliduntur, officia erga nos ipsos eo in casu praefereenda sunt, quo tales societatis concurrunt perfectiones, quae salua societatis conseruatione possunt deficere (§. 18.).
 - 4) Si officia erga nos ipsos necessitatis cum officiis socialibus, qua talibus, eo in casu colliduntur, quo tales societatis concurrunt perfectiones, quae salua societatis conseruatione non possunt deficere: officia socialia illis praefereenda sunt (§. 19. & pr. 3. §. 27.).
 - 5) Si officia erga nos iusti colliduntur cum officiis socialibus, qua talibus, officia socialia illis praefereenda sunt (§. 20. & pr. 2. §. 27.).
 - 6) Si officia erga nos iusti sint in collisione cum officiis, quae societati iure imperfecto debemus, illa hisce postponenda sunt (§. 21. & pr. 3. §. 27.).
 - 7) Si leges sociales cum lege naturali absolute fundamentali colliduntur, lex naturalis absolute fundamentalis praefereenda est (§. 22.).

- 8) Si officia, quae societati iure imperfecto debemus, sint in collisione cum officiis socialibus, quae talibus, officia socialia praeferenda sunt. (§. 24. & pr. 2. §. 27.).
- 9) Si tandem officia socialia, quae talia, inter se collidantur, id praeferendum est, quod maximas societatis efficere potest perfectiones (§. 25.), & cui caetera officia socialia sunt subordinata (§. 9. ff. obl. XXVIII.).

§. XXVIII.

Respondetur ad quaestionem illustratam, primam,

Vfus harum regularum in diiudicandis quaestionibus est pene infinitus. Respondebo illustrationis gratia ad posteriorum aliquas. Prima est: *An servus privatus obligatus sit ad faciendum a Domino contra rempublicam imperata?* Quod affirmare videtur HOBBSIVS a). Sed negando respondendum esse censeo. Rationem huius accipe. Officia, quae servus privatus domino suo debet, sunt officia iis subordinata, quae debet reipublicae. Illa itaque, si cum hisce sint in collisione, hisce sunt postponenda. (§. 27. reg. 9.).

SCH. Idem sentit SENECA, sic enim ille b): *Non omnia iubere possumus, nec servi in omnia parere coguntur: contra rempublicam imperata non facient, nulli sceleri manus adcommo- dabunt.*

a) de Ciue Cap. V. §. 7.

b) de benef. III. 20.

§. XXIX.

secundam,

Secunda est: *An vasallus, quae talis, obligatus sit, ad pactum, quod in se validum est, eo in casu praestandum, quo ob circumstantias, quae obveniunt, eiusmodi pacti praestatio in domini directi, quae talis, verget praesudicium?* Iterum respondeo negando, rationemque huius sumo ex reg. 9. §. 27.

SCH. Illustrat hanc sententiam Ill. GLAEFI a). Dignus sane locus, qui huc integer transcribatur: „In vorigen Zeiten, „inquit, war es gebräuchlich, daß die Teutschen Fürsten, wenn „Sie

„Sie unter einander oder auch mit auswärtigen Mächten Bünd-
 „nisse schlossen, die Kayserliche Maiestät und das Reich auszu-
 „nehmen pflegten, welches aber in nachfolgenden Zeiten deswegen
 „unterblieben, und vor unnöthig gehalten worden, weil solches
 „denen vernünftigen Rechten nach ohne dieß praesumiret wird,
 „in dem westphälischen Frieden auch, ingleichen in andern Reichs-
 „Gesezen deutlich versehen ist, daß einem Stande des Reichs
 „das Recht Bündnisse zu schliessen nicht anders als mit Vorbehalt
 „seiner gegen die Kayserliche Maiestät und das Reich tragenden
 „Pflicht zuständig seyn soll. Wie nun dieses zwischen dem Kay-
 „ser und denen Ständen seine Richtigkeit hat; also haben auch
 „die Stände Recht und Macht von Ihren landsäßigen Stifftern,
 „Grafen und Herren zu fodern, und darauf zu bestehen, daß Sie
 „Ihre Capitulares, Rätthe, Diener und Unterthanen zu nichts
 „verpflichten und obligiren sollen, so der Landes-Fürstl. Ober-
 „Vorherrschaft zuwider ist. Falls aber doch dergleichen geschieht,
 „und ein solcher Capitularis, Rath oder Diener kommt ins Ge-
 „dränge, dergestalt, daß er entweder an dem Landes-Herrn sich
 „vergehen oder seinen Capitularen und Diener. End dem Wort-
 „Verstande noch zuwiderleben soll, hat er, wenn es nicht anders
 „seyn will, aus dem letzten nicht das geringste Gewissen sich zu ma-
 „chen, weil in diesem Fall seine Capitularen und Diener-Pflicht
 „als subordinirt weichen, und also interpretiret werden muß,
 „daß diejenige, womit sein Stifte, Graf, oder Herr dem Landes-
 „Herrn verwandt ist, unangetastet und ungekränket bleiben mö-
 „ge. . . . Stehet vollends ein solcher Capitularis oder Diener we-
 „gen seiner in des Landes-Herrn übrigen Länder habenden Güter
 „oder von demselben tragenden Chargen annoch in besondereu un-
 „mittelbahren Pflichten gegen den Landes-Herrn, so obligirt ihn
 „die denen Lehns- und Diener-Enden inserirte Clausul: nicht in
 „dem Rathe zu seyn, wo wider den Landes-Herrn gerathschlaget
 „wird, so weit, daß er auch so gar von denen deliberationibus
 „abstrahiren soll, wo in einem solchem Stifte, Graff. oder Herr-
 „schaft wider die Landes-Hoheit consilia gepflogen werden, wenn
 „gleich die Frage noch ventiliret wird: Ob ein solches Stifte,
 „Graff-

„Grass- oder Herrschafft der Ober-Bothmäßigkeit eines solchen
 „Herrns unterworffen sey. Et quae reliqua.

a) l. c. p. 115. ff.

§. XXX.

tertiam,

Tertia est, quam tractat GROTIUS a) PVFENDOR-
 FIVS b) HERTIVS c) aliique: *An subdito, quem Princeps
 suus sine causa atque innocentem inuadit, etiam cum nece eius
 se defendere fas sit?* BODINVS d) aliique e) hoc affirmant.
 Argumentorum, quibus haec sententia nititur, *primum* est:
 Ius naturae sui unicuique custodiam & defensionem conser-
 uationemque praecipit: eam itaque humano generi eripere
 velle, non impium modo, verum nefas quoque videri de-
 bet, neque suadet id charitas, quae a se ipso incipere de-
 bet, si bene sit ordinata. Et *alterum*: Princeps, qui ea,
 quae diximus ratione agit, non spectari potest vt Princeps,
 sed vt hostis. Aduersus hostem vero cuiuslibet competit ius
 se, etiam cum nece hostis, defendendi. Sed *respondeo*:
 Argumenta illa id non probant, cuius causa in medium sunt
 prolata. Quaestio enim, quae ponitur, non est, an Prin-
 cipi competat ius ciues suos sine causa atque innocentes in-
 uadendi? nec haec est quaestio: an ipsa natura nobis, qua-
 tenus res in se spectatur, concedat ius nos aduersus hostem
 etiam cum eius nece defendendi? Sed haec est quaestio,
 quae in controuersiam vocata: quid ea in collisione, quam
 posuimus, secundum praecepta iuris naturalis faciendum?
 Ego accedo ad sententiam GROTII, in dubio praesumen-
 dum esse, defensionem violentam in priuato contra Prin-
 cipem suum cessare, huiusque rationem sumo ex reg. 4. §. 27.
 Quum enim experientia testetur; quanta ciuium clade, quanta
 reipublicae concussione etiam pessimi Principes fuerint
 deiectioni; ex regula citata manifestum est, secundum ius na-
 turae eo in casu, quem posui, si res sit dubia, melius esse,
 malum illud, quod iniuria summi imperantis contingit, to-
 lerare, quam ex summi imperantis nece publicam rem in ca-
 sum dare.

a) l. B.

- a) I. B. & P. Lib. II. Cap. I. §. 9.
 b) I. N. & G. Lib. VII. Cap. VIII. §. 5.
 c) in laudata Dissert. de collisione legum Sect. II. §. 27.
 d) de republ. Lib. II. Cap. V.
 e) Conf. HERTIVS l. c. & PVFENDORF l. c. Lib. II. Cap. V. §. XIV.

§. XXXI.

Quarta est, quam etiam HERTIVS a) tractat: *An ma- quartam. nus sibi inferre, vel vitam liccat effundere ob patriae salutem? aut quod in praeliis maritimis siue iussi, siue hosti victoriam invidentes, eique simul exitium parantes, facere consueverunt, igne in pulverem pyrium eiecto, se nauemque suam una cum hostilibus perdere?* Sunt qui hoc sine limitatione affirmant b); sunt qui idem sine limitatione negant c). Sed limitando respondendum esse mihi videtur. Obuius enim casus aut talis est, quem regula secunda, aut talis, quem regula tertia, aut talis, quem regula quarta §. 27. inuoluit. Si primus atque secundus, ad negantium, si vero tertius, ad affirmantium accedo sententiam. Sed haec pro instituti ratione sufficiant.

- a) l. c. §. XXII.
 b) vid. BECMANNI lin. doct. mor. cap. XV. §. II. & PVFENDORF l. c. Lib. VIII. Cap. II. §. IV.
 c) conf. LOCCEN de iure maritimo Lib. III. Cap. X. §. IV.

OBSERVATIO XXX.

DE

COLLISIONE LEGVM POSITIVARVM
CVM NATVRALIBVS.

§. I.

Iam ad collisionem legum posituarum cum naturalibus. *Variae eius- modi collisio- nis species enumeran- tur.*
 Huic secundum HERTIVM a) locus erit *primus*, si leges positivae obligent ad id agendum, quod natura libertati no- strae, quia inter obiectivae indifferentia referendum, relin- quit. *Secundus*, si leges positivae iuri naturali non adsistant,

Qq

idco-

ideoque quaedam permittant iuri naturali contraria. *Tertius*, si tales concurrant circumstantiae, ob quas praestatio eius, ad quod leges positivae nos obligant, iis, ad quae praestanda per naturam sumus obligati, repugnabit.

SCH. Eodem vero modo de eiusmodi legum collisione loquutus est *VLPIANVS*. Sic enim ille *b)*: *Ius civile est, quod neque in totum a naturali recedit, nec per omnia ei servit. Itaque cum aliquid addimus, vel detrahimus iuri communi, ius proprium, id est, civile efficiemus.* Ius enim positivum iuri naturali aliquid addit, dum ad id faciendum vel omittendum obligat, quod secundum naturam est obiective indifferens, & dum vehementiores cum legum naturalium violatione connectit poenas, quam per naturam cum eadem sunt connexa. Detrahit iuri naturae, dum iuri naturae non adfistit, & faciendum permittit, quod iuri naturae contrarium est.

a) l. c. Sect. III.

b) L. 6. D. de Iust. & Iure.

§. II.

*Prima vñ-
titur.*

Sed mea quidem sententia in primo illo, quem HERTIVS posuit, casu nulla est legum collisio. Hancce sententiam argumentatione, quae sequitur, corroboro. Quo in casu non concurrunt plures obligationes, quibus non simul fieri potest satis: eo quoque in casu nulla est legum collisio (§. 2. obs. 28.). Sed in primo illo casu, quem *HERTIVS* posuit, non concurrunt plures obligationes, quibus non simul potest fieri satis. Eo enim in casu natura libertati nostrae, quicquid ex obiective indifferentibus facere vel omittere velimus, relinquit, ideoque nos non obligat ad hoc vel illud faciendum, unica itaque solum adest obligatio nimirum positiva. Manifestum ergo est, in primo illo casu nullam esse legum collisionem.

SCH. Exemplo sit testamenti factio. Ius naturae ad huius formam nil requirit, nisi eam voluntatis declarationem, quae moraliter atque physice possibilis est, & satis potest probari. Reliqua libertati nostrae relinquit. At ius romanum multarum solenni-

lennitatum, quas natura libertati nostrae relinquit, requirit observationem, ita vt his non obseruatis testamentum in foro ciuili pro nullo declaret. Hic est casus primus, quem HERTIVS delineauit. Sed ostendas, quaeso, leges, quae obuio in casu colliduntur. Vbi sunt obligationes contrariae. Vnica adest solum obligatio, ciuilis nimirum, quae nos ad eiusmodi solennitates adhibendas ducit, Ius naturae nos non ad contrarium obligat, sed libertati nostrae eiusmodi solennitatum usum relinquit. Est, vt QVINTILIANVS a) docet, aliquid aequum, sed prohibitum iure; vt libertas testamentorum.

a) Lib. III. Inst. Orat. 6.

§. III.

Idem, mea quidem sententia, quoad secundum, quem HERTIVS posuit, casum, valere, eadem fere, qua §. 2. vsus sum, argumentatione euinco: Quo enim in casu non concurrunt plures obligationes, quibus non simul fieri potest satis: eo quoque in casu nulla est legum collisio. Enimvero in secundo illo casu non concurrunt plures obligationes, quibus simul satis fieri nequit. Ex eo enim, quod ius ciuile iuri naturae non adsistat, non sequitur, obligationem naturalem cessare, sed id inde solum sequitur, eo in casu iure ciuili nobis non esse permittum, vt iura nostra aduersus alterum per modum coactionis persequamur, ne fora atque respublica litibus impleantur. Ergo & in secundo illo casu, qua tali, nulla est legum collisio.

SCH. I. Sic in exemplo, quod Sch. §. 2. dedi, 'quaestiones', quae sequuntur, latent accurate distinguendae: prima; annon succedens ab intestato secundum ius naturae & ex conscientiae dictatu sit obligatus, vt illam defuncti voluntatem tueatur, quam nouit fuisse seriam, vtui forma, quam ius ciuile addit, carentem? altera: an quis ex testamento forma, quam ius ciuile addit, destituito iure ciuili acquirere possit ius? Ad primam affirmando, & ad alteram negando erit respondendum. Vltimum per se patet. Quoad primum argumentor: Testamentum secundum naturam validum ab intestato succedentem ex conscientiae dictatu obli-

gat a). Ponamus hocce testamentum forma, quam ius civile addit, destitutum esse; consequens inde erit, ius civile eiusmodi testamento vim suam non commodare, id est, non adistere, ideoque heredem institutum iure civili non habere potestatem ius suum secundum naturam eiusmodi testamento adquisitum aduersus ab intestato succedentem per modum coactionis persequendi. Sequitur inde, obligationem illam naturalem cessare? Nulla itaque hoc in casu est legum collisio, sed restrictio solum eius, quod a natura libertati nostrae est relicum. Sic quoque iure civili, quod pactis nudis non adstitit, non sublata sunt obligatio atque ius, ex eiusmodi pacto secundum naturam descendente, sed sola coactio acceptanti denegatur. Plura exempla collegit GROTIVS Lib. II. Cap. XVIII. §. X.

SGH. II. a) Dissentit GEORG. ADAM. STRUVIVS b). Verum, ut iam alia omittam, sententia haec falso nititur fundamento. Sic enim ille: „solennitate lege statutoe praescripta, non obseruata a testatore, testamentum est nullum, adeo ut nec in conscientiae foro ad illud seruandum succedens ab intestato obligetur. Quia 1) actus testandi ab ipso iure naturae non praescribitur. 2) Quia nullum ius, quod aliquem obliget ad seruandum, existit; non ius naturae, quippe quod hac de re nihil praescribit; non ius Gentium, cui lege civili recte quid additum, quod omnino in ista republica, in qua lex lata est, obseruandum. 3) Quod omnis obligatio ad praestandum aliquid, quo non praestito peccatur & agitur contra conscientiam, veniat vel ex legis iussu, qui hic non aliter adest, quam si praescripta quoque a lege forma fuerit obseruata; vel ex alio superioris mandato, quod itidem hic non subest; vel ex facto meo, quo v. g. promittendo me alteri deuinxit, quod itidem hic cessat. 4) Quia in potestate legislatoris est, actum, qui ab ipso iure naturae non dependet, reddere irritum, ut plane, etiam quoad conscientiae forum sit inefficax.” Et quae sunt reliqua.

b) in Syntagm. Iuris civilis Exerc. XXXII. §. XVI. Plures collegit MERTIVS l. c. Sect. III. §. II.

SCH. III. Sed quoad *primum* nego consequentiam. Actus paciscendi ab ipso iure naturae non praescribitur. Sequitur inde, natu-

naturam nos non obligare ad pacta, quae celebrauimus, seruanda? Cessante hacce ratione cessat quoque *secunda* atque *tertia*. Quod *ultimum* attinet, concedo quidem, in legislatoris esse potestate, alicui in foro ciuili deuegare coactionem, sed contradictionem inuoluit; obligationem naturalem quoad forum conscientiae inefficacem facere. Sed haec pro scopo satis.

§. IV.

His praemissis, manifestum est, vnicum solummodo *Tertia defunditur.* possibilem esse casum, quo vera legum posituarum cum naturalibus concipitur collisio, si nimirum tales concurrant circumstantiae, ob quas praestatio eius, quod per leges posituias fieri debet, iis, ad quae praestanda natura nos obligat, repugnat. Posito hocce statu veram adesse legum collisionem, patet ex §. 2. obs. 28.

§. V.

Sed quid eiusmodi in legum collisione iuris? respon- *Regula eius-*
deo, *legem naturalem esse praefendam.* Ratio decidendi *modi in colli-*
haec est. Si leges subordinatae sint in collisione, ea lex *sione obser-*
praeferri debet, cui altera subordinata est (§. 12. obs. 28.). *uanda praes-*
Enimuero leges posituae inter eas referri debent, quae na- *scribitur.*
turalibus sunt subordinatae (§. 10. & 16. obs. 19.). In collisione itaque legis posituae cum naturali lex naturalis posituae praeferri debet.

SCH. Huc pertinent solenne illud Ictorum: *omnia mandata Principis putanda iustitiae consentanea*, & quae Per-III. ab LEYSER a), verbis, quae sequuntur mouit: „Lex iniusta, id est, „iuri naturae repugnans, ciuem plane non obligat, sed is tamen, „qui ei morem gerit, non peccat. Ad id scilicet, vt obligatio „a superiore inducatur, duo necessaria sunt, ius nempe aliquid „inferioribus imperandi, & potestas malum his, qui contraue- „niunt, repraesentandi. Quodsi primum deficiat, alterum vero „adsit, non obligatio nascitur, sed coactio est. Princeps autem, „qui iniusta praecipit, ius ea imperandi nullum habet, & pro- „pterea ciues quoque ad obediendum non obligat. At quia ma-

„lum minatur his, qui morem non gerant, cogit. Itaque ci-
 „uis, si eludere iniustam huiusmodi legem atque sine periculo
 „vitae ac honorum obsequium derectare queat, non peccat sed
 „recte facit. At si intelligat, se, nisi obtemperet, malum mul-
 „ctatum iri, non peccat quoque, si id, quod iustum est, faciat. Cum
 „enim salus sua & incolumitas secundum rectam rationem vni-
 „cuique praecipua sit, & lex naturae in casu necessitatis, ubi sci-
 „licet aliter salui esse non possumus, quidlibet facere permittat,
 „licebit utique perniciem suam exequendo iniusta Principis man-
 „data evitare, nisi tamen tam atrox sit factum, quod praecipi-
 „tur, ut satius sit, vitam suam perdere, quam id perpetrare.”
 Et quae sunt reliqua.

a) in Medic. ad Pandect. Vol. I. Spec. VII. med. IX.

§. VI.

*Quae nullo
 in casu ex-
 ceptionem
 admittit.*

Nec eo quidem in casu, quo leges diuinae positivae
 cum naturalibus colliduntur, haecce regula admittit exce-
 ptionem. Cum vis hostilis in sabbatho Iudaeis immineret,
 an quiescendum esset, an vero arma sumere liceret, grauius
 ambigebatur. In collisione erant duae leges, *vna* naturae,
 se suosque a vi iniusta & crudeli defendere; *altera* exactam
 sabbatho ab omni alio opere abstinentiam praecipiens. Prae-
 ualuit tamen sententia, quae legem naturae legi positivae an-
 teferebat a). Recte itaque GROTIVS b) monuit: Leges
 Dei, quanquam generaliter prolatas, tacitam habere exce-
 ptionem summae necessitatis.

a) I. Maccab. II. 36. ff. IX. 44. Alia exempla vid. Matth. XII. 4.
 & 11. Luc. XIII. 15. Iohan. VII. 23.

b) Lib. I. Cap. IV. §. VII. Conf. RYFENDORF Lib. V. XII. §. XXII.
 & THOMASIVM in Iurispr. diu. Lib. II. Cap. II. §. 143. ff.

OBSER-

OBSERVATIO XXXI.

DE
COLLISIONE LEGVM POSITIVARVM
INTER SE.

§. I.

Leges positivae, quae inter se colliduntur, aut sunt eiusdem collegii vel civitatis, aut diversorum collegiorum diversarumque civitatum. *Huius collisionis duas poni possunt species,* *Ihud* fit, quando duae vel plures eiusdem legislatoris adsunt leges, quibus ob circumstantiarum concursum eodem loco & tempore simul satis fieri nequit. *Hoc* fit, quando leges contrariae, quae in diversis collegiis valent, aut a diversis legislatoribus dependent, obuiam in casu ea ratione concurrunt, ut quaestio ponenda: quae nam lex in diiudicanda controversia praeferrī debeat a).

a) vid. HERTIVM in Diss. de legum collisione Sect. IV. §. I. & II.

§. II.

Primam eiusmodi legum collisionis speciem hic mittamus. Quae enim hac de re dicenda partim ex iis, quae obs. 22. de interpretatione, partim ex iis, quae obs. 28. de collisione legum generatim exposuimus, cognoscuntur. Inquiramus modo in principia, quae determinant, quomodo in casu secundo, quo leges positivae colliduntur, exceptio sit instituenda. Evoluturus ea, quae hac de re anxie non minus quam varie disputaverunt doctores, a) facile perspiciet, eos legum collisionem, quae adparet, ab ea, quae vere adest, non satis secreuisse. Inde fluunt regulae, quas posuerunt, inter se non cohaerentes, & limitationibus, quas addiderunt, fere destructae. Primum itaque, rem systematice compositurus, characteres casuum, in quibus nulla est legum positivarum collisio, nisi apparenter determinare, & deinde ipsis ex rerum notionibus regulas, secundum quas in
vera

vera eiusmodi legum collisione exceptio instituenda, eruere debeo.

a) vid. HERTIUM l. c. §. III. & ZIEGLERUM in dictione, siue libro de officio iudicis.

§. III.

Casus in quo LL. collisione solum adparet valde primus.

Prima thesis illius ratione notanda haec est: *In quocunque casu non est quaestio iuris, sed quaestio facti, eo quoque in casu, qua tali, nulla est legum collisio.* Posita enim vera legum collisione ponenda est quaestio, quid obuium in casu secundum leges faciendum (§. 2. obs. 28.). Enimvero quaestio, quid obuium in casu secundum leges faciendum, est quaestio iuris. Quo itaque in casu nulla est quaestio iuris, eo quoque in casu nulla est legum collisio. Quaestio facti non est quaestio iuris. Quo itaque in casu quaestio, quae ponitur, solum est quaestio facti, eo quoque in casu, qua tali, nulla concipi potest legum collisio.

*SCH. Obseruandum hoc est contra illos, qui v. g. in casu, qui sequitur, quaerunt legum collisionem: *Testator quos ab intestato habiturus erat heredes scribit; iam quaeritur, an scripti intelligantur, quos vocat lex, ubi defunctus domicilium habuit, an quibus loci cuiusque, ubi bona hereditaria sita sunt, iura fauent? a)* Quum enim quaestio, quae hoc in casu ponitur, non sit iuris sed facti; quinam nimirum ex voluntate testatoris sit heres? manifestum est, nullam hoc loco esse legum collisionem sed adparentem. Sit porro conditio contractui adiecta in Belgio, quae debitori in Germania existente adimpleretur, & iura vtriusque sint diuersa; responsio ad quaestionem: quae praeualebunt? non erit deducenda ex legum collisione, sed pactorum interpretatione & quae sunt reliqua.

a) Conf. HERTIUS l. c. §. 24.

§. IV.

Confessarium.

Sequitur inde, *controuersiam, quae eiusmodi in casu, in quo nulla est quaestio iuris sed quaestio facti, oritur, diiudicaturum minus adcurate ad eas prouocare leges, quae, quid in legum*

legum collisione faciendum, determinant, sed ad regulas interpretationis promovendum esse.

SCH. Sic in casu primo, quem Schol. §. 3. posuimus, tota res dependet ab interpretatione voluntatis, quam testator declaravit. Is itaque in dubio fiat heres, quem testator secundum statutum loci, ubi habitavit, heredem ab intestato vocare potuit (§. 14. ff. obl. 22.).

§. V.

Secunda thesis sit haec: *Si altera legum, quae in collisione esse videntur, altera remota obvio in casu non sit obligatoria: eo quoque in casu nulla erit legum collisio.* Quum enim ^{Casus illius character secundus.} lex eo in casu, quo, quatenus in se spectatur, non obligat, non habeat naturam legis (§. 3. obl. 18.); sequitur, eo in casu, in quo altera legum, quae in collisione esse videntur, altera remota non sit obligatoria, non concurrere plures leges. Enimuero ubi non est plurimum legum concursus, ibi quoque nulla est legum collisio (§. 2. obl. 28.). Nulla itaque eo in casu est legum collisio, in quo altera legum, quae in collisione esse videntur, altera remota non sit obligatoria.

SCH. Sit v. gr. casus, quem posuit HERTIVS a): *Legaticusdum comes moritur in loco legationis, ubi fecit testamentum, sed non secundum statuta illius loci, nec secundum leges patriae; quaeritur, an testamentum subsistat, si voluntas eius saltem per scripturam probari possit?* Decisio erit in promptu, eiusmodi nimirum testamentum subsistere, si voluntas testatoris per scripturam possit probari. De eiusmodi enim testamenti valore ex iure naturali solum iudicandum est, & nulla hoc in casu est legum collisio. Leges, quae in loco legationis valent, non concurrunt. Quia comites legatorum eodem gaudent iure, quo gaudent legati, hi vero legibus illius civitatis, in qua moram trahunt, non sunt subiecti b). Nec concurrunt leges reipublicae, quae legatum misit, quia extra eam testamentum illud conditum est. Ponamus illustrationis causa alium casum: *Summus imperans, non qua talis, sed ut quisvis alius contrahit vel testatur, quaeritur,*

R r

an

an actus eius alligetur ad leges ciuiles, an solo iure naturae regatur? Respondeo, solo iure naturae regitur. Leges ciuiles hic non possunt concurrere, quae summum Imperantem nulla ratione obligant (obs. 20). Non est, vt cum HERTIO c) GRO-TIO d) aliisque dicas, summum Imperantem solum, qua talem, legibus ciuilibus solutum esse, non vero quoad eos actus, quos non vt summus Imperans, sed vt quiuis alius celebravit, quia eiusmodi actuum ratione vt pars ciuitatis spectari debet. Nulla enim est consequentia. Quum enim fieri non possit; vt legislator se ipsum obliget (§. 2. & 12. obs. 19.): & quum subditi legislatorem obligare nequeant; manifestum est, omnes omnino summi Imperantis actus legibus ciuilibus solutos esse. Sed de hoc suo loco plura.

a) l. c. §. XXXI.

b) conf. GROTIUS I. B. & P. Lib. II. Cap. XVIII. §. 4 & 8.

c) l. c. §. XXXII.

d) l. c. Lib. II. Cap. IV. §. 19. & cap. XIV. §. 6. conf. PUFENDORF de I. N. & G. Lib. VIII. Cap. X. §. IV.

§. VI.

Confiderandum.

Regulas itaque, secundum quas in legum positiuarum collisione exceptio instituenda positurus, omnes remouere debet casus, in quibus non est quaestio iuris sed facti (§. 3.), & in quibus de eiusmodi legibus sermo est, quae eo in casu, qui ponitur, quatenus in se spectantur, non sunt obligatoriae (§. 5.). Quo facto, facile erit regulas generaliores formare, secundum quas obuia in legum positiuarum collisione pronuntiandum.

§. VII.

Leges positivae diuiduntur in simpliciter imperativas & eas, quae non simpliciter imperatiuis sunt.

Haec quo formare possimus regulas, primo notandum esse censeo, *leges positivas* in tales diuidendas esse, *quae simpliciter imperatiuae*, & tales, *quae non simpliciter imperatiuae* sunt. *Illius generis* leges sunt, quae aliquid faciendum vel omittendum praescribunt, cuius oppositum in ciuitate, in qua lex illa valet, nulla ratione subsistat. *Huius vero generis* leges sunt, quae solum determinant, quid iuris eo in casu, quo diuersum a mortalibus non dispositum est.

SGH.

SCH. Sic leges iuris ciuilibus, quae modum ab intestato succedendi determinant, non sunt simpliciter imperatae, nobis enim libertatem, vt diuersum testamento aut pacto disponere possimus, relinquit. E contrario statutum v. gr. vltraiectionum, vi cuius coniux coniugi proprietatem testamento dare non potest, est lex simpliciter imperata.

§. VIII.

Porro distinguimus casum, quo non nisi executio, ab eo, quo iuris concessio petitur. In illo iura iam sunt ad- Porro distinguatur petitio executionis a petitione iuris, quisita, & petitur solum, vt inuitus compellatur ad id, quod debet, praestandum. In hoc vero ponitur quaestio praeiudicialis, an alicui ius, quod in iudicio persequi cupit, concedendum.

SCH. Fiscus e. gr. Hispaniae merces in Brasilia contra leges venditas & in Angliam delatas vindicans in Anglia non iuris concessionem sed executionem solum petit.

§. IX.

Tandem ex iure publico vniuersali notandum est, 1) legislatorem bonis extra territorium sitis, non dicere ius, sed solum bonis in territorio sitis. 2) Leges ciuiles solum obligare ciues subditos, extraneos vero eorumque bona mobilia, quae in territorio sunt, subesse solum iuri territoriali, ne nimirum per ea aliquid in praeiudicium ciuitatis fieret (§. 670. ff. I. N.). Tandem lemmata quaedam in l. I. V. ponuntur.

§. X.

His praemissis facile erit determinare regulas, secundum quas si leges, quae in diuersis valent ciuitatibus, colliduntur, exceptio sit instituenda. *Prima sit haec. Quicquid legibus simpliciter imperatiuis repugnat, id ea in ciuitate, in qua lex illa valet, fieri nequit.* Huius veritas immediate patet ex definitione de legibus simpliciter imperatiuis §. 7. data. Regularum, secundum quas exceptio in collisione legum posituarum instituitur, prima.

§. XI.

Confidarium.

Sequitur inde, *eo in casu, in quo lex civitatis, in qua quaestio movetur, simpliciter imperativa cum lege alterius curusdam civitatis est in collisione, secundum legem illam simpliciter imperativam pronunciandum esse.*

SCH. Illustrationis causa ponamus casum ab HERTIO a) adlatum. Statuto ultraiectino simpliciter imperativo non potest coniux coniugi proprietatem testamento dare; iam quaeritur: an hollandis coniugibus fas sit inuicem relinquere bona in territorio ultraiectensi sita? Respondeo negando, quia lex simpliciter est imperativa, & statutum ultraiectinum eiusmodi bonis in territorio sitis dicat ius (§. 9.).

a) l. c. §. XLIII.

§. XII.

Secunda.

Secunda est: *Lex civitatis simpliciter imperativa de aliis bonis, extra illud territorium sitis, disponentem non ligat.* Lex enim disponentem de eiusmodi bonis, quibus non dicat ius, non potest ligare. Enimvero lex bonis extra territorium sitis non dicat ius (§. 9.). Ergo & lex civitatis simpliciter imperativa de aliis bonis, extra territorium illud sitis, disponentem non ligat.

SCH. Sic, si quaeratur, anposito illo statuto ultraiectino coniuges ultraiectenses sibi inuicem relinquere possint res extra territorium ultraiectense sitas? respondendum erit affirmando. Quia lex illa simpliciter imperativa de eiusmodi bonis disponentem non ligat. Idem valebit eo in casu, quo coniuges aduenae in territorio ultraiectensi secundum iura patriae suae se inuicem simpliciter in bonis suis heredes instituunt a).

a) vid HERTIVM. l. c. §. XLII.

§. XIII.

Tertia.

Tertia est: *Eo in casu, quo adquisitio iuris a qualitate personae dependet, qualitas haec secundum statuta civitatis, cui eiusmodi persona subiecta est, diiudicari debet.* Ponamus adquisitionem iuris dependere a qualitate personae; manifestum

stum erit, quaestionem hoc loco mouendam esse, an quis talem habeat statum, in quo secundum leges ciuitatis, in qua quaestio mouetur, iura, de quibus sermo est, possit percipere. Ea itaque quaestio diiudicanda est secundum leges, quae de statu alicuius possunt disponere. Enimuero eiusmodi leges non sunt nisi leges ciuitatis, cui ille subiectus est (§. 9.). Eo itaque in casu, quo adquisitio iuris a qualitate personae dependet, qualitas haecce secundum statuta ciuitatis, cui eiusmodi persona subiecta est, debet diiudicari a).

SCH. I. Illustrationis causa addamus casus ex HERTIO b).

Primus. Aetas, quae iure minorum gaudet, varie definitur. Iam quaestio est, cuius loci iura intueri debeamus? Non nulli respondens, ubi controuersia tractatur. Sed falsum est. Iura domicilii hic praeferenda sunt.

SCH. II. Secundus. Titius adolescens veniam aetatis impetrat a suo Principe, sed in extero postea loco contrahit; quaeritur, an laesus restitutionem in integrum petere possit, quia secundum huius statuta, sine venia aetatis nondum maiorennis esset? Respondeo negando. Ea enim in ciuitate, cui subiectus, pro maiorenni habendus est.

SCH. III. Tertius. Princeps sibi subiectum iure legitimorum natalium donat, quaeritur, an hic vbique pro legitimo habeatur? Respondeo affirmando. Si vero alterius subditum legitimeret, respondendum erit negando. Quia de statu alterius subditi extra territorium non potest disponere.

SCH. IV. Quartus. In Anglia legitimationi per subsequens matrimonium locus non est. Iam quaeritur, an filius, quem pater ante legitimum connubium in Anglia genuerat, succedere possit patri huic naturali in bonis extra Angliam sitis, eo in loco, in quo legitimatio per subsequens matrimonium valet, & liberi illegitimi in bona patris naturalis non succedunt? Respondeo negando. Et quae sunt reliqua.

a) Conf. HUBERVS in L. vniu. Lib. III. Cap. X. n. 35. ff.

b) l. c. §. XI. ff.

§. XIV.

Moenium.

Vnicum adhuc occurrit, quod suspensum tenere aliquem possit. Satis, ut opinor, demonstraui, eo in casu, quo adquisitio iuris a qualitate personae dependet, hancce qualitatem secundum statuta ciuitatis, cui eiusmodi persona subiecta est, diiudicandam esse. Sed sensus regulae videtur ambiguus, vtrum nimirum sermo sit de ea qualitate, quam habere debet iura in ea ciuitate, in qua quaestio mouetur, an de ea qualitate, quam habere debet, iura in ciuitate, cui subiectus est, adquisiturus? Intellego priorem. Hoc non ex demonstratione solum, qua principium illud corroborauit, sed & ex eo, quod sequitur, patet. Nimirum qui diiudicare cupit, an Caius vbiua in ciuitate ea, de quibus sermo est, acquirere possit iura; is ita ratiocinatur:

Qui talem habet qualitatem, ei per leges nostrae ciuitatis talia concedi possunt iura.

Atqui Caius talem habet qualitatem.

Ergo Caio per legem nostrae ciuitatis talia concedi possunt iura.

Ex quo satis intelligitur, hoc loco non esse sermonem de ea qualitate, qua is instructus esse debet, qui per leges ciuitatis, cui subiectus est, aliquid acquirere potest; sed ea, qua instructus esse debet, qui per leges ciuitatis, in qua obuia mouetur quaestio, aliquid acquirere cupit. Sit illustratiois causa casus: *Titia in Hollandia moritur, & ibidem opulentam relinquit hereditatem, soror eius monialis in Brabantia (vbi omnes successiones sunt incapaces), vult succedere; quaeritur num possit in Hollandia, quae communi iure vitur?* HERTIVS negat, a), quia persona sororis in loco domicilii omnis hereditatis adquirendae incapax declarata, quasi pro mortua habetur. Sed primo nego consequentiam, non enim quaestio est, vtrum persona illa sororis tales habeat qualitates, quibus instructa esse debet, hereditatem in Brabantia adquisitura, sed an tales habeat qualitates, per quas hereditatem in Hollandia potest acquirere. Secundo moneo, decisionem illam ne cum iis quidem congruere principiis, quae ipse

ipse HERTIVS corroboravit. v. gr. §. XV. l. c. affirmat, illegitime natum, qui ea in ciuitate, cui subiectus est, ad successionem non admittitur, alia in ciuitate, in qua leges etiam illegitime natis patri naturali succedendi concedunt ius, ad successionem admittendum esse. Porro, §. XXXVII. legislatorem praediis extra territorium sitis non dicare ius. Et quae sunt reliqua. Quae cum ita sunt, affirmando respondendum esse, censeo.

a) l. c. §. XIII.

§. XV.

Regula quarta est: *Eo in casu, quo acquisitio iuris a qualitate rei dependet, qualitas haec secundum statuta ciuitatis, in quarta cuius territorio res illa sita est, diiudicari debet.* Eadem enim ratione, qua §. 13. argumentati sumus, manifestum est, qualitatem illam secundum eas diiudicandam esse leges, quae rei, de qua sermo est, ius dicare possunt. Quare, quum legislator bonis extra territorium sitis non dicet ius (§. 9.); sequitur eo in casu, quem posui, qualitatem rei secundum statuta ciuitatis, in cuius territorio res illa sita est, diiudicandam esse.

SCH. Hancce regulam illustrat casus, quem HERTIVS l. c. §. XXXVII. posuit. *Quantitas legitima variat in locis, ubi bona sita sunt, ex quibus legitima debetur; an igitur singulorum locorum iura spectanda?* Affirmo, quia eiusmodi acquisitio qualitatem rei spectat, ideoque secundum statuta loci, in quo res illa sita est, diiudicanda.

§. XVI.

Regula quinta est: *Eo in casu, quo acquisitio iuris a qualitate facti dependet, res secundum statuta loci, quo actus ille celebratus, debet diiudicari.* Quum enim acquisitio iuris solum a qualitate facti dependeat; sequitur, quaestionem hoc loco mouendam esse, an actus legibus conuenienter sit celebratus. Res itaque secundum eas leges diiudicari debet, quae actui formam praescribere possunt. Enimuero eiusmodi leges non sunt, nisi leges loci, quo actus celebratur (§. 9.).

(§. 9.). Obuia ergo res secundum statuta loci, quo actus celebratus est, diiudicari debet.

SGH. Sic tabulae aperiendae iuxta legem loci, in quo aperiuntur. Honoraria constituenda pro fori consuetudine, vbi iudicium peragitur. Matrimonium iuxta solennitates loci alicuius, vbi sponsus & sponsa commorabantur, contractum non potest praetextu illo rescindi, quod in domicilio aut patria mariti aliae solennitates obseruentur. Et quae sunt reliqua *a)*. Notatu digna hoc loco sunt verba *GROTII b)*. *Vbi, inquit, de forma testamenti agitur, spectandum toci morem, in quo testamentum fit, recepta ab eruditis, & usu omnium Gentium confirmata sententia est, Item tale testamentum vim suam ubique exserere non minus constat, idemque seruari, etiamsi aduena in loco peregrinationis suae testatus fuerit. Et alio in loco c): Ex Cap. CCXCIII. Statut. Parisiens. videtur responderi posse, vbi de forma, siue solennitate testamenti agitur, respici locum conditi testamenti; vbi de persona, an testari possit, ius domicili; vbi de rebus, quae testamento relinqui possunt vel non, locum domicili in mobilibus, & in rebus soli situm loci.*

a) vid. *HERTIUM* l. c. Sect. IV. §. X.

b) Epist. ad Fratrem 464.

c) Epist. 467.

§. XVII.

Conse-
rium pri-
imum.

Conclude hinc instar corollariorum: primo. *Si quaestio de obligationibus, quae ex contractu nascuntur, moueatur, res diiudicanda secundum leges loci, vbi contractus celebratus est.*

SGH. I. Sit e. g. casus: Praestanda sunt aliqua ex contractu, quae postea acciderunt v. g. propter culpam vel moram, quaeritur, cuius loci leges, si discrepent, intueri debeamus? Quidam ad locum iudicii, quidam ad locum destinatae solutionis respiciunt. Sed respondeo cum *HERTIO a)*. obligationes culpa vel morae ex contractu oriuntur, ergo spectandae sunt leges loci, vbi contractus est celebratus. Porro. *Conditio contractui est adiecta in Belgio, quae debitore in Germania existente adimpletur, si vero diuersa vtriusque sint iura, quaeritur, quae praeualebunt? Decisio*

cx

ex eo, quod posui, principio dependet, ideoque Belgii respondendum est.

SCH. II. Ponamus illustrationis causa alium casum, in quo diuersae concurrunt regulae: *Contractus fit in alio loco, in alio confirmatur; quaeritur, cuius loci leges, si discrepent, inspiciendae?* Si confirmatio probationis gratia accedat, manifestum erit ex principio in commate posito, leges loci, vbi contrahitur, spectandas esse. Sin confirmatio accedat, vt contractus sit validus, ex §. 16. patebit, iura loci, vbi confirmatur, praeualere.

SCH. III. GROTIUS b) ad casum, qui sequitur: *contractus fit per litteras; quaeritur, an mittentis litteras, an illius, ad quem eae mittuntur, locus sit inspiciendus?* respondet, contractum ea ratione celebratum solo iure gentium regi. Sed quia contractus non acceptantem sed promittentem obligat, & hac ex obligatione ratione acceptantis oritur ius, nobis ob regulam in commate positam videtur, iura loci, vbi est is, qui promittit, inspicienda esse.

a) l. c. §. LIII. ff.

b) L. B. & P. Lib. II. Cap. XI. §. V.

§. XVIII.

Secundo: *In instrumentis conscribendis respiciendum est ad leges loci, vbi conscribuntur.* *Secundum.*

SCH. Ponamus v. g. in loco, vbi contrahitur, charta sigillata non esse opus, eandem vero eo in loco opus esse, vbi, qui ex contractu tenetur, conueniendus; hoc posito, quaeritur, an cum efficacia possit agi, si contrahentes huiusmodi charta non fuerint vsi? ex regula, quam demonstraui, affirmo a).

a) vid. HERTIUM l. c. §. LIX. conf. STRYCK de cautel. contract. Sect. I. Cap. VI. §. 24.

§. XIX.

Tertio: *Si quaestio mouetur de poena delinquenti irroganda, iura loci, vbi delictum illud commissum est, spectanda sunt, si nimirum eo in loco delictum terminetur, si vero eius-* *Tertium.*

Ss

modi

modi delicti termini in alieno ponantur territorio, ad huius quoque loci leges respiciendum erit.

SCH. Caius v. g. extra patriam delinquit, ita, vt delictum in loco, vbi commissum, terminetur, & punitur: quaeritur, an, si grauior poena huic delicto in patria sit constituta, quod deest illi poenae, suppleri ibidem possit? Respondeo ex regula illa negando. *E contrario* Caius, qui domi vxorem habens adulterium in peregrinis terris commisit, & secundum huius loci statuta poena affectus, domum reuersus poenae ibi vsitatae iuste subiicitur, quia delictum non in loco, vbi commissum, sed in patria terminatur a).

a) vid. HERTIVM l. c. §. XIX.

§. XX.

*Regula
sexta.*

Haec de ea legum collisione, in qua de acquisitione iuris quaestio mouetur. Sequitur ea, in qua nuda petitur executio. vid. §. 8. Huius rei causa notanda est *regula sexta*, quae sequitur. *eo in casu, quo nuda petitur executio, non inspiciendae sunt leges loci, vbi executio petitur, sed leges loci, vbi iura acquisita sunt.* Quum enim executio non sit, nisi actus, quo victus compellitur inuitus ad id, quod ex sententia debet, praestandum (§. 1214. Inst. iurispr. priuatae); manifestum est, eo in loco, vbi non nisi executio petitur, non mouendam esse quaestionem iuris, sed id solum ad actum deducendum, quod quis in loco, vbi ius acquisitum est, petere potuit. Satis itaque patet, eo in casu, quo nuda petitur executio, non inspiciendas esse leges loci, vbi executio petitur, sed leges loci, vbi iura acquisita sunt (§. 9.).

SCH. Illustrari haec regula potest casu, quem Schol. §. 8. posui. Addamus alium casum ex HERTIO l. c. §. XXXVIII. Mores aut leges alicubi natu maiori praerogatiuam in succedendo concedunt; iam quaeritur, an hoc porrigatur ad bona, in alio territorio sita, vbi nihil praecipui primogenito competit, contrarium tamen non statutum est? Respondeo cum HERTIO affirmando. Quum enim ius illud natu maiori in loco domicili iam sit quaesitum, in loco vero rei sitae contrarium non sit statutum.

turum; manifestum est, in loco rei sitae faciendam solum esse executionem, ideoque non huius sed illius loci iura respicienda esse.

§. XXI.

Non-nullorum quidem sententia est *a)*, in executione *Obiectio & responsio.* facienda eum spectandum esse locum, ubi fiat executio, quia executio pertinet ad ius publicum, quod ex legibus propriis cuiusque ciuitatis constat. Sed negamus consequentiam. Distinguamus executionem a modo executionis. Huius ratione iura & mores loci, ubi executio fit, spectanda esse concedimus. Sed hoc non ambigitur. Sermo est de ipsa executione. Et de hac valet regula §. 20. demonstrata.

a) vid. HERTIVM l. c. §. LXXIII.

OBSERVATIO XXXII.

Ad §. 140.

DE

CONTROVERSIIS CIRCA PRINCIPIVM
IVRIS NATVRALIS PRIMVM.

§. I.

Primum iuris naturalis principium in controuersiam deductum esse, notum est. Vt breuiter & liquido de tota *Ratio insiti.* controuersia Lectori constet, ante omnia rite formandum esse puto statum controuersiae. Et primo omnium quidem constare debet, quo sensu hoc loco *ius naturae & principium* sint sumenda. His determinatis, parum aberit, quin totam illam controuersiam ad logomachias pertinere contenderem. Manifestum enim inde erit, neminem fere ad excolendam iuris naturalis disciplinam accessisse, qui non ex cogitandi noui principii, & aliorum hypotheses destruendi, sibi necessitatem impositam esse crediderit. Et hac ex causa eisdem verbo diuersas tribuisse notiones doctores, aliorumque

§ 2

con-

conceptus certis vocabulis expressos alio quasi modulo esse
 mentos. Inde æquiuocatio, foecunda controuersiarum ma-
 ter, quæ inani strepitu fallit incautos, atque efficit, vt quæ
 verbis congruit oratio, sententiis discrepet, & quæ diuersa, ac
 quodammodo contraria formula exprimitur, reipsa conue-
 niat o).

a) Conf. FRIDERICI ALEXANDRI KVNHOLDI orat. de Lo-
 gomachiis circa principium iuris naturæ. Lipsiæ 1723. hab.

§. II.

*Prima dif-
 sensus caus-
 sa est diuer-
 sa i. n. signi-
 ficatio.*

Atque hæc in primis in controuersis de iuris naturæ
 principio obseruanda sunt. Qui enim de iuris naturalis, at-
 que principii notionibus non consentiunt, iisque diuersam
 tribuunt significationem, eos varia etiam iuris naturalis prin-
 cipia ponere necesse est. Quod enim ius naturale attinet,
 notum est ex obseruatione III, hocce aliam habere signifi-
 cationem, quatenus *subiectiue*, aliam, quatenus *obiectiue* su-
 matur. *Illud* nimirum esse, stimulos essentielles, qui nos du-
 cunt ad id, quod essentiae existenti conuenit, *hocce* vero
 propositiones rerum ex notionibus collectas, ad quarum
 præscripta actiones instituere debemus. *Alii* itaque, qui
 in principium iuris naturalis inquirunt, principium stimulo-
 rum naturalium, *alii* principium illarum propositionum spe-
 stare possunt.

§. III.

*Altera di-
 uersa prin-
 cipii signifi-
 catio.*

Quodsi ad diuersas *principii* significationes accedamus,
 non minus eas pluribus circa principium Iuris naturalis lo-
 gomachiis ansam præstare possunt. Metaphysici principium
 diuidunt in *essendi*, *fiendi* & *cognoscendi*. *Illud* continet ra-
 tionem, per quam aliquid vt tale possibile est. *Illud* conti-
 net rationem, per quam aliquid vt tale existit. Et *hoc* conti-
 net rationem, per quam aliquid vt tale cognoscitur. Fie-
 ri itaque potest, vt *alii* de principio iuris naturalis *essendi*
alii de principio iuris naturalis *fiendi*: *alii* de principio iu-
 ris naturalis *cognoscendi* dicant.

§. IV.

§. IV.

Sex itaque sunt quaestiones, quae huius rei causa poni possunt. *Prima* de iuris naturalis subiectivae summi principio effendi. *Secunda* de iuris naturalis subiectivae summi principio fiendi. *Tertia* de iuris naturalis subiectivae summi principio cognoscendi. *Quarta* de iuris naturalis obiectivae summi principio effendi. *Quinta* de iuris naturalis obiectivae summi principio fiendi. *Sexta* de iuris naturalis obiectivae summi principio cognoscendi.

*Inde sex de-
scendunt
quaestiones,
quae distin-
guendae.*

§. V.

Ad singulas generatim responsuri sumus. Quod *primam* Generativae adinet, vnde nimirum possibile sit, ut ipsa essentia nos ad ea ducat, quae essentiae nostrae convenientia; manifestum est, hoc esse ipsam rei essentiam, seu conceptum primum. Stimuli enim illi naturales sunt conatus ipsa essentia existente constituti (§. 3. obs. 3.). Per ipsum itaque conceptum rei primum sunt possibiles.

*respondetur
ad quaestio-
nem pri-
mam.*

§. VI.

Quoad *secundam*, vnde nimirum eiusmodi stimuli sint existentes? patet, hoc esse ipsam essentiae existentiam, quae dependet a Deo. Sunt enim conatus essentiales, ideoque ipsa essentia existente excitati. Hancce vero essentiae existentiam a Deo dependere, ex iis manifestum est, quae Theologia naturalis de creatione docet.

*ad quaestio-
nem secun-
dam.*

§. VII.

Quoad *tertiam*, vnde nimirum stimuli illi naturales & ea, ad quae nos ducunt, a nobis possint cognosci? respondeo hoc esse experientiam atque rationem. Illa nimirum eiusmodi stimulorum sensationes docet, & haec rerum in notiones inquirat, & ex hisce eiusmodi stimulorum scopum atque finem infert.

*ad quaestio-
nem terti-
am.*

§. VIII.

ad quæstio-
nem quartam.

Quoad *quartam*, vnde nimirum leges naturales, seu tales propositiones rerum ex notionibus inferendae, quæ nos ad aliquid agendum vel faciendum obligant, sint possibiles? iterum manifestum est, hoc esse ipsas rerum essentias, seu conceptus primos. Quod demonstratione, qua §. 20. obf. 19. vñ sumus, corroborari potest.

§. IX.

ad quæstio-
nem quin-
tam.

Quoad *quintam*, vnde nimirum eiusmodi propositiones actu obligent? respondeo, hoc esse ipsam rei naturam seu essentiam existentem, quæ dependet a Deo. *Primum* patet ex demonstratione, qua principium §. 5. obf. 17. corroboravi, & alterum ex doctrina de creatione manifestum est.

§. X.

Et ad sex-
tam.

Quoad *sextam* tandem, vnde cognoscendum obuium factum esse tale, ad quod faciendum vel omittendum natura nos obligat, respondeo, hoc esse ipsam perfectionis notionem. Quicquid enim est tale, quod aliquid de iis remouet, quæ per essentiam nostram poni possunt, id est tale, ad quod omittendum natura nos obligat. Et quicquid est tale, quod non possumus omittere, nisi aliquid de iis remoueamus, quæ per essentiam nostram poni possunt, id est tale, ad quod faciendum natura nos obligat (§. 39. ff. obf. 19.). Ipsa itaque perfectionis notio obuium ad casum accommodata nos docet, ad quæ facienda vel omittenda natura nos obligat.

SCH. Scholastici principium cognoscendi in principium ex quo, & per quod diuidunt. Per illud intelligentes id, ex quo aliquid inferre atque deducere, per hoc vero facultates, quarum ope, quæ in illo latent, euoluere possumus. Hac posita diuisione manifestum est, nos, qui ipsam perfectionis notionem principium iuris naturalis cognoscendi vocamus, intelligere principium

pium cognoscendi ex quo, si vero sermo sit de principio iuris naturalis cognoscendi per quod, hoc esse rationem subiectiue nimirum sumtam.

§. XI.

Tertia dissensus, de quo dixi, causa est diuersa iuris naturalis systematice sumti significatio. Sumitur enim hicce terminus ab aliis generatim, ab aliis speciatim & significatione quadam restricta. Si *illud*, ius naturae est scientia, quae rerum ex notionibus ea, quae bona atque mala, seu iusta atque iniusta sunt, infert (§. 8. obs. 3.). Si *hoc*, scientia, quae rerum ex notionibus ea infert, quae in determinata quadam relatione bona atque mala, seu iusta atque iniusta sunt.

Causa dissensus tertia explicatur.

§. XII.

Hoc posito, iterum manifestum est, quaestionem de primo principio cognoscendi iuris naturalis obiectiue sumti, ex quo ius naturae systematice acceptum componitur, aut scientiam iuris naturalis generatim, aut scientiam iuris naturalis speciatim acceptam spectare.

Huius ratione iterum duas quaestiones distinguendas sunt.

§. XIII.

Transeo cetera, quae ex dictis per sese fluunt, & ab unoquoque intelligi possunt. Eam modo ex dictis eruamus significationem, qua principium iuris naturalis primum a recentioribus sumitur Philosophis, & cuius characteres naturamque in commentibus, quae sequuntur, sumus explicaturi. Intelligunt nimirum primum principium cognoscendi scientiae iuris naturalis generatim acceptae. Tria huius ratione monenda veniunt. *Primum*, quinam sint eiusmodi principii characteres essentiales? *Alterum*, an eiusmodi principio sit opus. *Tertium*, an ius naturae ex diuersis peti possit fontibus seu principiis primis. De singulis breuiter.

Ea determinatur significatio, quae hodie accipitur.

§. XIV.

§. XIV.

*Quinam
sint eiusmodi
principii
characteres
quorum pri-
mum.*

Essentiales eiusmodi principii characteres breuiter & accurate describit ARISTOTELES *a)* verbis, quae sequuntur: *Oportet scientiam demonstratiuam esse ex veris, & primis, & immediatis & notioribus, & causis conclusionis. Sic enim verum principia domestica eius, quod demonstratur. Secundum huius itaque omniumque fere Philosophorum sententiam, principium illud iuris naturalis debet esse primo verum. Quum enim principium illud sit tale, ex quo satis intelligere possimus, an & cur natura nos ad hoc faciendum vel omittendum obliget (§. 13. 10.): demonstratio vero indirecta eiusmodi cognitionem efficere nequeat (§. 327. P. I Log.); sequitur, vt principium illud tale esse debeat, ex quo leges iuris naturalis directe possint inferri. Enimuero ex falso verum sequi non potest, nisi indirecte, quia eiusmodi demonstratione tantum ostenditur contradictorium esse falsum, vt inde appareat thesin esse veram. Principium itaque illud iuris naturalis verum esse debet.*

a) Lib. I. Anal. poster. Cap. II.

§. XV.

secundus.

Secundus huius principii character est, vt sit primum. Notum est ex metaphysicis principium cognoscendi vocari primum, quod vltimam rationem continet eorum, quae inde inferuntur, & rationem esse vltimam vel absolute vel in certo genere talem, ideoque principium primum cognoscendi esse vel absolute vel certo in genere primum. Est itaque principium cognoscendi absolute primum, ex quo omnes omnino veritates possunt deduci: certo vero in genere primum, ex quo certi tantum generis conclusiones omnes deduci possunt. Si ergo principium illud iuris naturalis sit primum, hic erit sensus: Principium iuris naturalis tale esse debet, ex quo non omnes quidem veritates, sed omnes leges naturales possunt cognosci atque inferri. Sed quaeritur: an principium illud iuris naturalis eiusmodi habere debeat conditionem? respondeo affirmando. Rationem sumo ex ipso eiusmodi prin-

principii scopo. Ex quo manifestum est, principium cognoscendi iuris naturalis primum esse legem naturalem absolute fundamentalem, cui ceterae omnes sunt subordinatae (§. 3. ff. obl. 29.)

§. XVI.

Tertius character est, ut sit *evidens*, id est, notius conclusionibus inde inferendis, & ita comparatum, ut unicuique sanae rationis usu praedito facile pateat. Quod inde sequitur, quia omnium legum naturalium veritas inde dependeat. Si itaque non habeat eiusmodi evidentiam, fieri quoque non poterit, ut ex eo proximae conclusiones clarescerent, & ut haec fierent pariter evidentia principia pro conclusionibus remotioribus. Enimuero hoc scopo repugnabit. Evidens ergo esse debet primum illud principium iuris naturalis. *Tertius.*

§. XVII.

Quartus character est, ut sit *domesticum*, hoc est, principium disciplinae iuris naturalis proprium, ex quo nimirum non aliae inferri possunt leges, quam quae ad ius naturae pertinent, ideoque ad quas observandas naturalis nos ducit obligatio. Quum enim principium illud sit tale, ex quo cognoscendum, an hoc vel illud sit iuris naturalis: & quum hoc fieri non possit, si ex principio illa veritates ad ius naturae non pertinentes fluant; necesse est, ut principium illud ita sit comparatum, ut conclusiones, quae ex eo sumuntur, sint iuris naturalis, ideoque ut sit domesticum. *Quartus.*

§. XVIII.

Immediate inde sequitur *quintus* character, ut nimirum sit principium iuris naturalis *adaequatum*, quod nimirum nec latius nec angustius est iuris naturalis disciplina. Sit enim latius. Consequens erit, plures inde inferri posse conclusiones, quam quae ad ius naturae pertinent. Ergo non est domesticum (§. 17.). Sit *angustius*, manifestum erit, *Et quintus explicatur atque demonstratur.*

T c

omnes

omnes leges naturales ex illo non posse colligi. Ergo non est primum (§. 15.).

SCH. Huic, quam demonstraui, sententiae, omnes fere congruunt, quae in principium iuris naturalis inquisuerunt. Sic v. g. THOMASIVS a): *Per primum, inquit, principium iuris naturalis intelligitur propositio aliqua, sub qua reliqua praecepta iuris naturalis omnia tanquam sub communi axiomate comprehenduntur.* IOH. IACOB. A RYSSEL b) *Per legem fundamentalem intelligo propositionem aliquam generalem, ex qua reliquae leges tanquam conclusiones demonstrantur.* IOH. LAVRENT. FLEISCHER c): *Intelligimus per principium iuris naturalis propositionem primam & generalissimam iuris naturae, quae omnes propositiones legum naturalium, quotquot dari possunt, comprehendit. Et qui sunt reliqui d).*

a) in Inst. iurispr. diu. Lib. I. Cap. IV. §. 2.

b) de iure nat. & Gentium Cap. IV. §. 1.

c) in Instit. Iur. Nat. & Gent. Cap. VI. §. 4.

d) Conf. SAM. de COCCEII de principio iuris naturalis vnico vero & adaequato. LVDOVICI dubia circa hypothesin de principio iuris naturae. SAM. de COCCEII Resolutiones dubiorum circa hypothesin nostram de principio iuris naturae. IOH. WILH. ALITH de primo principio legis naturalis. IOH. ANDR. Knobloch de principio iuris naturae genuino. ANDR. IVL. Dornmeyer de principio primo iuris naturae. IOH. GVIL. IAN. iudicia eruditorum de principio iuris naturalis. NIC. PRAGEMANN de principio iuris naturalis. Et reliqui.

§. XIX.

Haec de prima quaestione sufficient. Sequitur altera §. 13. posita, quae est praeiudicialis, *an nimirum eiusmodi principio cognoscendi primo in iure naturali sit opus.* Primo ad argumenta eorum, qui negant, detur responsio, & deinde affirmando respondendum esse demonstratur. Primum argumentum eorum, qui negant, ex omnibus reliquis scientiis ea, quae sequitur, ratione inducitur. Si nulla ex reliquis disciplinis & ne illae quidem, quae proprie dicuntur scientificae, ex vnica quadam propositione generali, omnes speciales conclusiones illius disciplinae comprehendente deducan-

An eiusmodi principio in iure nat. sit opus? negantium argumentum primum.

ducantur: consequens erit, nullam adesse rationem sufficientem, cur vnice ius naturae ex vnica quadam propositione sit deriuandum. Iam vero antecedens verum est. Quod manifestum est ex Theologia, Iurisprudencia, Medicina, Physica, Mathesi, & quae sunt reliquae. Ergo & verum est consequens.

§. XX.

Respondeo. *Primo* nego consequentiam. Ab altera *Ad quod re-* enim specie ad alteram non valet consequentia, nisi ea ra- *spondetur.* tione, qua plane eandem habent naturam atque qualitatem. *Deinde* nego antecedentis veritatem. Veritas enim omnium propositionum, quae Theologia exhibet, a conuenientia cum Scriptura sacra; veritas omnium propositionum, quas iurisprudencia ea ratione, qua scientia est, docet, a conuenientia cum salute ciuitatis atque ciuium: veritas eorum, quae Physica explicat, a conuenientia cum viribus naturae: veritas principiorum, quae Mathesis ponit, a conuenientia cum notione, quae quantitatum inuestigationem explicat, & quae sunt reliqua, dependet. Ex scientificis itaque eiusmodi disciplinarum perlustrationibus satis patet, principium adesse generale, ex quo cognoscendum, propositiones, ad illas spectantes, vtrum sint verae, an falsae?

§. XXI.

Alterum, quo negantes vsi sunt argumentum, est: Illi *argumen-* omnes, qui diuersa iuris naturalis principia supponunt, in *tum secun-* plerisque conclusionibus consentiunt. Sequitur inde, eius- *dum.* modi principio primo in iure naturali non esse opus.

§. XXII.

Sed iterum *primo* nego consequentiam. Si enim id, *Responde-* quod antecedentis loco positum est, sit verum; inde solum *tur.* inferri poterit, praecepta iuris naturalis & ex hoc & ex illo principio, quod primo loco sumitur, sequi. Posito vero hoc salua manebit thesis, in iure naturali primo aliquo principio opus esse. *Quoad antecedens*, distinguo casum, quo diuer-

diuersa illa principia, quae doctores iuris naturalis supponunt, sunt inter se cohaerentia atque subordinata, ab eo casu, quo sunt inter se repugnantia. Si *ille*, concedo, iuris naturalis doctores in plerisque conclusionibus consentire. Sed quid inde? euoluas notiones eorum, ex quibus argumentati sunt, & facile perspicias, hasce esse perfecte easdem, & non nisi verbis, quibus exprimuntur, discrepantes. Si casus sit *posterior*, nego iuris naturalis doctores in plerisque consentire conclusionibus. Perlustrare velis systema GROTHII, PUFENDORFII, HOBBSII, CUMBERLANDI, & quae sunt reliqua. Et idem senties. Sed de hoc suo loco plura *a)*

a) vid. GRIBNER. in princip. iur. nat. Cap. IV. §. 12. HOCHSTETTER. in Colleg. Puffend. Exerc. IV. th. 8. f. PROELEVVS de origine diuersorum iur. nat. principiorum Sect. II. §. 38. ff.

§. XXIII.

*Affirmativa
demonstrativa.*

His praemissis manifestum est, eos qui ad quaestionem illam, quam posui, negando respondent, eiusmodi vsos esse argumentationibus, quae minus accurate formatae. Dabo argumentum, quod affirmatiuam fatis, vt opinor, probat. Omnis obligatio naturalis nos ad aliquid faciendum vel omittendum ducit. Ergo non datur obligatio naturalis sine scopo. Hi obligationum naturalium scopi aut sunt inter se cohaerentes aut inter se repugnantes. Si posterius, natura nos ad ea obligabit, quae inter se repugnant. Hoc vero fieri non posse per se patet. Sint itaque inter se cohaerentes. Ergo aut perfecte reciprocabiles, aut subordinati aut coordinati (§. 103. f. P. I. Log.). Si perfecte reciprocabiles, communis adest scopus, ad quem obtinendum omnes obligationes naturales nos ducunt. Idem valere, si sint subordinati, ex ipsa subordinationis notione patet. Si sint coordinati, necesse erit, vt adsit communis eiusmodi scoporum character, qui diuersa ratione determinatus est (§. cit. Log.). Quae cum ita sint, manifestum est, omnes obligationes naturales communem habere scopum, ad quem obtinendum nos ducunt. Quicquid itaque ad hunc scopum obtinendum requiritur, ad illud faciendum, & quicquid huic scopo repu-

repugnat, ad illud omittendum natura nos obligat. Principium erga generale adeste debet, ex quo cognoscendum, vtrum natura nos ad hoc vel illud faciendum an ad omittendum obliget. Posita obligatione naturali, ponitur lex naturalis. Et posita lege naturali, ponitur obligatio naturalis. Vnica itaque adeste debet propositio generalis, quae est omnium legum naturalium principium cognoscendi primum.

§. XXIV.

Haec de secunda quaestione, sequitur tertia, quam §. 13. pō- *An ius natu-
rae ex diuer-
sis peti possit
fontibus: ar-
gum dissent.*
fui, *an nimirum ius naturae ex diuersis peti possit fontibus seu
principiis primis?* Sunt qui affirmant, sunt e contrario qui
negant. Qui affirmant; in ea sunt persuasione, ex nullo
principiorum a iuris naturalis doctoribus positorum separa-
tim sumto omnia officia commode & perspicue satis posse
deduci, & ex hoc argumentati sunt, multa eiusmodi prae-
cepta vniuersalia coniungenda esse, vt adaequatum iuris na-
turalis fundamentum, constitueretur. Sic ipse Imperator a)
*iuris, inquit, praecepta sunt haec: honeste viuere, alterum non
laedere, suum cuique tribuere.* ROBERTVS SCHARROCKIVS b)
demonstrationes morales ad septem propositiones vniuersa-
les reuocat: *nemini innocenti damnum inferre: fidem seruare:
bene merenti par retribuere: ea facere, quae propriam promouent
felicitatem: prolem procreare quam maxime felicem: consan-
guineis bene facere bene moratis: hominibus prodesse sanguine
non coniunctis.* Et de his pronunciat, quod sint placita na-
turae prima, ex quibus ceterae eius leges vt immortales
conclusiones ab immortalibus principiis deriuentur, per quae
distinctae species actionum honestarum, statuuntur & quis-
que, quid sibi conueniat, possit iudicium facere. GEORG.
WOLFG. SCHVRSTABIUS c) pro varietate officiorum tria
quoque principia prima constituit. *Cultum, philautiam, so-
cialitatem.* IOH. REINHARD HEDINGER d) *amorem Dei,
custodiam sui & socialitatis.* SCALIGER e)

*Natura, inquit, tribus legibus agitantia vitam
Nutu rationis luce caelitus paratae*

*Vult fulta; quasi has dedit esse commeatum.
Numen cole summum. Tibi prima, ultima meta haec.
Ne prodige te, nec tua prodige negligendo.
Ne cui facias, quae tibi facta non placerent.
Istis tribus omnibus capitur beatitudo.
Quam qui nibili fecerit, exhibit inanis.*

I. H. BOECLER. f) *Ius naturae intra tria haec fundamenta, scil. in amore Dei, in amore sui, & amore proximi stare docet. Et qui sunt reliqui.*

- a) Inst. de I. & I. conf. RITTERSHVSIVS ad hunc §. 19.
- b) de Officiis secundum ius naturae Cap. II. n. 12. conf. ANT. le GRAND Inst. Phil. P. X. Art. VIII. §. 8.
- c) in Diss. sub Praesidio BRVCKNERI Ien. 1715. hab. Specimen iuris naturalis eiusque descriptionem exhibens.
- d) Conspect. naturalis iurispud. Quaest. II. §. 13. conf. ZENTGRAV de orig. iur. nat. p. 328.
- e) Praef. L. I. Epidorp.
- f) in Annot. ad GROTIUM. conf. WOLFG. IAEGER in obseru. ad GROTIUM obf. I. p. 17. & obf. 8. p. 62. HUGO de ROY de eo, quod iustum est, Lib. I. Tit. III. §. 5.

§. XXV.

*Ad, quae re-
spondetur,
& affirma-
tiua proba-
tur.*

Sed argumenta illa mea quidem sententia id non probant, cuius causa formata sunt. Omnibus enim, quae posita sunt, concessis, id solum erit consequens, in disciplina iuris naturalis diversa esse capita, & cuilibet horum capitum principium aliquod generale ponendum esse, ex quo praecpta ad illud pertinentia inferri debent. Sic v. g. officiorum erga Deum principium primum sit cultus seu amor Dei, officiorum erga nos ipsos philautia seu custodia sui, & officiorum erga alios socialitas. Haec concedo. Sed sequitur inde, non dari vnicum principium, quod est praecptorum iuris naturalis principium cognoscendi generale atque primum? Omnia illa principia iterum ex communi deducenda sunt principio (§. 23.), & hoc est principium iuris naturalis primum, seu lex naturalis absolute fundamentalis.

OBSER-

OBSERVATIO XXXIII.

DE

LEGE IVRIS NATVRALIS ABSOLVTE FVNDAMENTALI.

§. I.

Satis, vt opinor, demonstratum est, legem naturalem absolute fundamentalem constituendam esse, ex qua ceterae omnes, quae sunt iuris naturalis, legitimo quodam ordine inferendae. Et huiusmodi legis condiciones euolutae atque determinatae sunt. Iam quaeritur: quaenam est haecce lex? respondeo: *Perfectionibus rerum viuas conuenienter.* Lex iuris naturalis absolute fundamentalis ponitur.

§. II.

Hancce propositionem: *perfectionibus rerum conuenienter viuas*, esse legem iuris naturalis absolute fundamentalem, argumentatione, quae sequitur, corroboro. Ea propositio, quae scopum, ad quem obtinendum omnes omnino obligationes naturales nos ducunt, exprimit, principium iuris naturalis primum merito vocatur (§. 15. obs. 32). E-nimvero, haecce propositio: *perfectionibus rerum viuas conuenienter*, eum exprimit scopum, ad quem obtinendum omnes omnino obligationes naturales nos ducunt. Ergo merito vocatur principium iuris naturalis primum. Minorem hac ratione probo: Scopus actionum nostrarum est aut vt perfectio aut vt imperfectio obtineatur (§. 4. obs. 10). Obligationum naturalium scopus idem esse debet, qui scopus actionum nostrarum (§. 5. ff. obs. 16). Ergo & scopus obligationum naturalium est aut vt perfectio aut vt imperfectio obtineatur. Vltimum non esse, patet ex §. 2. obs. 17. & §. 2. obs. 20. vt ergo primum sit, sequitur. Manifestum itaque est, principium cognoscendi iuris naturalis primum esse: *perfectionibus rerum conuenienter viuas.* & demonstratur

§. III.

§. III.

Est principium verum,

Eandem propositionem omnes principii iuris naturalis primi habere condiciones demonstrabo. Est *principium verum*. Vbi enim est conuenientia eorum, quae simul ponuntur, ibi est veritas. Sed vbi nihil de iis remouetur, quae per essentiam rei poni possunt, ibi est conuenientia eorum, quae simul ponuntur. Verum itaque est principium, quod docet, nihil de iis remouendum esse, quae per rei essentiam possunt poni. Enimuero principium, quod rerum perfectionibus conuenienter viuendum esse, iubet, est principium, quod nihil de iis remouendum esse, quae per essentiam rerum poni possunt, docet (§. 2. obs. 10). Hocce itaque principium est principium verum.

§. IV.

euidens,

Est porro *principium euidens*. Vnicuique enim sanae rationis vsu praedito facile patet, iis conuenienter viuendum esse, quae per rerum essentias possunt poni. Et dum omnes leges naturales hocce ad principium reducuntur, manifesta fit ratio, cur leges naturales hoc vel illud faciendum vel omittendum esse praescribant. Est itaque principium euidens. (§. 16. obs. 32).

§. V.

domesticum.

Est porro *principium domesticum*. Ponamus enim aliquem violare legem, quae illo ex principio deducitur: sequitur, huncce aliquid de iis remouere, quae per essentiam rei possunt poni. Eiusmodi itaque actio ipsam per essentiam erit mala (§. 4. obs. 13). Omnes ergo leges, quae illo ex principio legitime deducuntur, sunt leges naturales (§. 2. obs. 19). Propositio itaque illa est principium iuris naturalis domesticum (§. 17. obs. 32).

§. VI.

Ponitur obiectio & respondetur.

Fortasse dixerit quispiam: Hocce ex principio: perfectionibus conuenienter viuas, cognoscendum quoque esse, cur legibus posituiis conuenienter viuere debeamus. Qui enim

enim leges positivas violat, ei mala inferuntur. Eiusmodi itaque actione se reddit imperfectiorem. Ergo manifestum est, principium illud non esse iuris naturalis domesticum. *Respondeo.* Leges, quae sunt mere positivae, considerari possunt vel in se, vel quatenus nobis a superiore, cui sumus subiecti, sunt praescriptae. Illa ratione leges mere positivae ex principio illo non posse inferri, ex iis patet, quae §. 5. obs. 19. demonstrata sunt. Si vero hac ratione considerentur, ipsa natura nos obligat, ad voluntati superioris convenienter vivendum, quia actionibus eiusmodi voluntati repugnantibus nos reddimus imperfectiores. Falsa itaque est illa consequentia, & salva manet thesis, principium illud esse iuris naturalis domesticum.

§. VII.

Est tandem *principium iuris naturalis adaequatum.* Est tandem Quia enim est primum (§. 2), non est angustius iure naturali; quia est domesticum (§. 5.), non est latius iure naturali. Est itaque principium iuris naturalis adaequatum (§. 18. obs. 32). *principium iuris naturalis adaequatum.*

§. VIII.

Illo cum principio in concordiam redigamus alia a Doctoribus posita, & quibus conditiones primi iuris naturalis principii insunt. Per-III. L. B. de WOLF hocce posuit principium iuris naturalis primum: *fac ea, quae te statumque tuum atque aliorum perficiunt.* Ego non dissentio. Sumas, quaequo, propositionem generalem, ex cuius determinatione tres illae propositiones: *te perficias, statum tuum perficias, & alios perficias,* descendunt, & habebis propositionem a nobis positam: *perfectionibus rerum convenienter viuas.* *Illo cum principio in concordiam redigitur principium Wolfianum.*

§. IX.

Per-Illustres HENRICVS & SAMVEL de COCCII a) pro principio iuris naturalis primo habent *voluntatem Dei.* Sententia eorum haec est: voluntas Dei est vel permittens vel praecipiens, ex illa virtus & honestas, ex hac ius & necessitas. *Hocce principium voluntas Dei.*

fitas oritur. Ius enim & virtutem ita distinguunt, ut illud necessario obseruandum, hanc in arbitrio hominum positam esse, putent: vnde non ex iuris, sed ex virtutis exercitio praemia, contra autem non ex huius, sed ex illius neglectu ac violatione poenas pertimescendas esse, contendunt. Non nisi prior voluntas ipsis iuris naturalis principium est, idque primum & vltimum, adeo, ut nulla prorsus alia ratio, quamobrem aliquid iure naturae praeceptum vel vetitum sit, reddi possit, quam quia DEVS sic voluit. Idem est, quod docuit SAMVEL RACHELIVS *b)*: *si allubescat, inquit, vnum summum principium iurium naturae seu praeceptorum virtutis constituere, non erit illud aliud, quam hoc: voluntas humana agendo se conformare debet voluntati diuinae. Hoc se in duo capita vicissim diuidit. Vel enim vult DEVS, ut quaedam faciamus, vel ut non faciamus: itaque recta ratio mox colligit, honesta facienda, & turpia fugienda esse.*

a) Ille in positionibus pro explicatione iuris gentium: hic in Dissert. laudata de principio iuris naturae vnico, vero & adaequato.

b) de I. N. & G. Diss. I. n. 120.

§. X.

*Huius const-
itutio.*

Accedit GERHARDVS *a)* hocce exhibens axioma: *Quicquid DEVM velle cognoscis, illud est faciendum, & quicquid DEVS non vult fieri, illud est omittendum.* Sed quaero cum KESTNERO *b)*, vnde cognoscendum, DEVM velle, ut hoc vel illud faciamus vel omittamus? Ex reuelatione? ergo principium illud non erit iuris naturalis domesticum. Ex natura? manifestum erit, per voluntatem DEI a nobis id faciendum esse, quod perfectionibus rerum conueniens, & omittendum, quod perfectionibus rerum repugnat. (§. 79. Th. nat.). Voluntas itaque DEI est principium iuris naturalis fiendi, ea vero propositio, quae perfectionibus rerum conuenienter viuere iubet, principium cognoscendi iuris naturalis primum, de quo hoc loco sermo est.

a) Delin. iur. nat. Lib. I. Cap. VII. §. 54. ff.

b) Conf. eius ius nat. & gent.

§. XI.

§. XI.

AZORIVS a) omnia iuris naturalis praecepta ad *rectam* Recta ratio ducit *rationem*. Sed distinguas *medium* praecepta iuris naturalis ex principio fundamentali cognoscendum a principio ipso, & habebis principium illud, quod posuimus. Medium praecepta iuris naturalis ex principio illo cognoscendi, esse *rectam rationem*, quae conclusiones inde deducit, non concedimus solum, sed & illam necessario ad has requiri affirmamus. Sed quaestio hoc loco tantum est, de ipso principio cognoscendi. Hoc praemisso quaeritur: quid est, quod *recta ratio* faciendum iubet? estne hoc? perfectionibus rerum conuenienter viuas.

a) in Institut. moral. Tom. I. Lib. VI. Cap. I.

§. XII.

GROTIUS a) posuit *dictamen rectae rationis*. Sed quid Dictamen rectae rationis est, quod dictat *recta ratio*? Hocce dictamen rationis non potest esse vagum sed ad normam quandam examinandum. Estne haec norma propositio illa generalis: *perfectionibus rerum conuenienter viuas*.

a) I. B. & P. Lib. I. Cap. L §. X. n. I. Addatur TESMARVS ad h. l.

§. XIII.

STOICI a) *conuenientiam naturae*, ROBERT. SANDER- Conuenientia naturae SON b) & LVCAS OPALENIVS c) *rationalem naturae con-* gruentiam, GVILIELMVS GROTIUS d) *conuenientiam cum natura rationali*, vt principia iuris naturalis prima commendant. Sed eiusmodi principia plane sunt eadem, & cum eo, quod posuimus, congruunt. *Primum* per se patet. *Alterum* hac ratione euinco: Quid est, quod naturae conueniens? Estne id, quod nihil de iis remouet, quae per essentiam rei possunt poni? Rerum itaque naturae, & rerum perfectionibus conuenienter viuere vnum idemque est.

a) vid. LIPSIVS in manud. ad phil. Stoic. Lib. II. Diff. XVI. & SENECA de vita beata Cap. III.

b) in Tractatu de conscientia. Praelect. IV. §. 24.

Vy a

c) de

c) de officiis Lib. I. p. 21.

d) de principiis iur. nat. Cap. I. §. IX.

§. XIV.

*Intrinsicca
actionum
bonestas &
turpitudine.*

Maxime quoque cognata est nostrae sententiae illa, quae principium iuris naturalis primum in *intrinsicca actionum bonestate & turpitudine*, aut vt SCHOLASTICI a) loquuti sunt, in *perfectate* ponit, ideoque, *vt per se ac suapte natura honestum sit appetendum, & per se ac suapte natura turpe sit fugiendum*. Quam inter alios VELTHEMIVS b) defendit, ita vt existimet, eum, qui *primitatem eius negat, in iuris naturalis studio cum laude & emolumento proficere, deque solida eruditione sibi gratulari non posse*. Estne haec eiusmodi principii ratio, quia rerum perfectionibus conuenienter viendum? vid. §. 7. ff. obs. 13.

a) vid. BALTHAS. MEISNERVS de Legibus Lib. II. PATTIGIVS de natura & origine moralitatis & iuris connati.

b) Introduct. ad GROTIUM. Lib. I. Cap. I. quaest. 1. & 4.

§. XV.

Suum cuique.

SAMVEL STRIMESIVS a) & IOH. SENSTIVS b) praeceteris ad fundamentum omnium legum naturalium idoneum esse putant, quod IUSTINIANVS inter praeccepta iuris vniuersalissima retulit: *suum cuique*. Accipiunt vero illud non in angustiore illa significatione, qua ad solam iustitiam distributiuam, seu ad principia iusti restringitur, sed latius extendunt, vt *Deum cole, temperanter viue, socialiter viue*, comprehendat. Qui perfectionibus rerum conuenienter viuit, id illa ratione suum cuique tribuit. Et qui illa ratione suum cuique tribuit, is perfectionibus rerum conuenienter viuit. Ergo & hoc principium ab eo, quod posuimus, non nisi verbis discrepat.

a) in Diss. de principio morali omnium primo.

b) in Schediasm. iuris naturae Sect. III. §. 4. ff.

§. XVI.

*Fac cuius,
quae nata-*

Idem valet de principio, quod NICOL. PRAGEMANN a) praecceptum naturale generalissimum vocat: *fac, nimirum,*

rum, *cuius, quae naturalis ad eum relatio te docet.* Infert ^{valis ad} inde, terminum a quo hic semper esse hominem aliquid a- ^{eum relatio} cturum, terminum vero ad quem esse obiectum, cui aliquid ^{te docet.} praestandum, ideoque principium illud in relatione acturi ad Deum efficere regulam: *Deum cole*, in relatione acturi ad se ipsum: *felicitatem tuam promoue*, in relatione acturi ad alios homines: *socialiter viue*, in relatione acturi ad socios: *fac ea, quae ad societatis conseruationem atque commoditatem necessaria sunt.* Ex quibus manifestum est, hocce principium idem significare, quod suum cuique, seu perfectionibus rerum conuenienter viue.

a) in laudata Dissert. de principio iuris naturalis §. 38 - 40.

§. XVII.

Nec a sententia nostra recedunt, qui cum BENEDICTO ^{Amor.} WINCKLERO a) ALEX. ARNOLD. PAGENSTECHE b) IAEGERO c) BECMANNO d) IANO e) aliisque *amorem*, seu cum STRIMESIO f) *amorem intellectualem*, verum iuris naturalis principium esse putant. Estne amor intellectualis conatus veris rerum perfectionibus conuenienter viuendi? suntne perfectiones apparentes imperfectiones?

a) Princip. iuris Lib. III. Cap. I. §. 235. ff.

b) Syllog. Dissert. Diff. I. p. 30.

c) obseru. I. ad Grotium p. 17.

d) Polit. parallel. Cap. II. §. XL

e) in diss. laudata, de iudiciis eruditorum de principio iuris naturalis.

f) Praxiolog. apodict. Cap. I. §. VII.

§. XVIII.

PRITIUS a) WAHL b) TITIUS c) KNOBLOCH d) aliique ^{Finis.} *finem Dei*, HEMMINGIUS e) *finem hominis*, VELTHVYSIUS f) *finem mundi*, BODINUS g) *ordinem naturae & mundi*, vt primum principium cognoscendi iuris naturalis constituerunt. Sed & hi sententiae nostrae congruunt. Ordo naturae & mundi est finis mundi. Finis mundi & finis hominis sunt finis DEI. Finis vero a sapientissimo NUMINE in creatione

mundi intentus, nobisque per dictamen rationis natura impressus est, vt rerum obtineantur perfectiones (§. 79. ff. Theol. nat.). Qui itaque fini DEI, fini hominis, fini mundi, ordini naturae & mundi conuenienter viuit, is rerum conuenienter viuit perfectionibus. Et qui rerum conuenienter viuit perfectionibus, is fines illos respicit. Ergo sunt propositiones, quae idem valent.

- a) Dissert. de principio iur. nat.
- b) Acroamat. iurispr. vniuersalis typo Tab. V. §. XI.
- c) Obseru. ad Puffend. de offic. hom. & ciu. Lib. I. Cap. III. Obseru. 78. n. I.
- d) Diss. laudata de principio iuris naturae genuino. §. VI.
- e) de lege naturae.
- f) Diss. de principio iusti & decori, quae est oper. Velthuysii Tom. II. p. 962.
- g) Diss. ius mundi seu vindiciae iur. nat. §. VI.

§. XIX.

Confirmatio creaturae rationalis cum creatore.

Eandem ad sententiam accedit illud, quod a ZENTGRAVIO a) atque IOH. IAC. FERBERO b) positum est: *Confirmatio nimirum creaturae rationalis cum creatore.* Quum enim hic sit scopus omnium actionum, quae a libertate DEI dependent, vt rerum obtineantur perfectiones (§. 79. Theol. nat.); manifestum est, actiones nostras ea ratione cum actionibus creatoris esse conformes, qua rerum perfectionibus conuenienter viuimus.

- a) in laud. tract. de origine, veritate & rectitudine iur. nat. art. 5. & 9.
- b) in Philosophia iur. natur. Cap. I. §. 74. ff.

§. XX.

Sapientia & iustitia & prouidentia diuina.

Nec minus consentire debent, quibus cum MELANCHTHONO a) *sapientia & iustitia diuina*, & cum SAMVEL. RACHELIO b) *prouidentia diuina* est primum iuris naturalis principium. Quum enim sanctitas & iustitia diuina omnia ad finem cuiuslibet naturae conuenientem dirigat: & quum prouidentia diuina sit ipsa illa directio; sequitur, actiones suas ad sapientiam, iustitiam & prouidentiam diuinam conform-

formare, idem esse, ac perfectionibus rerum conuenienter viuere.

- a) in Elem. ethicae doctrinae Lib. II.
b) in iur. nat. & gent. Diff. I. §. 30. ff.

§. XXI.

Ex iis tandem, qui principium iuris naturalis ponunt *Vita homi-*
cum THOMASIO a): *facienda esse, quae vitam hominis red-* *nis felicissi-*
dunt & maxime diuturnam & felicissimam, quam ad sententiam accedunt EPHRAÏM. GERHARDVS b) KEMMERICH c)
IOH. WILH. a LITH d) CHRISTOPH. HENR. L. B. ab EVLENBURG e) & qui sunt reliqui. Ex iis, inquam, quaero: quatenam sunt actiones, quae vitam hominis maxime diuturnam & felicissimam reddere possunt? suntne eae, quibus rerum perfectionibus conuenienter viuimus?

- a) in fundam. iur. nat. & gent. Lib. I. Cap. VI. §. 21.
b) in delineat. iur. nat. Lib. I. Cap. VII. §. XXXI.
c) in Puffendorff's enucleato Cap. III. §. 30.
d) in Diff. laud. de primo principio legis naturalis §. 13.
e) in Diff. de principiis iur. nat. Halae 1731. hab.

§. XXII.

Haec, quae euoluta sunt, si non probent, probatum tamen corroborabunt principium illud iuris naturalis primum, *perfectionibus rerum conuenienter viue.* Duo modo superesse videntur scrupuli ex animo lectoris euellendi. *Primus est.* Primum disciplinae cuiusdam principium cognoscendi debet esse incomplexum, seu, vt cum philosophis loquar, terminus simplex. Principium vero illud est complexum, seu propositio. Ergo non est primum iuris naturalis principium cognoscendi. *Respondeo.* Vnum idemque principium cognoscendi & incomplexe & complexe exprimi atque proferri potest. Sic socialitatis defensores pro principio iuris naturalis ponunt, & *socialitatem,* & *socialiter viue.* Qui itaque ea in persuasione est, vt principium iuris naturalis primum debeat esse incomplexum, is me non habebit dissentientem, si poneret *perfectionem.* Hoc posito, primum iuris

ris naturalis principium incomplexum erit *perfectio*, & complexum *perfectio*nibus *rerum conuenienter uiue*.

§. XXIII.

*Quomodo
illo ex prin-
cipio leges i,
n. inferen-
dat.*

Alter est: Quodcunque principium ita comparatum est, vt inde non satis clare pateat, quomodo leges naturales ex eo inferendae, illud principium non est iuris naturalis primum. Atqui id principium, quod posuimus, ita comparatum est, vt inde non satis clare pateat, quomodo leges naturales ex eo inferendae. Ergo illud principium non est iuris naturalis primum. *Respondeo*. Concedo maiorem, nego vero minorem. Illo enim ex principio omnes leges naturales ea, quae sequitur, ratione deducendae sunt. Principium illud dat propositionem maiorem. Ea, quae obuii ex facti notione legitime fluunt, dant minorem. His praemissis formetur conclusio, quae erit lex iuris naturalis specialis. Eruamus v. g. legem naturalem prohibitoriam. Maior propositio sit:

Quicquid perfectioni rei, de qua sermo est, repugnat, seu quod idem est, quicquid aliquid de iis remouet, quae per essentiam rei, de quo sermo est, poni possunt, id vitandum est.

Hac posita maiori inquiras in notiones eorum, quae obueniunt, & quae inde fluunt, v. g. in naturam affectuum vehementiorum, & facile formare poteris propositionem minorem:

Vehementiores affectus aliquid de iis remouent, quae per essentiam nostram possunt poni.

His praemissis formes conclusionem

Vehementiores affectus cauendi sunt.

Quae est lex naturalis specialis. Et quae sunt reliquae. Conf. ea, quae obseruatione VIII explicata atque a nobis monita sunt.

OBSER-

OBSERVATIO XXXIV.

DE

LEGIBVS IVRIS NATVRALIS SECVNDVM QVID FVNDAMENTALIBVS.

§. I.

Veniamus ad eos, qui pro principio iuris naturalis primo habent legem quandam naturalem secundum quid seu certo solum in genere fundamentalem, ostensuri nostris ex principiis, quicquid hac de re veritati tribuendum. Hi scientiam iuris naturalis non generatim sed speciatim sumunt, ideoque per eam intelligunt scientiam, quae rerum ex notionibus ea infert, quae in determinata quadam relatione seu in determinato quodam respectu bona atque mala, seu iusta atque iniusta sunt. (§. 11. obs. 32). Eiusmodi relationes atque respectus varii poni possunt. Aut enim nos ipsos consideramus, aut nos consideramus in relatione ad alios. Et si hoc, aut eam solum ad alios spectamus relationem, qua officia, quae necessitatis vocantur, debemus, aut quamcunque ad alium relationem, qua etiam eiusmodi debemus officia, quae sunt humanitatis. Inde diuersa doctorum systemata, indeque consensus. De singulis breuiter.

*Varia, quae
hic distin-
guenda no-
tantur.*

§. II.

Primo de iis, qui ius naturae ex officiis erga nos ipsos deducunt. Hi in ea sunt persuasionem, ut omnia officia, quae ius naturae praescribit, conseruationi sui ipsius, seu utilitati propriae, nimirum verae, sint subordinatae, ideoque pro primo iuris naturalis principio habent sui ipsius conseruationem, seu utilitatem propriam. Quae est sententia EPICVRI
a) CASSENDI b) SCHARROCKII c) IMMANVEL. PROELII
d) RECHENBERGII e) & aliorum.

*Sententia
eorum, qui
ius naturae
ex officiis er-
ga nos ipsos
deducunt.*

a) vid. KVLPIII Colleg. Grotian. Ex. I. th. V. conf. STOLLII
Historie der Heibnischen Moral s. 110. n. 4. ff.

b) in Oper. Tom. I. conf. BOECLER. ad GROTIUM Praef. p. 7.

c) de officiis secundum ius naturae Cap. I. §. 3.

Xx

d) In

- d) In den Anmerkungen über die Lehr-Sätze des Rechts der Natur des Hrn. B. von Puffendorfs Lib. I. Cap. 3. §. 9.
 e) in Institut. iurisprudenc. natural. Lib. I. Tit. VI. §. 4. ff.

§. III.

*Iudicium
 hac de sen-
 tentia.*

Accipe meum hac de re iudicium. Sumitur illa in sententia, officia, quae ius naturae praescribit, officiis erga nos ipsos subordinata esse. Hoc si esset verum, concedendum quoque esset, primum iuris naturalis principium esse sui ipsius conseruationem, seu vtilitatem propriam. Sed discedo ab eo, quod sumserunt. Ratio huius est, quae sequitur. Ponamus omnia officia erga alios, quae ius naturae praescribit, officiis erga nos ipsos subordinata esse; consequens erit, in quacunque collisione officiorum erga alios cum officiis erga nos ipsos officia erga nos ipsos esse praeferenda. (§. 12. obl. 28). Enimvero haecce sententia, quae inde sequitur, repugnat primo principio §. 8. obl. 29. demonstrato, vi cuius in collisione officiorum erga nos ipsos cum officiis erga Deum officia erga Deum praeferenda sunt. Porro sententia illa repugnat principio §. 19. obl. cit. demonstrato, vi cuius eo in casu, quo officia erga nos ipsos necessitatis cum eiusmodi aliorum perfectionibus colliduntur, quas salua sui ipsius conseruatione omittere nequeunt, id officium praeferrere debet, cuius obseruatio maximas efficere potest perfectiones. Praeterea eadem sententia repugnat principio §. 20. cit. obl. demonstrato, vi cuius officia erga alios, quae sunt iuris perfecti, eo in casu praeferenda sunt, quo cum officiis erga nos iusti colliduntur. Et quae sunt reliqua. vide §. 21 - 27. obl. cit. Manifestum itaque est, non vniuersaliter verum esse, vt officia erga alios, quae ius naturae praescribit, officiis erga nos ipsos sint subordinata. Ex quo porro facile intelligitur, conseruationem sui seu propriam vtilitatem non esse principium iuris naturalis absolute primum, sed ea solum in relatione, qua sermo est de officiis erga nos ipsos.

§. IV.

Monitum.

Dixi in Institutionibus iurisprudenciae vniuersalis: §. 143: *perficias te, esse principium iuris naturalis absolute pri-*

primum. Hoc loco monui, *propriam utilitatem* non esse principium iuris naturalis absolute primum. Estne hoc contradictio? aut sententiae mutatio? quatenam enim est differentia inter sui ipsius perfectionem & propriam utilitatem? Quoniam hoc facile sinistris interpretationibus occasionem praebere potest, respondebo. Dixi loco citato cum recentioribus *se perficias*: esse primum iuris naturalis principium. Sed connexio scriptionis sensum determinat, qui est hic. *lis viuas conuenienter, quae tuam per essentiam possunt poni.* Enimvero in ea inquisiturus, quae nostram per essentiam poni possunt, facile perspiciet, inter ea hancce quoque referendam esse facultatem, qua rerum perfectionibus conuenienter vivere possumus. Qui itaque rerum perfectionibus non ea ratione conuenienter viuit, qua per eum fieri potest, is se non perficit. Principium itaque: *se perficias*, idem est cum principio: *rerum perfectionibus viuas conuenienter.* His praemissis euolvas propriae utilitatis notionem, & facile perspicias differentiam, quae est inter principia: *se perficias*, & *propriam quaeras utilitatem.* Qui enim huic conuenienter viuit, scopum actionis semper in se ipso ponit, ideoque officia erga alios non considerat nisi vt media, quae ad ea obtinenda ducunt, quae per officia erga se ipsum fieri debent. Qui vero illi conuenienter viuit principio, is scopum actionis etiam in eo ponere potest obiecto, circa quod agit, ideoque officia erga se ipsum vt media considerare potest, quae ducunt ad ea obtinenda, quae per officia erga alios fieri debent.

§. V.

Non inutile erit, hoc loco simul delineare systema HOB-^{Systema} BE SII, quia cum eo, de quo haecenus diximus conuenire ^{Hobbesii de-} videtur. ^{lineatur.} *Mensura*, inquit ille a), *iuris est UTILITAS.* Hancce utilitatem per *sui conseruationem* explicat, & inde infert b) iuris naturalis fundamentum primum esse, *vt quisque vitam & membra sua, quantum potest, tueatur.* Hinc addit c) *verum media, quibus vsurus quispiam est, & actio, quam acturus est, ad conseruationem vitae & membrorum suorum neces-*

saria sunt, nec ne, ipse iure naturali iudex est. Ex quo porro colligit d) neminem contra ius naturae peccare, nisi qui id agit, quod ne ipse quidem sibi utile aut accommodatum esse iudicabit. Pergit e), fieri posse, ut aliquis ad sui conseruationem vel utilitatem accommodata existimet ea, quae alius etiam expetit, hinc non posse non oriri bellum, neque hoc simplex, sed omnium in omnes, idque iure naturae concessum esse. Omnia haec in articulo, qui sequitur, coniungit, & quo modo vnum ex altero sequatur, ostendit, quia, inquit, f) in quibusdam casibus conclusionis claritas praemissarum memoriam expellit, contrahere argumentum volo, vnoque intuitu oculis conspiciendum subiiicere: Vnicuique ius est se conseruandi. Eidem ergo ius est omnibus uti medijs ad eum finem necessarijs. Media vero necessaria sunt, quae ipse talia esse iudicabit. Eidem ergo ius omnia facere & possidere, quae ipse ad sui conseruationem necessaria esse iudicabit. Et quae sunt reliqua.

a) in Elem. de Cive Lib. I. Cap. I. art. 10.

b) art. 7.

c) art. 9.

d) Annot. ad art. 10.

e) art. 12.

f) Annot. ad art. 10.

§. VI.

*Iudicium
de hoc.*

Satis inde patet, *primo*, sententiam HOBBSII de vtilitate propria, eam esse, quam §. 4. definiui, ideoque principium illud, quod se perficere iubet, non conuenire cum principio illo, quod mensuram iuris ponit in vtilitate. *Deinde*, aequitati non minus quam sanæ rationis principijs contradicere, principium iuris naturalis absolute primum in propria ponere vtilitate. Manifestum enim est ex systemate illo Hobbesiano, posito illo principio iuris naturalis primo, nulla esse officia erga alios nec humanitatis nec necessitatis. Pacta non esse seruanda, si propria vtilitas violationem pacti iubeat: alios esse laedendos, si sit medium ad propriam obtinendam vtilitatem. Et quae sunt reliqua. a)

a) Conf.

- a) Conf. GVNDLINGII Dissert. Status Hobbesii naturalis in corpore iuris ciuilibus defensio & defendendus. Halae 1706, hab.

§. VII.

Haec de systemate eorum, qui officia erga alios, quae natura praescribit, officiis erga nos ipsos subordinant. Sequuntur systemata, in quibus ius naturae est scientia, quae rerum ex notionibus ea infert, quae in quacunque relatione erga alios bona atque mala, seu iusta atque iniusta sunt. Refero inter eiusmodi systematum defensores primo RICHARDVM CUMBERLAND, qui a) benevolentiam legem iuris naturalis fundamentalem vocauit. Notum est, benevolentiam esse procliuatam alios perficiendi. Secundum itaque CUMBERLANDVM omnia officia, quae ius naturae praescribit, iis subordinata sunt, quibus aliorum perfectionibus conuenienter viuimus.

Sententia eorum, qui ius naturae ex quacunque erga alios relatione inferunt. Systema Cumberlandi.

- a) de Legibus iuris nat. Cap. I. §. 4.

§. VIII.

Deinde PUFFENDORFIVM, qui a) pro vnico iuris naturalis fundamento *socialitatem* habet, quae ipso fatente PUFFENDORFIO b) a benevolentia illa CUMBERLANDI non abit. Addit rationem: *Nos dum sociabilem esse debere hominem tradimus, ei non suum bonum, ab aliis distinctum, pro scopo habendum, sed & ceterorum inuimus, nec vlli commodum suum cum oppressione aut neglectu reliquorum quaerendum, nec cuiquam suam felicitatem sperandam, si alios negligat, aut iniuriis lacestat.* Quid socialitas illa significet, ipsius PUFFENDORFII verbis explicabo. Hic, postquam societatem generi humano maxime propriam, naturalem ac necessariam esse demonstrauit, pergit c): *Inde fundamentalis lex naturae isthaec erit: cuiuslibet homini, quantum in se, colendam & conseruandam esse pacificam aduersus alios socialitatem. Ex quo consequitur, quia, qui obligat ad finem, simul obligare intelligitur ad media, sine quibus finis non potest obtineri, vniua, quae ad istam socialitatem necessario faciunt, iure naturali praecipua, quae eandem turbant, aut abrumpunt, vetita intelligi.*

Puffendorfi.

Istam viam eruendo iure naturali non planissimam solum esse patet, sed tandem maxime genuinam & propriam, plerique sapientum magno consensu agnoscunt.

a) in I. N & G. Lib. II. Cap. III. §. 14.

b) l. c. §. 15. fin.

c) l. c. §. 15. ab init.

§. IX.

*Atque Gro-
tiii.*

Ipse quoque GROTIUS a) societatis custodiam fontem iuris naturalis proprie sic dicti, & ea solum officia, quae in relatione ad alios obseruare debemus, spectantis, nominauit, iustum dicens, quod naturae societatis ratione vtentium conueniens, & iniustum, quod naturae eiusmodi societatis repugnat.

e) in I. R. & P. Proleg. §. VIII. Lib. I. Cap. I. §. 3. n. I. Conf. IAEGER in obser. ad GROTIUM obs. I. p. 15. & 16.

§. X.

Monitum.

Permulti ad sententiam illam CUMBERLANDI, PUFFENDORFII atque GROTII accedunt. Monendum tamen est, non omnes, qui socialitatem pro fundamento iuris naturalis posuerunt, ea in significatione de socialitate loqui, qua doctores laudati de eadem loquuti sunt. *Non-nulli* per socialitatem pacem atque tranquillitatem externam intelligunt. *Non-nullis* socialitas idem est, ac relatio vniuersi generis humani ad imperium diuinum. De illis infra dicturi sumus. Inter hos refero ZENTGRAVIUM. Hic in tractatu quidem de origine veritate & immutabili rectitudine iuris naturalis a) aduersus socialitatem, tanquam inadaequatum iuris naturalis principium, fortiter dimicauit: post haec tamen in tractatu de summa iuris diuini b) socialitatem distinguit in generalem & specialem. Illam vocat, quae hominibus cum Deo, hanc vero, quae cum aliis hominibus intercedit. Et ex illa officia, quae ius naturae praescribit, deducenda esse defendit. Ii, qui ad hancce ZENTGRAVII sententiam accedunt, ab ea non recedunt, qua perfectionibus rerum conuenienter viuere, pro primo iuris naturalis principio

cipio habetur. Tò enim *socialiter viuere*, illa ratione acceptum, idem significat, quod voluntati Dei conuenienter viuere, hoc vero idem significat, quod propositio, quae perfectionibus rerum conuenienter viuere iubet. vid. §. 9. & 10. obf. 23.

a) Art. V. §. 5. & art. VI. §. 16. ff. Conf. PUFENDORF in Specimine controueriarum. STRIMESII origines morales s. dissertationes selectiores vera moralium fundamenta complexae. ZENIGRAVII vindiciae originum suarum contra Pufendorfium & Strimesium.

b) Sect. I. art. I. subsect. I. §. 11. ff.

§. XI.

Accipe nostram illo de systemate sententiam. *Primo* ^{Nostra illo de systemate sententia.} concedo, socialitatem illam atque benevolentiam esse primum iuris naturalis principium, si sermo sit de ea iuris naturalis parte, quae officia erga alios homines euoluit. *Deinde* concedo, illo ex principio egregia quaedam consectaria a doctoribus deducta esse; v. g. quod vita actiua praeferranda sit contemplatiuae; quod felicitas hominis in virtute, non in nuda voluptate quaerenda sit; quod propter casus improuisos rebus gerendis subtrahere nos non debeamus; aut a consortio aliorum nos remouere; quod propter temeritatem quandam animi, & ineptitudinem ad morigerandum a rebus ciuilibus subducere nos non debeamus a). Et quae sunt reliqua. Audiamus CICERONEM b). Non nobis solum nati sumus ortusque nostri partem patria vindicat, partem amici: atque vt placet Stoicis quae in terris gignuntur ad vsum hominum omnia creatori, homines autem hominum causa esse generatos, vt ipsi inter se, aliis alij prodesse possent: In hoc naturam debemus ducem sequi, & communes vtilitates in medium afferre, mutatione officiorum, dando accipiendo: tum artibus, tum opera, tum facultatibus deuincere hominum inter homines societatem.

a) vide VERVLAMIUM de augment. scient. Lib. VII. Cap. I. & PUFENDORF. I. c. §. XV. ff.

b) de officiis Cap. VII.

§. XII.

§. XII.

*Huius conti-
nuatio.*

Fieri tamen non poterit, ut doctores illi eam ad sententiam me adducerent, ut socialitas pro primo iuris naturalis principio esset habenda. *Primam* huius *rationem* verbis GROENINGII exponam: Sic enim ille a): „Etiam si ego „rectissime sciam, legem naturalem velle, ut quilibet homo, „quantum in se, colat & seruet societatem: tamen ex his „hondum adeptus sum distinctam satis scientiam, in quo sci- „licet illa socialitas consistat, quid illi conueniat, vel non, „& consequenter, quid iure naturali praeceptum vel veti- „tum.,” *Secunda* ratio est haec: si socialitas sit primum iuris naturalis principium; consequens erit, omnia officia erga nos ipsos, officiis erga alios esse subordinata, ideoque in quacunque collisione officiorum erga alios cum officiis erga nos ipsos esse praeferenda (§. 12. obl. 28.). Enimvero §. 17. obl. 29. satis, ut opinor, demonstratum est, officia erga nos ipsos necessitatis, si sunt in collisione cum officiis erga alios, quae sunt iuris imperfecti, praeferenda esse. Porro §. 18, officia erga nos ipsos necessitatis, quae cum officiis erga alios, quae sunt iuris perfecti, colliduntur, eo in casu praeferenda esse, quo tales concurrunt aliorum perfectiones, quas salua sui ipsius conseruatione possunt amittere. Reliqua vide §. 19. 21: & §. 27. obl. 29. Rationi itaque non omnimode conueniens esse videtur, socialitatem pro primo iuris naturalis principio habere, licet sit principium iuris naturalis secundum quid primum. *Tertia* ratio est, quae sequitur: Si socialitas sit primum iuris naturalis principium; consequens erit, nulla esse officia naturalia erga Deum proprie sic dicta, sed ea, quae natura erga Deum obseruanda praescribit, sed solum media, quae nos ad ea obtinenda ducunt, quae per socialitatem fieri debent. Qua ex causa ipse quoque PUFFENDORFIVS monuit b): „Verum „cum religio, quatenus ad disciplinam iuris naturalis pertinet, intra sphaeram huius vitae terminetur; eo quoque „intuitu ad socialitatem referri potest, quatenus illa societatibus hominum efficacissimum vinculum praebet.,” Eiusmodi

modi vero sententiae iis repugnant, quae §. 7. & 8. obf. 29. demonstrata sunt.

- a) in Bibliothec. Iuris Gentium Lib. III. Cap. X. p. 318.
b) in Praefat. primae editioni I. N. & G. praemissa.

§. XIII.

Tandem de systemate eorum, quibus ius naturae idem est, quod scientia, quae rerum ex notionibus ea infert, quae in eiusmodi relatione hominum ad homines bona vel mala seu iusta atque iniusta sunt, quae ea solum spectantur officia, quae iure perfecto debemus. Haec est ea iuris naturalis pars, quam B. KOEHLERVS ius *naturale cogens* vocavit. Huius causa primum iuris naturalis principium EPHRAIM GERHARDO a) est: *omne illud, quod pacem externam humani generis necessario impedit, illud euitandum est.* GVNDLINGIO b): *pacem externam ante omnia sectare, vbi haberi potest, ne prorsus ad vitam cum aliis traducendam virtutemque adquirendam inutilis fias.* FRIDERICO GENZKENIO c): *Man soll alles dasienige, was zur Erhaltung friedlicher Gesellschaft unter denen Menschen nothwendig erfordert wird, thun; und hergegen alles, was selbige verunruhiget oder gar aufhebet, lassen.* GEORGIO BEYERO d): *quicquid ad tranquillitatem generis humani necessarium est, illud iure naturali praecipitur: quicquid hanc unionem dissoluit, illud iure naturali prohibetur.* Et qui sunt reliqui.

Sententiae eorum, qui leges naturales ex relatione ad alios, quae iura necessitatis solum spectantur, deducunt.

- a) in Delin. iur. nat. I. lib. I. Cap. IX. §. 19.
b) in via ad veritatem Part. III. Cap. II. §. 18.
c) in der Anleitung glücklich zu leben Cap. II. §. 2.
d) in Delin. iur. diu. Cap. IX. §. 22. ff.

§. XIV.

Quae §. 11. & 12. monui, hoc loco mutatis mutandis repetenda sunt. Concedo nimirum, eiusmodi principia, seu, quod idem est, *neminem laedas*, esse eius iuris naturae partis, quae ius naturale cogens vocatur, principium cognoscendi primum. In ea tamen sum persuasione, vt restricta illa iuris naturalis significatio minus sit conueniens.

Nostrum illo de systemate iudicium.

Yy

Primo

Primo enim principium illud: perfectionibus rerum conuenienter viuas, non verum solum huius principii: neminem laedas, sensum determinare, sed & huiusmodi principii ad commodationem dirigere debet. Deinde permulti obueniunt casus, in quibus secundum ius naturae officia erga nos ipsos officiis erga alios, etiam iis, quae iure perfecto debemus, praeferenda (§. 19. ff. obs. 29.). Sed haec pro scopo sufficient.

OBSERVATIO XXXV.

DE

PRINCIPIIS IVRIS NATURALIS
PLANE NON ADMITTENDIS.

§. I.

Systema Seldeni

Veniamus tandem ea ad principia iuris naturalis, quae a non-nullis quidem iuris naturalis doctoribus posita, plane tamen non admittenda sunt. Primum inter haec locum occupat illud, quod a IOH. SELDENO *a)* positum est, & quod praecepta Noachi praedicat, ad quae omnes leges naturales reducendae. Praecepta illa Noachi sint septem. 1) *de cultu extraneo*, 2) *de maledictione nominis sanctissimi seu Numinis*, 3) *de effusione sanguinis seu homicidio*, 4) *de turpitudine ex concubitu*, 5) *de furto & rapina*, 6) *de iudiciis seu rege gimine forensi ac obedientia ciuili*, 7) *de membro animalis uiuentis non comedendo*.

a) De iure naturali & gentium iuxta disciplinam Ebraeorum vid. imprimis Lib. I. Cap. X. Plura tam de his praecipis quam SELDENI systemate euoluta habet THOMASIVS in histor. iur. nat. Cap. VI. §. XIII. & ZENTGRAVIUS de origine ver. & rest. iur. nat. Art. VI. §. 38. p. 199.

§. II.

quod non admittendum.

Sed primo cum SPENCERO *a)* merito dubito, an unquam praecepta illa Adami vel Noachi filiis ante Mosis tempora fuerint mandata, cum eorum in sacris litteris ne
vel

vel auram leuissimam percipere liceat. Sed hoc missò, facile tamen erit probare, eiusmodi praecepta non esse fundamentum iuris naturalis. Desunt enim primi iuris naturalis principii conditiones. Quia non est vnicum, ex quo omnes leges iuris naturalis deducendae: quia non ex ratione sed ex reuelatione vel aliunde depromptum. Et quae sunt reliqua.

a) de Legibus Ebraeorum ritualibus Lib. II. Cap. II. Conf. GERHARDI HERMANNI MENCKE Diss. qua Autoritatem praeceptorum abachiticorum in dubium vocat. Lipsiae 1711. hab.

§. III.

Sequitur systema NICOLAI HEMMINGII a), qui ea est *Systema Hemmingii* in persuasione, vt praecepta iuris naturalis commodissime ad *decalogum* referri possint, atque debeant, quia ius naturae egregie in decalogo est expressum, atque ita accurate perfecteque, vt iudicandum, ethnicos hanc methodum vnice amplexuros fuisse, si ab ipso Deo promulgatam tabulisque comprehensam legem naturae credidissent.

a) in apodictica methodo de lege naturae. Conf. CALIXTI Theol. mor. p. 60.

§. IV.

Mea hac de re sententia haec est. Verum esse, vt ius naturae egregie in decalogo sit expressum, atque decalogus omnes iuris naturalis exhibeat leges fundamentales. Inde tamen non sequi, decalogum esse primum iuris naturalis principium, sed compendium iuris naturalis a Deo expresse promulgatum. Decalogus enim non ex natura atque ratione cognoscitur, sed reuelationem supponit. Porro decalogus primum iuris naturalis principium non ponit, sed capita, vt ita dicam, omnium legum naturalium, quae illo ex principio fluunt, docet.

*quod non
admit-
tendum.*

§. V.

Idem dicendum de systemate GRATIANI a) & PRASCHII b). Illius ex sententia ius naturale est, quod in lege & euangelio, & huic, quod in lege Christi continetur. Vnicum addo. Si lex & euangelium, seu, vt PRASCHIVS loquutus est, lex Christi sit principium iuris naturalis; primum illud iuris naturalis principium non erit domesticum. Ex euangelio

*Nec admit-
tendum est
Systema:
Gratiani, &
Praschii.*

Y y 2

enim

enim atque lege Christi permulta fluunt, quae ratione non possunt cognosci, ideoque ad ius naturae non pertinent. Ergo & haec causa est, cur eiusmodi principium pro primo iuris naturalis principio non habendum.

a) Princ. dist. I.

b) in Designatione iuris naturalis ex disciplina Christianorum.

§. VI.

Systema Alberti.

VALENTINA ALBERTIA a) *statum integritatis*, atque reliquias *imaginis diuinae* pro primo iuris naturalis principio ponit, & ex eo leges naturales deducere conatus est. Delineamus hocce systema albertinianum. Primo distinguit b) inter *partes imaginis diuinae principales*, quae ad vitam spiritualem pertinent, vt notitia boni & mali exquisitissima, & cupiditas ac vis agendi salutariter & exacte secundum voluntatem Dei: & inter *partes minus principales*, quae ad naturalem siue ciuilem vitam spectant, vt eximia rerum scientia in intellectu, virtutes in voluntate, immortalitas, & dominium in creaturas. Hac posita distinctione docet, partes priores totas per lapsum Protoplastorum esse deperditas, nec vllis humanis viribus vel minima ex parte recuperari posse. Ex posterioribus autem saltem scientias intellectus quodammodo posse recuperari, idque ope principiorum theoreticorum & practicum, quae, tanquam reliquiae imaginis diuinae, nobis supersunt. Ex his concludit §. 5. & 7. ius naturae in perficiendis reliquiis partium minus principalium imaginis diuinae versari, ideoque §. 14. fontem, e quo a Christianis pura iuris naturalis notitia hauriri potest ac debet, esse orthodoxam doctrinam de statu integritatis, & §. 33. statum integrum manere principium iuris naturalis. Nimirum DEI prouidentia & benignitate fieri, quod post lapsum inter reliquias imaginis diuinae nobis ea conuascantur principia practica, quae non tantum in eodem genere actionis moralis, etsi in minori gradu, hodie possunt obseruari, sed & ad eas actiones, quae statui corrupto sunt propriae, in eodem valore extendi.

a) in compendio iuris naturae orthodoxae theologiae conformatum. Aduersarii sunt PUFFENDORF in specim. controu. Cap. IV. §. 10. ff. THOMASIVS in iurispr. diu. Lib. I. Cap. IV, §. 40. ff. & histor. iur. nat. Cap. VI. §. 23. 31. ff.

b) Part. I. Cap. II. §. I. ff.

§. VII.

§. VII.

Ad praecepta naturalia eo ex principio deriuanda, regulas, *Huius conti-*
 quae sequuntur, suppeditat. 1) *Quicquid ad statum integritatis or-*
thodoxe expositum hodie in moralibus ex aliqua parte recuperandum
pertinet, viribusque naturae recuperari potest, id iure naturali prae-
ceptum est, ideoque nobis faciendum. 2) *Quicquid a statu integrita-*
tis orthodoxe exposito nos hodie in moralibus magis magisque abducit,
viribusque naturae declinari potest, id iure naturali prohibitum est, ideo-
que omittendum. 3) *Quicquid ex hypothesi status corrupti necessario fit, id*
iuxta analogiam status integri orthodoxe expositi ius naturae fieri iubet.
 4) *Quicquid ex hypothesi status corrupti factu necessarium est, aut esse*
videtur, & iuxta analogiam status integri orthodoxe expositi fieri
nequit, illud iure naturae prohibitum est a).

a) vid. l. c. s. 56. ff.

§. VIII.

Duo hoc in systemate distinguenda veniunt. An nimirum *Quod exa-*
 ea, quae ALBERTI docuit, quatenus in se spectantur, sint vera? *minatur.*
 Et an sit systema iuris naturalis? Quoad primum affirmo. Quoad
 secundum nego. Principium enim iuris naturalis, & ius naturae,
 quod inde deducitur, rerum ex notionibus, non ex reuelatione vel
 aliunde depromendum est. Alberti vero eiusmodi a rerum notio-
 nibus recedit, naturamque relinquit. Potius in originem rectae ra-
 tionis inquirat, eamque vt residuam imaginis diuinæ particulam,
 quod reuelatio non vero ratio docet, exponit. Ad eandem fere
 accedit sententiam IOH. FRIDER. HORNIVS. Sic enim ille: a)
recta ratio denotat ipsam essentiam legis naturalis, hoc est, imaginis
diuinæ residua rudera sunt ius naturale proprie dictum. Porro b)
reliquiae imaginis diuinæ constituunt proprie dictum ius naturale.

a) de Subiecto iuris naturalis Cap. II. s. 4.

b) l. c. s. 5.

§. IX.

Plane a vero auersus est PETRVS POIRETTVS, qui a) pro funda- *Systema Poi-*
 mento iuris naturalis habet *reuelationem infusam & inspiratam.* Ve- *retti.*
 rum quidem est, quod monuit, corruptam esse rationem nostram. Sed
 quid inde? ergo perpetuo reuelatio infusa & inspirata expectanda?
 nego consequentiam. Ponamus eiusmodi reuelationem atque in-

Yy 3

spira-

spirationem necessariam esse, estne ipsa ratio, quae veram reuelationem ab apparente & phantasiae effectibus debet distinguere?

a) de eruditione triplici, solida, superficialia & falsa. Lib. I. part. I. §. 23, ff. conf. THOMASII Dissert. ad Poirerti hoc scriptum.

§. X.

Quid de
co: sensu
gentium.

Alienus quoque a iure naturali est *consensus gentium* aut simpliciter, aut alternatiue *omnium nimirum gentium aut moratiorum* positus. Ad illum prouocat CIGERO a) : *omni autem in re consensio omnium gentium lex naturae putanda est*; & ad hunc GVILIELM. GROTIUS b). Rationes cur eiusmodi consensus pro principio iuris naturalis non sit habendus sunt, quae sequuntur. *Prima.* Consensus gentium ea solum docet, quae facta sunt, non vero, quae secundum naturam fieri debent. Atque ideo non est principium iuris naturalis domesticum. *Secunda.* Si id, cuius ratione gentes consentiunt, sit iuris naturalis, consensus tamen gentium idem esse iuris naturalis non demonstrabit, sed solum id, quod ius naturae praescribit, a gentibus esse obseruatum. *Tertia.* Ius, quod ex gentium consensu, quatuor, inferendum, est ius gentium voluntarium non naturale, nisi ea forsitan ratione, qua constitutio est altera natura. vid. obseru. VI. de iure gentium & obseru. XI. de consuetudine. *Quarta.* Quatenus gentes sint moratiores, satis non potest determinari, sed est diuisio a fastu gentium sumpta. c)

a) Quaestionum Tusculanarum Lib. I. Cap. XXX. conf. ZENTGRAV in laud. tract. de origine iur. nat. Art. VI. & IX. GROTIUS I. B. & P. Lib. I. Cap. II. Sect. III.

b) de principiis iuris nat. Cap. I. §. 9.

c) conf. THOMASII fundam. iur. nat. Lib. I. Cap. V. §. 72. ff.

§. XI.

De instinctu
naturali.

Qui cum ARISTOTELE a) ad *instinctum naturalem*, aut quod idem est, cum TRIBONIANO b), ad id, quod *natura omnia animalia docet*, cum MELANCHTHONE c) ad *notitiam insitam* & cum ROBERTO SCHARROCKIO d) ad *notiones innatas* prouocant, aut in ea sunt persuasionem, ipsum instinctum naturalem esse iuris naturalis fundamentum, aut primum iuris naturalis principium esse: *Ad quodcumque animantia omnia naturali quodam instinctu feruntur, id homini iure naturali praeceptum & faciendum est: & a quocumque omnia animantia per naturam abhorrent, id homini iure naturae interdictum atque omitendum*

tendum est. Illi, mea quidem sententia, ius naturae subiectivae sumtum a iure naturali systematice sumto non satis distinguunt. Instinctum naturalem seu stimulus naturales esse ius naturae subiectivae sumtum, huiusque principium essendi esse ipsam nostram essentiam existentem seu naturam satis demonstraui §. 1. ff. obs. 3. & §. 6. obs. 32. Hoc vero loco non sermo est de principio iuris naturalis subiectivae sed systematice sumti. Horum vero sententiam non omnimode admittendam esse argumentationibus, quae sequuntur, corrobore. Prima est. Posito eo principio, non satis erit clarum, in quo illud consistat, ad quod animantia omnia naturali quodam instinctu feruntur, & a quo per naturam abhorrent. Est itaque principium non evidens (§. 16. obs. 32). Secunda est. Ex eo, quod de differentia inter ius naturale subiectivae sumtum, quod hominibus cum brutis communē, & quod hominibus proprium est §. 19. obs. 3. demonstraui, satis est manifestum, ex principio illo, quod posuerunt, omnes conclusiones, quae ad ius naturae pertinent, non posse inferri. Est itaque principium iuris naturalis non adaequatum (§. 18. obs. 32). e)

a) de arte Rhetorica. Lib. I. Cap. XIII. §. 3. ex edit. Schraderi.

b) Inst. de I. N. & G. & Ciu. conf. RACHELIUS de I. N. & G. Diff. I. §. 2. & HORNIVS de Subiecto iuris natur. Cap. II. §. 14. WESENBEIVS in Comment. ad Instit. de I. N. G. & Ciuil.

c) Epitom. phil. moral. p. 102.

d) de Offic. secundum ius nat. Cap. I. n. 7.

e) conf. Praefat. Edit. tertiae Instit. Iurispr. vniuers. praemissa,

§. XII.

Clar. IOAN. GOTTHELF ROSA a) ea est in persuasione, vt omnium commodissime illud γινώσθαι σε αυτον, hoc est, *cognosce te ipsum* iuris naturalis principium possit constitui: Quod hac ratione euoluit b): „*cognosce te* triplici mentis reflexione. Primum *respice*, vt „inuenias vnde sis, seu originem tuam. Deinde *inspice*, vt videas „quis & qualis ipse sis, hoc est, naturam atque propensionem tuam. „Denique, *prospice* vt scias, vbi sis, seu statum tuum socios, & quic- „quid te circumstat in hoc vniuerso. Primum si fit, homo, ascendendo retro a parentibus, non potest non denique ad causam aliquam „omnium primam meditatione mentis attingere, hoc est, DEVM, cui „quantum debeat, ex eo ipso colliget, quod originem ipse debet, „quod,

Et de cogitatione sui sentiendum.

„quod, quicquid est in hoc vniuerso, istius officium est: cuius in-
 „de attributa, & quid ea a nobis faciendum fugiendumue inuoluant,
 „facile cognoscet. *Deinde* homo se ipsum intuens, cognito, se cor-
 „pore atque spiritu constare, illo summa summi artificis arte extru-
 „cto; hoc rationis inhabitantis insigni dono pollente: eliciet inde,
 „quid sibi ipsi debeat, tum vt menti, tum vt corpori recte consulat.
 „*Denique*, vbi prospicit, variaque offendit vitae subsidia, multos vi-
 „tae focios, qualis erga natura pares & inferiora animantia, imo er-
 „ga inanina quoque esse debeat; oppido deprehendet. Vt itaque
 „homo in se ipso, quod Deus naturali dictamine ab eo exigit, hac
 „via inueniri possit., Accipe meum hoc de systemate iudicium.
 Praeclara dicta sunt, sed ad primum iuris naturalis principium non
 pertinentia. Duo in leges iuris naturalis inquisiturus debet distin-
 guere, principium iuris naturalis primum, quod illis in argumen-
 tationibus dat maiorem, & notiones rerum, ex quibus propositiones
 minores sumendae, ad quas principium illud primum adplicari
 potest, vt inde eueniant leges iuris naturalis specialiores. *Cognosce*
te ipsum non ad illud sed ad hoc pertinet. Est medium inueniendi
 propositiones haec minores. Sit nimirum principium iuris natu-
 ralis primum: *Quicquid perfectionibus rei, de qua sermo est, conue-*
niens, id faciendum est, haec erit ponenda quaestio: Quid est, quod
 perfectionibus rei, de qua sermo est, conueniens? Hanc ad quaes-
 tionem responsiones illius sui ipsius cognitionis ope inueniri pos-
 sunt. Idem est, quod ipse Vir clarissimus, verbis, quae sequuntur,
 tacite docet c): „Imo iuris naturalis leges in ipsa hominis natura
 „sunt delineatae, descriptae & promulgatae omni generi humano.
 „Quod si est, ex ipsa hominis natura eruendae erunt, vt cognoscas.
 „Id quod qua ratione felicius fieri possit, quam *sui isthac inspectio-*
ne, non video: quae quidem vt ita procedat, vt tres officiorum
 „classes inde possint deriuari, triplex ista reflexio instituenda erit,
 „quam modo indicauimus.,

a) in Dissert. de cognitione sui iuris naturalis principio. Ienae
 1718 hab.

b) l. c. § 15. f. p. 20.

c) l. c. §. 17. p. 23.

IENAE, LITTERIS FICKELSCHERRIANIS.



IOACH. GEORGII DARJES

SERENISSIMO DVCI SAX. VIN. ET ISEN. A CONSILIIIS AVLICIS
PHIL. ET J. V. D. PHIL. MOR. ET POL. P. P. O.

OBSERVATIONES
IVRIS NATVRALIS
SOCIALIS ET GENTIVM


AD
ORDINEM SYSTEMATIS SVI
SELECTAE.



VOLV MEN II.

I E N A E,
SVMP TIBVS THEOD. WILH. ERNEST: GÜTH.

1 7 5 4.



LECTORI SALVTEM

ET

OFFICIA.



Accipe, *Acquanime Lector*, volumen secundum observationum iuris naturalis & gentium, ad ordinem systematis mei selectarum, eodem, quo primum accepisti, animo. De consilio modoque scribendi in praefatione ad volumen primum dixi. De ordine huius voluminis pauca atque breuissime in limine te admonebo.

Prima huius voluminis observatio, quae in serie observationum est observatio XXXVI. ea illustrat, ex quibus §. 150. 152. I. N. argumentatus sum, & inquit in *originem iuris ex obligatione*. Sunt qui negant, omne ius ex obligatione oriri. Sunt qui affirmant. Multae per hanc rem & inter gentes & inter priuatos componi possunt controuersiae. Qua ex causa sensum quae-

):(2

stio-

stionis definiui, & sententia illorum infirmata, horum sententiam limitavi, limitatamque probavi. Hac de re pag. 3-11.

Observatio XXXVII. ad §. 153. I.N. in *diuisionem iuris in perfectum atque imperfectum* inquit. Non nulli ius imperfectum inter ea referunt, quae non sunt iura nisi significatione impropria. Nonnulli ius perfectum a iure cogendi non satis distinguunt. Inde dissensus, & praeiudicia. Qua de re pag. 11-20.

Observatio XXXVIII. ad §. 155. I.N. exhibet veras *de iusto atque iniusto notiones*. Termini sunt ambigui. Inde alia significatione iustum esse potest, quod alia significatione est iniustum. Nexum eius modi significationum delineavi vsuque demonstraui. Qua de re pag. 20-26.

Observatio XXXIX. ad §. 157. exhibet *obligationem ad obseruandum decorum arbitrarium*. Vulgo dicitur obligationem ad obseruandum decorum esse imperfectam. In contrarium adducuntur bella, quae ob decori violationem geruntur. Qua ex causa decorum definiui. Definitum diuisi. Naturam huius obligationis determinaui, determinatamque ab impugnationibus defendi pag. 26-35.

Observatio XL. Ad §. 162. ff. I.N. exponit *naturalem poenarum mensuram*. Disputant sapientis de causa, quae poenas determinat, efficiente, de poenarum iustitia atque iniustitia, de causa poenarum impulsua atque finali. De vsu atque abusu poenarum. Missis praeiudiciis rem secundum regulas, quae non sumtae sed demonstratae sunt, examinaui. Qua de re pag. 36-58.

Obser-

Obferuatio XLI. §. 162. I. N., in *veram cauffam* quae actionibus malis *quantitatem* constituit *moralitatis* inquit, & inde respondet ad celebrem quaestionem, *cur quantitas illa moralitatis fit mensura poenae, quam quis meretur, non vero poenae exigendae.* pag. 59-64.

§. 211. ff. I. N. eam exposui iurisdictionis speciem, quae vocatur imputatio. Quaeritur genus. Quid sit iurisdictionis. Quanam sit huius ab imputatione diuersitas. An iurisdictionis sit effectus proprius imperii. Et quae reliquae. *Obferuatio XLII.* quae de *iurisdictione eiusque ab imputatione diuersitate* agit, illa examinat, & ad quaestiones respondet. pag. 65-78.

Actus intellectus non esse sub imputatione, ideoque haeresin non esse cimen, vulgo dicitur. Non-nulli dissentiunt, & dissensus non viderur fundamento destitutus. Propositio illa est limitanda. Vfus rei non est exiguus. Haec sunt, quae examinat:

Obferuatio XLIII. de *imputatione eorum, quae ab intellectu dependent,* agens p. 79-83.

Obferuatio XLIV. doctrinam de *imputatione criminis vagi* delineat, eamque contra honesti pugnare principia demonstrat p. 83-96.

Obferuatio XLV. exponit *imputationem actionum alienarum.* Distinguendum hoc loco esse inter imputationem physicam atque moralem monui. Et illius & huius demonstrandi naturam, principiaque, quae eiusmodi imputationis determinant quantitatem p. 97-130.

Obferuatio XLVI. ad §. 212. I. N. docet *viam componendi speciem facti* p. 130-133.

Obferuatio XLVII. ad §. 243. I. N. *naturam libelli* delineat, in easque inquit regulas, quae ex ipsa libelli fluunt notione p. 133-138.

P R A E F A T I O.

Obferuatio XLVIII. ad §. 222. I. N. *de iudice agit.* In iudicis notionem, diuifiones, atque ea inquirat attributa, quae ex ipfa iudicis notione fluunt p. 138-142.

Obferuatio XLIX. ad §. 236. I. N. *exhibet notionem fententiae,* & ex hacce concludit requifita fententiae, fi fit iufta, eaque vera vel falfa, atque iniufta, eaque nulla vel iniqua p. 142-145.

Obferuatio L. ad §. 252. I. N. *exponit egoifmum morale,* eumque contra rationem pugnare demonftrat, demonftrataque, licet fententiae vulgo receptae contraria, ab impugnationibus defendit p. 145-166.

Obferuatio LI. ad §. 266. I. N. *agit de ftatu neceffitatis.* Species huius neceffitatis, quae alia eft ad honeftatem, alia ad incolumitatem, & alia ad commoditatem, euoluit, & hisce ex notionibus colligit regulas in neceffitate illa obferuandas, per quas controuerfiae de iure & fauore neceffitatis poffunt componi. pag. 166-180.

Obferuatio LII. ad §. 320. I. N. *respondet ad quaeftiones: an & quomodo nobis competat ius alios ad officia innocuae vtilitatis praeflanda cogendi.* Notionem eiusmodi officiorum euoluit. GROTII hac de re fententiam exponit atque limitat. Terminos ponit, sub quibus eiusmodi officiorum ratione ius cogendi locum habet atque non habet. 180-190.

Obferuatio LIII. ad §. 321. I. N. *examinat actionem ingrati.* Haec eft meditatio BOECLERI a nobis notis illuftrata p. 190-225.

Obferuatio LIV. ad §. 322. I. N. *exponit id quod ad rō noftrum pertinet, fpeciatiim morale.* Ex notione nominali in
infti-

institutionibus I. N. data deducit realem, principiaque metaphysicorum ad obiectum morale adcommodat pag. 225 - 234.

Obferuatio LV. in veram laesionis naturam eiusque a turbatione diuersitatem inquirit. p. 234 - 243.

Obferuatio LVI. ad §. 330. I. N. agit de damno eiusque caussa p. 243 - 262.

Obferuatio LVII. demonstrat effectus probabilitatis secundum ius naturae, in specie inquirit in damnum imminens. Probabilitatem licitam ab illicita distinguit, & iura quae ex illa descendunt, determinat p. 262 - 268.

Obferuatio LVIII. ad §. 332. I. N. delineat praestationem damni. Quaerit de fundamento iuris, postulandi praestationem damni: de qualitate huius iuris: de fundamento eius, cur damni caussa ad damnum praestandum teneatur: de qualitate damni, quod praestandum: et de beneficio ordinis. p. 268 - 278.

Obferuatio LIX. respondet ad quaestionem: an actio noxalis sit iuris naturalis. Docetque determinationes, sub quibus affirmando, & sub quibus negando respondendum. pag. 278 - 286.

Obferuatio LX. ad §. 337. I. N. exponet doctrinam de damno, quod in consequentiam venit. Vsumque huius, qui illustris est, demonstrat pag. 286 - 290.

Obferuatio LXI. ad §. 341. I. N. respondet ad celebrem quaestionem, an spes lucri in praestando damno aestimanda. Argumenta & negantium & affirmantium examinat p. 290. ff.

Obferuatio LXII. definit & bellum & belli species.
Obfer-

P R A E F A T I O.

Obseruatio LXIII. agit de bello defensiuo. Ius defensionis a bello defensiuo distinguit. Hoc quando sit iustum determinat, & casus exponit. p. 305-316.

Obseruatio LXIV. quaerit: *an bellum defensiuum, si sit iustum, requirat periculum praesens.* Quaestionem accommodat ad illustrem illam: *an arma recte sumantur ad imminuendam potentiam crescentem.* p. 316-324.

Obseruatio LXV. exhibet bellum reparatiuum. Ius postulandi praestationem damni a bello reparatiuo distinguit, in huiusque iustitiam inquirat p. 324-329.

Obseruatio LXVI. defendit bellum punitiuum. Ius puniendi non ex superioritate sed ex iure naturali deducit, & quomodo in statu naturali bellum punitiuum iuste suscipiendum demonstrat p. 329-338.

Obseruatio LXVII. euoluit iustum bellum pro aliis suscipiendum, & docet, quomodo quilibet naturaliter sit sui & alieni iuris executor. p. 338.

Obseruatio LXVIII. demonstrat modos in statu naturali componendi controuersias, nimirum colloquium, pactum, compromissum, sortem & bellum iudiciale. pag. 344.

Ita Vale, Lector beneuole, obserua officia, quae scriptoribus debes, & vttere iure tuo examinandi omnia, tenendi bona! Dab.

Ienae MDCCLIV. M. MAIL.



OBSER-

OBSERVATIONVM
IVRIS NATVRALIS
ET GENTIVM
VOLVMEN II.



OBSERVATIO XXXVI.

Ad §. 150 - 152.

DE

ORIGINE IVRIS
EX OBLIGATIONE

§. I.

QUUM actio nobis moraliter sit possibilis, quae per nos saluis legibus fieri potest; sequitur, duo esse actionum moraliter nobis possibilium genera. *Moraliter possibile, quae tripliciter.* Alterae ea ex ratione nobis moraliter possibles sunt, quia legibus faciendae sunt praescriptae, *al-* *serae,* quia legibus non sunt prohibitae.

SCH. Haec est causa, cur id, quod nobis moraliter possibile est, negante magis sensu quam aiente §. 150. I. N. explicauerim, ut moraliter nobis possibile sit, quod legibus non repugnat.

§. II.

Ius subiective seu pro qualitate personae sumtum significat facultatem ea, quae nobis bona sunt, agendi (§. 6. obs. 2.). *Inde iura sunt vel libertates* Quae nobis bona sunt, legibus non repugnant, (§. 9. obs. 18.), *ideo-* *moraliter vel*

A 2

*Iura stricte
sumta.*

ideoque moraliter nobis possibilis sunt (§. 1.). Ergo & ius subiective sumtum est facultas ea agendi, quae nobis moraliter possibilis sunt. Ex quo colligimus, duo esse iurium subiective sumtorum genera. Concipere enim possumus *iura*, quae sunt facultates ea faciendi, quae legibus facienda sunt praescripta, & *iura*, quae sunt facultates ea faciendi, quae legibus non sunt prohibita. *Illa* ex iure, obiective nimirum sumto, praeceptivo, & *haec* ex iure permissivo descendunt (§. 2. obl. 26.). *Haec libertatem moralem* constituunt. *Illa* eandem restringunt. Qua ex ratione illa *libertates morales*, *haec* vero *iura stricte*, seu in oppositione ad libertatem moralem sumta vocari possunt. THOMASIVS a) huius generis iura vocat iura in sensu aiente, & illius generis, iura in sensu negante, h. e. non esse iniusta.

a) in Fund. I. N. & G. Lib. III. Cap. VII. §. 14.

§. III.

*Posita obligatione
ponitur ius
stricte
sumtum.*

Posita obligatione ad aliquid faciendum vel omittendum, ponitur quoque ius faciendi vel abstinendi in oppositione ad libertatem moralem sumtum. Quum enim posita obligatione ad aliquid faciendum, lex quoque sit ponenda, quae idem faciendum praescribit: & quum posita obligatione ad aliquid omittendum, lex quoque sit ponenda, quae idem prohibet (§. 10. obl. 18.); sequitur, nobis moraliter possibile esse, ut id faciamus, ad quod faciendum, & omittamus, ad quod omittendum obligati sumus, quia legibus faciendum vel omittendum sunt praescripta (§. 1.). Posita itaque obligatione ad aliquid faciendum, ponitur faciendi, & posita obligatione ad aliquid omittendum, ponitur abstinendi ius in oppositione ad libertatem moralem sumtum (§. 2.).

SCH. Sic lex, quae *nostram* praescribit *conseruationem*, nobis dat ius proprie sic dictum ad omnia media, sine quibus vita non potest conseruari, adhibenda: & lex *de non laedendis aliis* nobis dat ius ab omnibus abstinendi, quae aliorum laesionem aliquo modo efficiunt.

§. IV.

*Posito iure
stricte sic*

Posito iure stricte sic dicto ponitur obligatio. Quum enim ius

ius stricte sic dictum sit facultas ea faciendi, quae legibus faci- *dicto poni*
 cienda sunt praescripta (§. 2.); manifestum est, nobis non *iur obligat*
 competere ius stricte sic dictum, ad aliquid faciendum, nisi *tio.*
 ut idem faciamus, & ad aliquid omittendum, nisi ut idem
 omittamus obligati simus (§. 3. obs. 18.). Quae cum ita sint,
 sequitur, posito iure stricte sic dicto ponendam quoque esse
 obligationem.

SCH. Sic eo in casu, quo vitam nostram sine alterius morte
 non possumus conservare, nobis ius homicidium admittendi com-
 petere ea ex obligatione colligimus, quae nos ad sui ipsius con-
 servationem ducit.

§. V.

Haec de iure stricte sic dicto. Sequitur libertas moralis. *Vbi nulla*
 Primum, quod huius ratione pono theorema est, quod sequi- *est obligatio,*
 tur: *Vbi nulla est obligatio, quae nos ad id, de quo quaestio est, ibi est liber-*
tas moralis.
faciendum vel omittendum ducit, ibi ponenda est libertas mora-
lis. Vbi enim nulla est obligatio, quae nos ad id, de quo
 quaestio est, faciendum vel omittendum ducit, ibi quoque
 actio illa legibus nec praescripta nec prohibita est (§. 10. obs.
 18.). Nobis itaque illud agendi vel omittendi competit fa-
 cultas moralis, quia legibus non est prohibitum (§. 1.) Ex
 quo manifestum est, libertatem moralem eo in casu ponendam
 esse, in quo nulla est obligatio, quae nos ad id, de quo
 quaestio est, faciendum vel omittendum ducit (§. 2.).

§. VI.

Alterum est: *Vbi est libertas moralis, ibi nulla est obliga-*
tio ad id, de quo quaestio est, faciendum vel omittendum. Quum *Et ubi est li-*
 enim libertas moralis eo solum in casu possit poni, quo actio, *bertas mor-*
 quae obuenit, nec facienda nec omittenda legibus est deter- *ralis, ibi*
 minata (§. 2.): & quum lex ponenda sit, posita obligatione (§. *nulla est*
 10. obs. 18.); manifestum est, libertatem moralem eo solum *obligatio.*
 in casu locum habere, in quo nulla est obligatio, quae nos
 ad id, de quo quaestio est, faciendum vel omittendum ducit.

§. VII.

*Ex quibus
origo iuris
ex obliga-
tione expli-
catur.*

His praemissis, facile erit intelligere, quo sensu vera sit propositio, quae docet: *omne ius ex obligatione oriri*, atque *ius & obligationem esse correlata*. Aut enim sermo est de iure stricte sic dicto, aut de iure, quod significat libertatem moralem. Si *illud*, ex demonstratis patet, propriam originis & correlatorum significationem hic inuenire locum (§. 3. & 4.). Si *hoc*, ex demonstratis manifestum est, libertatem moralem ex obligatione non effectiue sed, vt cum scholasticis dicam, reductiue oriri, ideoque hunc esse dicti sensum: Ex relatione actionis ad obligationes cognoscendum est, an nobis id agendi competat libertas moralis. Si enim obligatio adsit, quae nos ad illud faciendum ducit, idem facere debemus; si obligatio adsit, quae nos ad illud omittendum ducit, ab eiusmodi actione abstinere debemus. Ex eo itaque nobis competere libertatem moralem intelligimus, quia nulla adest obligatio, quae nos ad faciendum aut ad abstinendum ducit. Ex quo porro colligimus, libertatem moralem & obligationem ea solum significatione vocari correlata, qua permissiones & leges correlata sunt, ita nimirum, vt alterius negatio alterius inuoluat positionem. Positio obligationis ponit ius proprie sic dictum & negat libertatem moralem. Negatio libertatis moralis ponit obligationem (§. 5. 6.). Et quae sunt reliqua.

§. VIII.

*Gundlingii
hac de re
sententia.*

Omne ius & stricte sumtum & libertatem moralem significans ex obligatione oriri, illud effectiue, hoc vero reductiue seu, vt ita dicam, permissiue satis, vt opinor, demonstratum est. Euoluamus argumenta dissentientium. Primus, qui dissentire videtur, est NICOL. HIER. GUNDLINGIUS, qui hac de re ea, quae sequitur ratione, argumentatus est a): „Vbi „obligatio, ibi ab altera parte ius est: non autem vbi ius, ibi „semper obligatio. Postremum intelliges, si hominem in sta- „tu bellico consideres, aut saltem periculo, vbi de sua solum „conseruatione est sollicitus. Ita in bello vniciue bellige- „ranti

„ranti competit ius cogendi alterum; neuter autem obstri-
ctum se sentit, cogi vt se patiat, aut indefensus pereat.

a) I. N. & G. Cap. I. §. LVII.

§. IX.

Eandem ad sententiam accedit III. Glassey: Sic enim ille: *¶ 1. et 12. Glassey etc.*
„Adam hat von Gott ein Recht, der ganzen Welt sich zu gebrau-
„chen, bekommen, welches aber, so lange Adam noch allein war, *ponitur.*
„keine obligation zum correlato hatte, angesehen weder Gott,
„noch auch die andern der Vernunft beraubten Creaturen, ausser
„dem Menschen eines Gesetzes oder obligation fähig seyn. *See*
„setzt nun, daß Gott keinen Menschen mehr als den Adam er-
„schaffen hätte: so würde Adam ein ius besessen haben, welches
„keine obligation zum correlato gehabt. Noch deutlicher siehet
„man solches an furiosis und Kindern, von welchen ein negotio-
„rum gestor seinen Aufwand wieder fordern kan, mithin gegen
„sie ein ius hat, ob man gleich nicht sagen kan, daß sie zur Wie-
„derersekung obligiret sind, in mehrern Betracht, daß derglei-
„chen Menschen gar keiner Partition, und also auch keiner obli-
„gation, wegen gänzlicher Ermangelung des Verstandes weder
„immediate ex lege, noch durch den consensum fähig zu achten.
„Audiemeilen aber dieses nur exceptiones a regula sind und wie
„die Ausführung weist, gar besondere Umstände erfordern; so
„hat es bey der Regel, daß die obligation ordentlicher weise ein
„ius zum correlato habe, um so mehr dormalen sein Bewenden,
„als die allermeisten obligationes, wie die induction ausweist,
„damit verknüpft seyn.

a) Im Rechte der Vernunft Lib. I. Cap. I. §. 200-201. p. 125. sq. Edit-
tert. Confer. THOMASIVS in fundamentis I. N. & G. Lib. III.
Cap. VII. §. 10. ff.

§. X.

Sed quae in contrarium adducta esse videntur, illud tan- *& respon-*
tum probant, dari casus, in quibus nobis competit ius, ab al- *detur.*
tero, vt nobis aliquid praestet, postulandi, atque ius aliquid
in eo nostrum recipiendi, etsi altera pars, vt illud praestet,
aut

aut hoc patiat, non sit obligata. Hoc vero ab iis non affirmatur, qui omne ius ex obligatione oriri, seu ius & obligationem esse correlata defendunt. Duo bene distinguenda hic obueniunt. *Primum*: an statim obligatio sit in altero, ubi ius est in vno? *Secundum*: an quis merito affirmare possit, se habere ius ad aliquid habendum vel agendum, qui eiusmodi ius sibi competere non ex relatione ad obligationes colligit? *Illam* propositio nec a nobis nec ab aliis demonstrata est. Et permulti adsunt casus, qui eandem non esse vniuersaliter veram, corroborant, verbi gratia, in imperantibus est ius ad exigendam poenam, sed non est obligatio in reo *a*). *Alteram* propositio est ea, quam demonstrauius & quam velii casus, quos dissentientes in contrarium adduxerunt, corroborant. Verbi gratia: Adamus habuit ius, bona mundi in se suum recipiendi, sed non alia ratione, quam qua hoc, saluis obligationibus, quibus obstrictus, fieri potuit. Porro negotiorum gestori ea ex ratione competit ius a furiosis atque infantibus, quorum negotia gessit, restitutionem impensarum postulandi, quia id officia, quae sibi metipsum debet, iubent. Et quae sunt reliqua.

a) Conf. PUFENDORF de I. N. & G. Lib. III. Cap. V. §. I.

§. XI.

*Sententia
Thomasi
hac de re
explicatur.*

Addamus quaedam de doctrina THOMASII, quae a nobis demonstratae contradicere videtur. Prima, quam demonstrauius, thesis haec est: *posita obligatione ponitur ius*. THOMASIVS docet *a*), obligationem esse latiore iure, ideoque dari obligationem internam. nimirum, cui ius non respondet. v. gr. nos obligatos esse ad moderandos affectus, licet non dicendum, nobis competere ius eiusmodi obligationi respondens. Sed *primo* notandum est, THOMASIVM vocem iuris significatione strictiori sumere, qua idem est, quod ius externum seu facultas moralis ea agendi, quae nobis in relatione ad alios facienda legibus sunt praescripta, nos vero per ius quamcunque facultatem moralem intelligere. *Deinde*, sumamus significationem illam iuris strictiorem, consequentia tamen

men non legitime inde erit illata. Quum enim obligati sumus ad moderandos affectus; consequens erit, nobis quoque in relatione ad alios homines competere ius obligationi illi respondens, omnia nimirum remouendi, quae nobis affectus moderantibus impedimento esse possunt. Altera a nobis argumentis corroborata thesis est; *positio iure ponitur obligatio*. E sententia vero THOMASII b) datur ius aliquod irregulare, cui non respondeat obligatio, vt illud est, quod competit in casu periculi praesentis ad vitam seruandam, si tabula in naufragio duos seruare nequeat, vbi vterque habent ius alterum depellendi. Porro, quod nobis competit, si claudus vel alius nos fugientes impediatur. Et quae sunt reliqua. Sed nego, eiusmodi iura esse sine correspondente obligatione, ratio enim, cur dicto in casu vterque habeant ius alterum depellendi, est quia ad seruandam vitam sunt obligati. Ideoque, vt responsum III. MASCOVII c) meam faciam, quae a THOMASIO in contrarium adducta sunt, illud tantum probant, dari casus, in quibus ius, quod nobis competit, inutile fiat per conflictum iuris similis, alii personae competentis, non autem fallere regulam: *iuri semper respondet obligatio*, arctissimo tibi sine fultam.

a) *fundam. I. N. & G. Lib. I. Cap. V. §. XVIII. ff.*

b) *l. c. Lib. III. Cap. VII. §. 14.*

c) *in animaduersionibus ad PVFENDORFII I. N. & G. Lib. III. Cap. V. §. I. n. I.*

§. XII.

Attigit discursus, quem hucusque continuavi, doctrinam de origine iuris ex obligatione, & qua ratione obligatio & ius sint correlata. Sequitur vsus, quem explicata in iusti atque iniusti scientia praestant. Primum vsus praestat in responsione ad quaestionem: *an nobis hoc vel illud agendi competat ius?* Quum enim omne ius aut effectiue aut reductiue oriatur ex obligatione (§. 7.); consequens est, vt tres casus ad quaestionem illam responsurus debeat distinguere. *Primus* est, si adsit obligatio, quae nos ad hoc vel illud faciendum ducit.

DARLES OBS. I. N. T. II.

B

ducit. Posito hoc, nobis id, de quo quaestio est, agendi competet ius proprie sic dictum seu in oppositione ad libertatem moralem sumtum. *Secundus* est, si non adsit obligatio ad id, de quo quaestio est, faciendum vel omittendum. Posito hoc, nobis illud agendi competet ius, quod significat libertatem moralem. *Tertius* est, si adsit obligatio ad id, de quo quaestio est, omittendum. Posito hoc, consequens erit, nobis illud agendi nec ius stricte sic dictum, nec ius pro libertate morali sumtum competere.

SCH. Verbi gratia. Caius ponit quaestionem, an sibi competat ius debitorem suum cogendi ad id, quod debet, praestandum. Ad quaestionem illam legitime responsurus *primo* in statum Caii, *deinde* in statum debitoris, & *tandem* in relationem Caii ad debitorem inquirere debet, quo obligationes, quibus Caius obstrictus est, determinare possit. His factis, ex iis, quae in commate diximus, patebit, responsionem esse in promptu.

§. XIII.

atque secundus.

Secundum usum praestat in responsione ad quaestionem: *an quis iuri suo possit renunciare?* Vulgo quidem dicitur, quemlibet iuri suo posse renunciare, sed adprobato illo principio, quod docet, omne ius ex obligatione aut effectiue aut reductiue oriri, manifestum est, illud, quod vulgo simpliciter enunciatur, cum limitatione sumendum esse. Nimirum, aut sermo est de iure, quod ex obligatione effectiue, aut de iure, quod ex obligatione solummodo reductiue oritur. Si *prius*, ea, quae de origine iuris ex obligatione demonstrauius, docent, principium illud esse falsum. Qui enim eiusmodi iuri renunciat, is non agit ea, ad quae agenda obligatus est (§. 7.). Violat itaque leges (§. 10. obs. 18.). Ideoque eiusmodi iuris renunciatio moraliter nobis est impossibilis (§. 1.). Si vero *posterius*, eiusmodi iuris renunciatio inter ea, quae nobis moraliter possibilia sunt, referri debet. Quum enim eiusmodi ius ex obligatione solum reductiue oriatur; consequens erit, nullam adesse obligationem, quae nos ad illud faciendum vel omittendum ducit (§. 7.). Ergo nec eo in casu, quo illud facimus,

cius, nec eo in casu, quo ab eodem abstinemus, agimus contra leges (§. 10. obl. 18.). Hoc satis est ad probandum, eiusmodi iuris renunciationem nobis moraliter esse possibilem (§. 1.). Manifestum itaque est, theorema illud: *quilibet iuri suo renunciare potest*, non spectare ius stricte sic dictum, sed ius pro libertate morali sumtum.

SCH. Et hoc est, ex quo responsiones ad permultas, quae statum subiectionis in ciuitate spectant, quaestiones, determinate fluunt. Notum enim est, ciues, qui imperio ciuili se subiiciunt, iuribus, quae per naturam habent, renunciare. Sed quibus? iis, quae sunt iura stricte sic dicta, aut iis, quae libertatem moralem significant? Demonstratum est, illud fieri non posse. Ergo solummodo libertati morali, qua per naturam pollent, renunciant. Sed de his suo loco plura.

OBSERVATIO XXXVII.

Ad §. 153.

DE

IVRE PERFECTO ET IMPERFECTO.

§. I.

Sequitur diuisio iuris in *perfectum & imperfectum*, de qua Scopus ob- quaeritur, *primo*, vtrum sit diuisio iuris in genere, an in seruationis? specie considerati? *secundo*, quodnam sit eiusmodi diuisio- nis fundamentum? *tertio*, quatenam sit ratio denominationis? De singulis breuiter dicturi sumus.

§. II.

Quod primam adinet quaestionem, *alii* ad priorem ac- Vtrum ius cedunt sententiam, ius nimirum in genere spectatum aut esse in genere an perfectum aut imperfectum, *alii* ad posteriorem, nimirum di- in specie uisionem iuris in perfectum & imperfectum non spectare ius considera- in genere sed certam iuris speciem. Meum, quod hac de re tum sit vel facio iudicium, est quod sequitur. perfectum vel imper- fectum. Omne ius oritur ex obli- gatione, scilicet.

Nuis ratione iura diuiduntur in absoluta & relativa.

gatione, ideoque aut ex tali obligatione, qua obstrictus est is, cui ius illud competit, aut ex tali obligatione, qua alter nobis obstrictus est. Prioris generis iura *absoluta*, & posterioris generis iura *relatiua* vocabo. Ratio denominationis est, quia prioris generis iuri obligatio, quae posito subiecto, cui ius competit, posterioris vero generis iuri obligatio, quae non nisi in relatione vnus ad alterum ponenda, respondet.

SCH. Sic ius animum perficiendi ea ratione est *absolutum*, qua fluit ex obligatione, qua homo ad sui culturam tenetur, ius vero postulandi, vt alter nobis praestet damnum, ea ratione est *relatiuum*, qua fluit ex obligatione, quae nos ducit ad neminem laedendum.

§. III.

Iura absoluta non diuiduntur in perfecta & imperfecta.

Qui iura absoluta in perfecta & imperfecta diuidit, & vsui loquendi & principiis contradicit. Primum e definitionibus, quibus ius perfectum ab imperfecto distinguunt, manifestum est. Sic v. gr. *PVFENDORF a)* hac de re loquutus est: „Quaedam nobis debentur ex iure perfecto, quaedam ex imperfecto. Illo modo quae nobis debentur, vbi vltro non tribuntur, fas est in libertate naturali degentibus vi belloque ad ea praestanda alterum adigere; aut in eadem ciuitate si viuamus, contra eundem actio datur: hoc autem modo debita bello vindicari, aut actione intentata extorqueri non possunt.“ Ipsae itaque de iure perfecto atque imperfecto definitiones docent, eiusmodi iuribus semper respondere obligationes, quibus alter nobis obstrictus est, ideoque eiusmodi iura secundum loquendi vsum esse *relatiua* (§. 2.). Alterum hac ratione euinco: Notum est, primum officiorum, quae ex iure perfecto debemus, esse illud *de non laedendis aliis*. Satis itaque inde patet, ius perfectum esse tale, cui obligatio, qua alter nobis tenetur, respondet, ideoque ius *relatiuum* (§. 2.). Ius perfectum atque imperfectum sunt *cospecies* proximae eiusdem generis. Ius itaque, quod in perfectum atque imperfectum diuiditur, est *relatiuum* (§. 2.).

SCH.

SCH. Nota, ius absolutum aliud significare in oppositione ad hypotheticum, aliud in oppositione ad relatiuum. *Ius absolutum in oppositione ad hypotheticum* sumtum est ius, quod nobis natura factis non determinata competit, *hypotheticum* vero vocatur, quod non nisi praeuio facto quodam habemus. Sic ius se defendendi est absolutum in oppositione ad hypotheticum sumtum, ius vero ab altero postulandi, vt seruet pactum, est ius hypotheticum. De iure absoluto, quod in oppositione ad relatiuum sumitur, diximus §. 2. & 3.

a) *L. c. Lib. I. Cap. VII. §. 7. Conf. Perillustr. L. B. DE WOLF phil. pract. vniuers. Part. I. Cap. II. §. 235. ff.*

§. IV.

Colligimus inde, iura, quae in perfecta & imperfecta diuiduntur, esse relatiua, ideoque diuisionem iuris, quatenus pro qualitate personae sumitur, ea, quae sequitur, ratione formandam esse. Obligatio, ex qua ius, de quo quaestio est, oritur, aut est talis, qua is, cui ius illud competit, tenetur, aut talis, qua alter nobis obstrictus est. Si illud, ius est *absolutum*, si hoc, *relatiuum*. Posito iure relatiuo aut saluis legibus fieri potest, vt alterum ad ea praestanda, quae per obligationem, ex qua ius illud oritur, praestare debet, cogamus, aut id saluis legibus fieri non potest. Si illud, ius relatiuum vocatur *perfectum*, & si hoc, *imperfectum*. *Sed relatiua.*

SCH. Sic ad iura perfecta pertinent omnia iura realia, vt dominium, pignus, seruitus & ius in re iacente: & omnia iura personalia, quae ex pactis atque turbationibus nascuntur.

§. V.

Differt itaque *ius perfectum* a *iure cogendi* in hoc potissimum, quod omne ius perfectum sit ius cogendi, non vero omne ius cogendi sit ius perfectum. Quum enim *ius cogendi* nobis competere dicatur, si saluis legibus fieri possit, vt ea, quae nobis impedimento sunt, mediis quoque coactiuis remoueamus; sequitur, fieri quoque posse, vt iura absoluta sint iura cogendi. Sic v. gr. ius absolutum, quod ad sui ipsius *Inde fuit differentia iuris perfecti a iure cogendi.*

conseruationem ducit, in extrema necessitate fit ius cogendi. Porro, ius perficiendi, quod absolutum est, eo in casu fit ius cogendi, quo nullum superest medium ad imperfectiones alterius remouendas, quam vis, & quae sunt reliqua. Veritas dictorum illo ex principio manifesta est, quod, *ius ad finem dare ius ad media sufficientia, docet.*

§. VI.

Vfus explicatorum.

Addamus quaedam de vfu, quem explicata praestant. *Primo* ex dictis pater, ius perfectum atque imperfectum non esse contradictorie opposita, nisi in relatione ad ius relatiuum. Notum enim est ex logicis, cospecies non esse contradictorie opposita, nisi in relatione ad genus proximum. Ex hoc legitime fluit, a negatione iuris perfecti ad positionem iuris imperfecti non valere consequentiam, sed dari tertium, ius nimirum nostrum, quod absolutum est. Sic v. gr. ius alios perficiendi nec inter iura perfecta nec inter iura imperfecta referri potest, sed ius nostrum absolutum est. Porro ex dictis manifestum est, ius cogendi esse genus, cuius species est ius perfectum. A negatione itaque iuris perfecti ad negationem iuris cogendi nulla est argumentatio. Sic ex eo, quod ius alios perficiendi non sit ius perfectum, non sequitur, nobis non competere ius alterum cogendi, vt ab iis, quibus se reddit imperfectiorem, absteineat. Et quae sunt reliqua.

SCH. Vsum, quem conclusiones illae praestant, ea docebunt, quae de bello punitiuo, de acquisitione ex testamento, de successione ab intestato, similibusque suo loco sumus acturi.

§. VII.

Quodnam sit diuisionis, de qua diximus fundamentum.

Haec de prima illa quaestione. Altera hac de materia quaestio est: *quodnam sit fundamentum diuisionis, qua ius aut perfectum aut imperfectum est?* Quum genus proximum, quod illa ratione diuiditur, sit ius relatiuum (§. 4.), id est, ius ab altero postulandi, vt ea agat, ad quae agenda nobis obligatus est (§. 2.) a); sequitur, quinque obuia in notione esse characteres, qui magis possunt determinari, *modum postulandi, id, quod*

quod alter debet agere: subiectum, quod ius illud habet: subiectum, quod nobis obligatum est, & qualitatem obligationis. Qualitas eius obligationis a qualitate iuris dependet, quia omne ius oritur ex obligatione (§. 15. obl. 37.). Porro quum termini, quibus obuia in diuisione utimur, non dent responsionem ad quaestionem quis & cui? patet, diuisionem illam non fluere ex determinatione subiecti, cui ius competit, nec ex determinatione subiecti, quod nobis obligatum est. Eadem ex ratione manifestum est, id, quod alter agere debet, non esse diuisionis, de qua quaestio mouetur, fontem. Superest itaque primus character, modus nimirum postulandi. Huius ex determinatione diuisionem illam fluere, ea, quae sequitur, ratione patebit. Caius habet ius a Titio postulandi, vt aliquid agat. Hoc posito, quaeritur, *quomodo?* & responsio erit: aut vi aut sine vi. Illud dat *ius perfectum*, & hoc *imperfectum*.

SCH. a) Actio hoc loco sumitur generatim, ea nimirum significatione, qua actio est vel commissiua vel omissiua.

§. VIII.

Colligimus inde *primo* species iuris relatiui, quas determinatio eius, quod alter agere debet: determinatio subiecti, cui ius illud competit, & determinatio subiecti, quod nobis obligatum est, format, & inter iura perfecta & inter iura imperfecta posse referri. Porro fieri posse, vt alteri solummodo ius imperfectum id postulandi competat, quod alter iure perfecto postulare potest. Tandem ius imperfectum, quod nobis ad aliquid adquirendum competit, ad illius acquisitionem non esse sufficiens, nisi eius, qui nobis obligatus est, accedat voluntas a). Et quae sunt reliqua.

a) vid. Log. nostr. P. I. §. 122. ff.

§. IX.

Peruenimus inde ad quaestionem tertiam, *quaenam sit ratio, cur iura illa perfecta atque imperfecta sint vocata?* Hanc ita accipe. Diximus §. 2. atque 3. obl. 10., id, de quo quaestio

*Conseclaria
quae illius
docent
usum.*

*Quaenam
sit ratio
determinationis?*

stio est, ea ratione esse perfectum, qua nihil adest, quod aliquid de iis remouet, quae per illius essentiam possunt poni, ea vero ratione esse imperfectum, qua adest, quod aliquid de iis, quae per illius essentiam possunt poni, remouet. Ius est facultas moralis, ideoque manifestum est, a iure ad possibilitatem solum moralem non vero ad actum valere consequentiam. Fieri itaque potest, vt alicui competat ius, licet ea deficient, per quae eiusmodi ius ad actum potest duci. Ponamus illa deficere, consequens erit, adesse, quod aliquid de iis remouet, quae per iuris essentiam possunt poni, ideoque ius esse imperfectum. Ponamus illa non deficere, ergo nil adest, quod aliquid de iis, quae per iuris essentiam possunt poni, remouet, ideoque ius illud est perfectum. His praemissis ratio denominationis erit in promptu. Ponamus enim nobis ius illud, quod doctores imperfectum vocarunt, competere, nobis quidem erit ius ab altero postulandi, vt nobis aliquid praestet, non tamen ius alterum, vt idem praestet, cogendi (§. 4.). Posito itaque iure illo nondum ponuntur ea, per quae eiusmodi ius ad actum potest duci, sed alterius voluntas nostram ad voluntatem debet accedere. Recte ergo dicitur, eiusmodi ius esse imperfectum. Ponamus porro, nobis competere ius, quod doctores perfectum vocarunt, nobis non solum erit ius ab altero postulandi, vt nobis aliquid praestet, sed & ius alterum, vt idem praestet, cogendi (§. 4.). Ex quo manifestum est, in eiusmodi iuris notione omnia latere iura, per quae ius illud ad actum potest duci, ideoque ius illud recte perfectum esse vocatum.

SCH. Patet inde, perfectum hoc loco idem significare, quod sufficiens, & imperfectum, quod insufficientis, eo nimirum sensu, quo ratio in sufficientem & insufficientem diuiditur. Ratio vocatur insufficientis, non quod non sit ratio, sed quia deficient, quae adesse debent, si ea, quae per rationem illam fieri possunt, fiant. Sic quoque ius imperfectum est verum ius, vocatur vero imperfectum seu insufficientis, quia ea, quae in eiusmodi iuris notione latent, non sufficiunt, ad id ad actum ducendum, quod per ius illud potest fieri.

§.X.

§. X.

Idem, vt opinor, significant ea, quae GROTIUS a) hac Grotii hoc de re verbis, quae sequuntur, monuit: *Qualitas moralis perfecta*, id est, ius perfectum, *facultas nobis dicitur*, minus perfecta, id est, ius imperfectum, *aptitudo: quibus respondent in naturalibus, illi quidem actus, huic autem potentia.* Quid enim ex sententia scholasticorum est actus? & quid potentia? Estne potentia vis, quae intrinsece spectata non sufficiens est ad agendum? estne porro actus vis, quae intrinsece spectata ad agendum sufficiens? *Illam* nonnulli per potentiam remotam, & *hunc* per potentiam proximam exprimi solent. Quaecumque ita sint, manifestum est, qualitatem moralem, seu ius sensu generali sumtum, imperfectum esse vocatum, quatenus intrinsece spectatum insufficiens est, & ius perfectum, quatenus intrinsece spectatum sufficiens est ad id, ad quod ducit, obtinendum.

a) I. B. & P. Lib. I. Cap. I. §. 4. ff. Conf. TESMARVS in not. ad §. IV. cit.

§. XI.

GROTIUS ius illud imperfectum vocavit *aptitudinem*, & An ius illud ARISTOTELES *ἀξια*. Sed quaenam est ratio? Estne ius imperfectum ius proprie sic dictum? imperfectum sit ius proprie sic dictum? *Primo* ius imperfectum esse ius proprie sic dictum argumentis corroborabo. *Deinde* in rationem, cur aptitudo seu dignitas sit vocata, inquiram. *Tandem* ad argumenta eorum, qui ius imperfectum non esse ius nisi improprie sic dictum docent, respondebo. Primum hac ratione euinco: Ius, quod nimirum pro attributo personae sumitur, significatione propria esse facultatem ea, quae sibi bona sunt, agendi, satis euolutum est § 3. ff. obs. 2. Si quis sit obligatus ad nobis aliquid praestandum, consequens erit, idem nobis esse bonum (§. 3. I. N.). Ergo & ius imperfectum est facultas ea, quae nobis bona sunt, agendi (§. 4.). Iuri itaque imperfecto respondet notio iuris, est itaque ius proprie sic dictum. Sunt & aliae rationes, quae idem corroborant. Ius in regno morali idem est, quod in regno physico est vis, *die Kraft*. Vim in sufficientem atque

DARIES OBS. I. N. T. II.

C

insuf-

insufficientem, seu quod idem est, in perfectam atque imperfectam diuidunt metaphysici. vid. §. 11. 24. Ontologiae. et ex ipsa vis notione patet, vim insufficientem seu imperfectam esse vim proprie sic dictam. Quenam itaque sit ratio, cur ius imperfectum non esse ius, nisi improprie sic dictum, iudicemus. Idem illustrari potest diuisione rationis in sufficientem atque insufficientem, de qua Sch. §. 9. diximus.

§. XII.

Cur aptitudo seu dignitas sit vocatum.

Sequitur altera quaestio: cur ius illud imperfectum aptitudo seu dignitas sit vocata? Accipe rationem. Ad aliquid agendum vel habendum duo ius naturae requirit, conuenientiam nimirum & sufficientiam virium. Nuda itaque conuenientia ad aliquid agendum vel habendum non sufficit. Ponamus, nobis competere ius imperfectum ab altero postulandi, vt nobis aliquid praestet; consequens erit, illud nobis praestare esse conueniens, sed ius illud ad idem habendum non sufficere (§. 9.). Ius itaque imperfectum nudam determinat conuenientiam. Ex eo, quod quis sit aptus vel dignus ad aliquid agendum vel habendum, non sequitur, vt idem actu agat vel habeat, sed solum vt illi, idem agere vel habere, sit conueniens. Manifestum ergo est, ius imperfectum inter aptitudines atque dignitates merito referri, atque ex ea ratione aptitudinem seu dignitatem esse vocatum, quia non determinat id, quod actu agimus vel habemus, sed id solum, ad quod agendum vel habendum apti seu digni sumus. a)

a) Conf. GROTI. in not. ad §. VII. Lib. I. Cap. I. I. B. & P.

§. XIII.

Argumenta eorum, qui negant ius imperfectum esse ius proprie sic dictum.

Tandem de sententia, qua ius imperfectum non esse ius nisi improprie sic dictum docetur. Rationes eorum, qui illam ad sententiam accedunt, sunt, quae sequuntur. *Primo:* Virtus a iure distingui debet. Ius illud, quod imperfectum vocatur, oritur ex virtute. Ergo non est ius nisi improprie sic dictum. *Secundo:* Conceptus eorum, qui ius in perfectum atque imperfectum diuidunt, sunt confusi. Putant enim,

enim, ius perfectum in naturalibus esse instar *actus*, & imperfectum instar *potentiae*. At nullo sensu distinctio inter actum atque potentiam hic applicari potest: diuersi enim sunt actus, & cuique sua potentia. Vti igitur in *iure* aliud est actus, aliud potentia; ita *virtus* quoque suos habet actus, suasque potentias, vtriusque actus & potentiae autem essentia inuicem differunt. a)

a) Conf. *Per-Illustr.* de COCCII in *obs.* ad GROTII I. B. & P. Lib. I. Cap. I. §. IV.

§. XIV.

Respondeo ad *primum*. Duo hoc loco monenda sunt, *Respondetur* ius quidem a virtute distinguendum esse, inde tamen non se- *ad primum* qui, non esse ius proprie sic dictum, quod ex virtute oritur. Ius enim determinat id, quod moraliter agere possumus, virtus vero animum, quo id, quod moraliter per nos possibile est, agimus. Hoc, quod diximus, patet ex ipsa virtutis definitione, virtus enim est habitus ea agendi, quae per obligationes nostras fieri debent. Quae cum ita sint, manifestum est, fieri posse, vt & iura perfecta & iura imperfecta ex virtute ad actum ducantur. *Deinde*, generatim non esse dicendum, ius esse imperfectum, quod ex virtute oritur. Quum enim virtus non circa quaedam solum obiecta sed circa omnia versetur, quae sunt bona & naturae conuenientia; sequitur, vt etiam ius perfectum atque stricte sic dictum inter effectus virtutis possit referri.

SCH. Ponamus, quod poni potest, Caium ex desiderio, quo ad Dei voluntati conuenienter viuendum ducitur, arripere conatum efficacem turbatoribus societatis humanae mala inferendi; & manifestum erit, fontem atque originem illius iuris perfecti, quod Caius exercet, esse virtutem.

§. XV.

Quoad *secundum*, concedo & quoad ius perfectum & *ad secundum* quoad ius imperfectum potentiam ab actu distinguendam esse, id quod ipsa iuris notio docet, qua est facultas moralis.

Nego vero inde sequi, GROTII hac de re conceptus, quibus ius perfectum in naturalibus esse instar actus, & ius imperfectum instar potentiae docet, esse confusos, non enim de potentia atque actu loquitur in significatione vulgari, sed ea in significatione, quae a scholasticis recepta est, qua potentia simpliciter posita idem est, quod potentia remota, & actus, quod potentia proxima. *Potentia vero remota* est, per quam aliquid est possibile, quae tamen sola posita non sufficit ad illud producendum, & *potentia proxima*, per quam aliquid non possibile solum est, sed quae etiam est sufficiens ad illud efficiendum. Positis hisce notionibus satis manifesta est veritas eius, quod GROTIUS affirmavit, in moralibus nimirum ius imperfectum esse, quod in physicis potentia remota, & in moralibus ius perfectum esse, quod in physicis potentia proxima. Et quae sunt reliqua. vid. §. 9.

OBSERVATIO XXXVIII.

Ad §. 155.

DE

IVSTO ATQVE INIVSTO.

§. I.

Ratio obser-
vationis.

Varias & iusti & iniusti significationes inconstantia loquendi introduxit. Evoluamus eas, quo perspicua fieri possit ratio, cur ea iusti atque iniusti significatio a nobis sit electa, qua *illud* est, quod iuri perfecto alterius convenit, *hoc* vero, quod iuri alterius perfecto repugnat. Hoc facto ad nonnullas, quae hac de re ponuntur quaestiones, sumus responsuri.

§. II.

Significatio
iusti atque
iniusti generalior.

Iustum dicitur a iure, ideoque iustum sensu generali sumtum idem est, quod iure factum vel faciendum. Quare, quum ius significatione generali sumtum idem sit, quod facultas ea, quae legibus non repugnant, agendi (§. 2. obs. 36.); sequitur, iustum sensu generali sumendum esse pro eo, quod rectum

rectum est, id est, quod regulis seu legibus non repugnat. Quae itaque ratione actio legibus non repugnat, ea quoque ratione, si terminus significatione generaliori sumatur, vocari potest iusta, & qua ratione actio legibus repugnat, ea quoque ratione vocari potest iniusta.

SCH. HUGO quidem GROTIUS ^{a)} iustum ab eo, quod rectum est, distinguit, sed hoc sententiae meae non repugnat. Non enim de iusto late sed stricte sumto loquitur, de quo infra.

^{a)} I. B. & P. Lib. I. Cap. I. §. 9.

§. III.

Significationem illam iusti atque iniusti generaliore ^{Quae ex di-} pri-
mo probo, ex diuisione iusti in *materialiter* atque *formaliter* ^{uisione iusti}
sumtum. Quum enim *formaliter iustum* a doctoribus dicatur, ^{in materia-}
quod iustum est in conscientia gerentis, licet aliquid vitii ad- ^{litter & for-}
haereat, & *materialiter*, quando est iustum ex parte rei, non ^{maliter}
tamen ex parte conscientiae gerentis, ut si bellum gerens ha- ^{late.}
beat iustam causam, quam tamen putat esse iniustam ^{a)}; ma-
nifestum est, secundum loquendi vsum iustum late sumendum
esse pro eo, quod regulis seu legibus non repugnat, & iniu-
stum pro eo, quod regulis seu legibus repugnat.

^{a)} vid. HOCHSTETTERI Colleg. Pufendorf. Exerc. XII. §. XXXVIII.

§. IV.

Deinde eandem iusti atque iniusti significationem colligo ^{& ex eo pro-}
ex eo, quia iustum saepissime pro solenni a doctoribus sumi- ^{batur, quod}
tur. Eleganter, ut opinor, hac de re loquutus est GROTIUS ^{a)} in ^{istum signi-}
verbis, quae sequuntur: „Publicum bellum aliud est solenne ^{fices id, quod}
„ex iure gentium, aliud minus solenne. Solenne quod hic ^{solenne.}
„voco, plerumque iustum dici solet eo sensu, quo iustum te-
„stamentum codicillis, iustae nuptiae seruili contubernio op-
„ponuntur: non quod non liceat & codicillos facere ei, qui
„velit, & seruo secum mulierem habere in contubernio; sed
„quod testamentum & nuptiae solennes peculiare quosdam
„ex iure ciuili effectus habeant: quod notari vtile est: multi
„enim, voce iusti male intellecta, damnari putant, ut iniqua

„aut illicita bella omnia, quibus illa iusti appellatio non conuenit.“ Eruamus inde iusti late sumti significationem. Quaenam est ratio, cur bellum solenne vocetur iustum? Estne id solenne, cuius ratione externa a regulis seu legibus praescripta sunt obseruata? Quaenam est ratio, cur testamentum vocetur solenne? Estne testamentum solenne, quod secundum eas, quae de testamento agunt, leges conditum? & quae sunt reliqua. Satis itaque ex dictis patet, aliquid ea ratione late iustum esse vocatum, qua legibus conueniens est.

SCH. Sic ciuiler iustum est, quod legibus ciuilibus, naturaliter iustum, quod legibus naturalibus, ex iure gentium iustum, quod iis conueniens est regulis, quas gentes vsu receperunt.

a) *Lib. I. Cap. III. §. IV.*

§. V.

*Significatio
iusti atque
iniusti stric-
tior.*

Latori iusti atque iniusti significatione euoluta non erit difficile rationem determinare, ob quam termini illi plerumque significatione strictiori sumuntur. Quum enim notum sit, iurisprudentiam stricte sumtam esse eam, quae forum externum spectat, ideoque leges stricte sic dictas esse perfectas, & ius stricte sic dictum esse perfectum; manifesta quoque erit ratio, ob quam iustum stricte sumitur, pro eo, quod legibus perfectis, ideoque iuri perfecto, cui ex altera parte obligatio perfecta respondet, conuenit: & iniustum stricte accipitur pro eo, quod legibus perfectis, ideoque iuri perfecto alterius repugnat. a)

a) *Conf. GROTIUS l. c. Lib. I. Cap. I. §. IX. Per-III. L. B. de WOLFF Phil. pract. vniuers. P. I. §. 239. ff.*

§. VI.

*Utrum ius-
sum sensu
negante, an
aiente sit
sumendum.*

Haec de iusti atque iniusti significationibus. Sequuntur responsa ad nonnullas, quae de iusto atque iniusto ponuntur, quaestiones. *Prima est: an iustum magis sensu negante quam aiente sit sumendum?* Respondeo in sensu negante, id est, si late sumatur, pro eo, quod legibus non repugnat, & si stricte, pro eo, quod legibus perfectis non repugnat. Accipe rationem: Conuenientia cum legibus & late & stricte sic dictis
idem

idem est, quod possibilitas moralis, ideoque non ea solum, quae legibus faciendae sunt praescripta, sed & ea, quae legibus non sunt prohibita, spectat (§. 1. obs. 36.). Concipere itaque possumus iustum & in sensu aiente, & in sensu negante, *illud* late est, quia legibus faciendum est praescriptum, & *hoc*, quia legibus non est prohibitum. Ab illo ad hoc, sed non ab hoc ad illud valet consequentia. Iustum itaque & late & stricte sic dictum, quod simpliciter ponitur, negante magis sensu quam aiente est sumendum.

SCH. Sumas iustum in sensu aiente; consequens erit, iniustum esse, quod legibus aut late aut stricte sic dictis est prohibitum; ideoque ex eo, quod aliquid non sit iniustum, legitime, ut sit iustum, non esse inferendum. Sumas porro iustum in sensu negante; consequens erit, ex eo, quod aliquid non sit iniustum, legitime sequi, ut sit iustum. Ex quo usum explicati facile intelliges.

§. VII.

Altera quaestio est: *an actiones indifferentes vocari possint An actiones iustae.* Negat TESMARVS. Sic enim ille aduersus GRO-^{indifferen-}
TIVM a): „Non sufficit iustum illud dicere, quod iniustum ^{tes vocari}
„non est, cum alioqui actus indifferentes, edere, bibere, dor- ^{possunt}
„mire & similes, iustum quoque constituerent; sed illud i- ^{iustae}
„stum dicimus, quod non repugnat naturae & societati hu-
„manae, verum conseruat & instruit illum; idque negante
„magis sensu quam aiente.„ Sed distingue iustum late a iusto
stricte sic dicto, & responsio erit in promptu. Si enim sermo
sit de iusto stricte sic dicto, facile erit intelligere, actiones il-
las indifferentes nec inter iustas nec inter iniustas posse referri.
Iustum enim atque iniustum stricte sumtum iura alterius per-
fecta spectat (§. 5.), ideoque ea, quae sunt iuris relatiui, non
vero, quae sunt iuris absoluti (§. 3. 4. obs. 37.). Si vero sermo
sit de iusto atque iniusto late sic dicto, manifestum erit,
actiones illas indifferentes inter iustas utique ea ratione esse
referendas, qua regulis seu legibus late sumtis non repugnant
(§. 2. 6.).

a) in not. ad GROTII I. B. & P. Lib. I. Cap. I. §. 3.

§. IV.

§. VIII.

*An officia
erga Deum
magis obli-
gatoria sint
quam ius-
tum stricte
sic dictum.*

*Tertia quaestio: an obligatio ad officia erga Deum praestanda maior sit obligatione, quae nos ducit ad iustum stricte sic dictum obseruandum? Affirmat Ill. GLAUFEL a) verbis, quae sequuntur: „Wiewohl eben noch nicht ausgemacht, ob die Pflichten des iusti stärker binden, als die gegen Gott: Gestalten ich denn gerade das Gegentheil dafür halte, weil das iustum in collisione denen Pflichten gegen Gott weichen muß. Gleichwie nun natürlicher weise das schwächere dem stärkeren weicht, und das Bond, so am stärksten reisset, billig vor das schwächere gehalten wird; also kann ich nicht finden, warum man das iustum bloß deswegen, weil man im Verweigerungs-Fall etwan Gewalt gebrauchen, und im foro civili Klage darauf erheben kann, denen Pflichten gegen Gott vorziehen, und noch vor diesen des Nahmens des iuris naturae würdig schätzen will.“ Respondeo. Notum est ex philosophia morali, nullam esse violationem officiorum, quae DEO debemus, quae non simul inuoluit violationem iurium perfectorum, quae, vt ita dicam, DEO competunt, b) ideoque officia illa pertinere ad iustum stricte sic dictum (§. 5.). Iustum itaque stricte sic dictum, de quo sermo est, aut spectat solummodo officia, quae homo homini debet, aut simul spectat officia, quae DEO debemus. Si hoc, facile erit intelligere, officia erga DEVM, si cum illis iusti stricte sic dicti officia sint in collisione, omnino esse praeferenda, quia eiusmodi in collisione ratio obligationis, quae nos ad haec officia obseruanda ducit, cessat. Ex quo patet, minus accurate dictum esse, obligationem, quae nos ad iustum stricte sic dictum ducit, minorem esse obligatione ad officia erga DEVM praestanda, sed quaestionem illam ea, quae sequitur, ratione formandam esse, *utrum, si sermo sit de officiis iusti stricte sic dicti, in collisione officiorum erga Deum cum officiis, quae hominibus debemus, officia erga Deum, an officia erga homines praeferenda sint?**

a) Im Recht der Vernunft §. 54. pag. 240. Edit. III.

b) Conf. meine philosophische Sitten- & Lehre §. 187. & meilic. de ciuic. Dei §. 29. & 73. ff.

§. IX.

§. IX.

Sequitur quaestio quarta: *an violatio iusti stricte sic dicti alteri parti semper det ius cogendi?* Negat Ill. GLAFEI. Sic enim ille a): „Wiewohl auch dieses, daß die Verweigerungen derer officiorum iusti actionem civilem geben, noch nicht durchgehends richtig ist, massen die bürgerlichen Gesetze nicht allemal contra denegationem iusti actionem in foro verstaten, sondern vielmal solche Irrungen der Generosité beeder Partheien lediglich überlassen. Wir haben das Exempel bey den Römern an den pactis nudis, welche im iure naturae eine so starcke obligation, als die solennia und vestita, haben; gleichwohl aber nach dem Römischen Recht weder zu einer Klage, noch einem Privatzwang hinlänglich waren; So giebt auch im statu naturali die violatio iusti nicht gleich den Zwang und Waffen in die Hand, massen sonst ein Volk wegen Nichthaltung eines geringen pacti, dessen obligation jedoch eben sowohl, als eines wichtigen, ad iustum gehört, mit einem andern einen Krieg oder Streit müssen anfangen können.“ Duo hoc loco distinguenda veniunt. *Primum*, an ex iusti stricte sic dicti violatione ius civile alteri parti semper det ius cogendi? *Alterum*, an eiusmodi ius cogendi ex iusti stricte sic dicti violatione semper secundum ius naturae oriatur? *Quoad primum*, mea quidem ex sententia, ius a iuris exercitio distinguendum est. Ius cogendi, quod ob violationem iusti stricte sic dicti alteri datur parti, semper a iure naturae, eiusmodi vero iuris exercitium in statu civili, subiectionis nimirum, a iure civili dependet. Rationes vero, ob quas ius civile non semper permittit, ut ius cogendi, quod nobis adversus eum, qui iustum stricte sic dictum violavit, a natura competit, exercereamus, permultae esse possunt, v. gr. quies reipublicae externa, priuatum civium commodum, quia eiusmodi violationes iusti in foro externo non satis possunt probari, & quae sunt reliquae. Ultima ratio patet ex doctrina de pacto nudo. Quenam enim est ratio, ob quam eiusmodi pactum in foro civili non obligat? haec certe est, quia in eiusmodi negotiis animum se obligandi in foro externo non satis possumus probare, semper enim promittenti praetenso

An ex iusti
stricte sic dicti
violatio-
ne semper
oriatur ius
cogendi?

tenso remanet exceptio conscientiae committenda, animum nec cum deliberatione nec serio declaratum esse. Sed de his suo loco plura. *b)* *Quoad alterum*, iterum duo distinguenda sunt. *Primum*, an ex quacunque iusti stricte sic dicti violatione secundum ius naturae ex altera parte oriatur ius cogendi? *Secundum*, an eiusmodi iuris exercitium semper sit prudentiae atque aequitatis? Qui *illud* generatim affirmant, argumento, quod sequitur, vtuntur. Actio, iusto stricte sic dicto repugnans, est violatio iuris perfecti, quod alteri competit. (§. 5.). Vbi itaque illa actio, ibi ab altera parte est ius cogendi (§. 4. obs. 37.). Verum, mea quidem sententia, est argumentum & conclusio inde illata, quatenus fori externi habeatur ratio. Quatenus vero forum conscientiae spectamus, argumentum illud ea limitari debet ratione, quam §. 12. obs. 36. praescribit. Ad *alterum*, an nimirum eiusmodi iuris exercitium semper sit prudentiae & aequitatis? ex principio: *ex duobus malis minus est eligendum*, & ex iis, quae de officiis amoris ius naturae docet, responsum facile erit deducere.

a) l. c. p. s. 240. §. 55.

b) *Conf. Inst. nostr. Iurispr. Romano-Germ. s. 220. ff.*

OBSERVATIO XXXIX.

Ad §. 157.

DE

OBLIGATIONE AD OBSERVANDVM DECORVM ARBITRARIVM.

§. I.

Decorum politicum quid.

Per *decorum arbitrarium*, quod etiam *politicum* vocant, intelligimus eiusmodi externa, quae non quidem a natura hominum, tamen ex opinionibus usu receptis, cum iis, quae nobis statuique nostro externo insunt, conueniunt. *Politicum* itaque *obseruat decorum*, qui externa ea connectit ratione, qua hominum ex opinione usu recepta fieri debet, si cum iis, quae nobis statuique nostro externo insunt, sint conuenientia.

§. II

§. II.

Manifestum inde est, posito decoro politico, ponendas esse agendi regulas, hominum opinionibus vsu receptis constitutas. Regulae illae aut naturae, ideoque legibus naturalibus, contrariae sunt, aut legibus naturalibus non aduersantur. Si illud, decorum politicum vocatur *irrationale*, & si hoc, *rationale*. *Hoc est vel rationale, vel irrationale.*

§. III.

Vt decorum irrationale vitemus, ipsa natura nos obligat. *Hoc vitare debemus.*
 Quum enim ipsa natura nos obliget ad ea facienda, quae leges naturales faciendae, & ea omittenda, quae leges naturales omittenda praescribunt; manifestum est, ipsam naturam nos ad ea vitanda, quae legibus naturalibus contraria sunt, obligare. Sed decorum politicum irrationale legibus naturalibus repugnat (§. 2.); Ergo &, vt eiusmodi decorum vitemus, ipsa natura nos obligat.

SCH. Sequitur inde regula: *Vbicunque decorum irrationale obtinet, ibi subsistere, neque sapientis neque prudentis est.*

§. IV.

In commatibus itaque, quae sequuntur, sermo solum erit de decoro politico rationali. Primum, quod huius ratione notari debet theorema, est, quod sequitur: *Qui decorum politicum rationale obseruat, is ea agit, quae per naturam sunt obiectiue indifferentia.* *Illud secundum naturam obiectiue indifferentis est.* Etenim decorum politicum rationale obseruans actiones suas ad regulas, naturae quidem non contrarias, minime tamen naturae, sed hominum opinionibus vsu receptis, constitutas conformat (§. 1. & 2.). Quicquid legibus naturalibus non contrarium, & eiusmodi legibus non praescriptum est, id, quatenus secundum naturam spectatur, inter obiectiue indifferentia debet referri (§. 1. obs. 5.). Patet itaque, decorum politicum rationale obseruantem ea agere, quae per naturam sunt obiectiue indifferentia.

§. V.

*Ius tamen
naturae
contingens
nos ad illud
obseruan-
dum obli-
gat.*

Id, quod secundum naturam est obiective indifferens, circumstantiis quibusdam accedentibus obligatorium fieri potest. Quaeritur itaque, an ius naturae contingens, quod nimirum praecepta naturalia per circumstantias, quae ad naturam accedunt, magis determinat, nos ad decorum illud politicum rationale obseruandum obliget? & si hoc, vtrum officia decori politici sint officia erga nos ipsos, an erga alios, obseruanda? Et si sint officia erga alios, vtrum sint officia humanitatis, an iusti stricte sic dicti? De singulis breuiter acturi sumus. Primo quaeritur: *an ius naturae contingens nos ad decorum politicum rationale obseruandum obliget?* Affirmo, & sententiam meam argumento, quod sequitur, corroboro. Quicquid ita comparatum est, vt eius oppositum nobis sub conditione euitandi mali sit impossibile, ad id agendum ipsa natura nos obligat (§. 144. I. N.). Sed violatio decori politici, rationalis nimirum, nobis sub conditione euitandi mali est impossibilis. Ipsa itaque natura nos ad decorum illud obseruandum obligat. Minorem ex definitione de decoro illo formata probo. Ponamus enim, nos decorum illud violare, consequens erit, nos non ea agere, quae secundum opiniones hominum per nos cum ratione fieri debent (§. 1. 2.). Quae cum ita sint, manifestum est, nos ipsos, qui decorum illud violamus, esse causam, ob quam alii male de nobis sentiunt. Quare, quum iudicium illud nobis sit malum (§. 4. obl. 13.); manifestum est, violationem decori politici atque rationalis nobis sub conditione euitandi mali esse impossibilem.

§. VI.

*Quodnam
sit illud of-
ficium.*

Sequitur altera quaestio: *vtrum officia illa decori inter officia erga nos ipsos, an inter officia erga alios humanitatis, aut necessitatis, referenda?* Dicam, quod sentio. Decorum illud politicum, vt cum Scholasticis loquar, est adiectitiae qualitatis, id est, vtrum inter officia erga nos ipsos, an inter officia erga alios referendum, id non ab idea decori politici, sed a circumstantiis, quae illud obseruandum iubent, dependet.

Hanc

Hanc ad corroborandam thesin inquiramus primo in qualitate decori politici, quod inter officia erga nos ipsos: *deinde* in qualitate decori politici, quod inter officia erga alios humanitatis: & *tandem* in qualitate decori politici, quod inter officia erga alios necessitatis, seu iusti striete sic dicti, referendum.

§. VII.

Concipiendum est decorum politicum, cuius observatio inter officia, quae nobis debemus, referenda. Quum enim officiorum ^{Decorum politicum} erga nos ipsos observandorum fundamentum hoc sit: ea age, ^{qua ratione ad officia erga nos ipsos,} quae te perficiunt, & omitte, quae te imperfectiorem efficiunt (§. 253. I. N.); consequens est, officia erga nos ipsos id observandum praescribere, cuius violatio perfectiones nostras aut minuit, aut perfectionum nostrarum accessiones impedit (§. 94. I. N.). Enimvero si nos ipsi simus causa, ob quam alii de nobis male sentiunt, nostrae quoque actiones erunt tales, quae perfectiones nostras aut minuunt, aut perfectionum accessiones impediunt (per dem. §. 273. I. N.). Officia itaque erga nos ipsos ea praescribunt vitanda, quae aliis de nobis male sentiendi praebent occasionem. Violatio decori politici, rationalis nimirum, inter illa referri debet (per dem. §. 5.). Manifestum itaque est, decorum politicum esse concipiendum, quod ab eo observandum est, qui officia erga se ipsum observare cupit.

SCH. Perpendas demonstrationem, qua propositionem in comitate positam corroborauimus, & facile perspicias rationem, cur officia illa decori a nonnullis a) a moralibus sint exclusa & inter politica relata. *Politicum enim vitae genus* vocatur, quo ea, quae aliis debemus, ratione ex subiectiua, id est, ex studio nos ipsos perficiendi agimus.

a) Conf. III. GLAFREI I. c. p. 241. §. 59.

§. VIII.

Concipiendum porro est decorum politicum, cuius observatio inter officia erga alios humanitatis referenda. Officia erga alios ^{Qua ratione ad officia erga alios humanitatis,} humanitatis ex ea fluunt lege, quae nostras actiones in aliorum ^{rum} _{rit,}

rum perfectiones dirigere iubet (§. 300. I. N.). Qui itaque ea agit, quae aliorum conatus ad ea facienda, quae suis perfectionibus repugnant, excitare possunt, is officia erga alios humanitatis violat (§. 94. I. N.). Qui vero in conuersatione politicum violat decorum, is ea agit, quae facile aliorum conatus ad ea facienda, quae suis perfectionibus contraria sunt, excitare possunt (§. 1. & dem. §. 7.). Ipsa enim experientia confirmat, quae *SENECA a)* hac de re verbis, quae sequuntur, docuit: Inimica est multorum conuersatio. Nemo non aliquid nobis vitium aut commendat, aut inprimit, aut nescientibus allinit. Patet ergo, decori politici obseruationem certa quoque ratione inter officia erga alios humanitatis referendam esse.

SCH. Notatu digna sunt, quae alio loco *b)* *SENECA* experientia doctus hac de re monuit his verbis: *Sumuntur a conuersantibus mores. Et ut quaedam in contactos corporis vitia transiunt, ita animus mala sua proximis tradit. Ebriosus conuictores in amorem vini traxit. Impuditorum coetus fortem quoque & silicem virum emollit. Auaritia in proximos virus suum transtulit.* E contrario conuersationis inter probos fructus verbis, quae sequuntur, eleganter describit *c)*: *Mittam ipsos tibi libros: & ne multum operae impendas, dum passim profutura sectaris, imponam notas, ut ad ea ipsa protinus, quae probo & miror accedas. Plus tamen tibi viva vox & conuictus, quam oratio proderit. In rem praesentem venias oportet. Primum, quia homines amplius oculis, quam auribus credunt: deinde, quia longam iter est per praeccepta: breue & efficax per exempla. Zenonem Cleanthes non expressisset, si eum tantummodo audisset. Vitae eius interfuit, secreta perspexit, obseruauit illum, an ex formula sua uiueret. Plato & Aristoteles & omnis in diaersum itura sapientium turba plus ex moribus; quam ex verbis Socratis traxit. Metrodorum & Harmachum & Polyaeum, magnos viros, non schola Epicuri, sed contubernium fecit.*

a) Epist. VII.

b) de ira Lib. III. Cap. VII.

c) Epist. VI.

§. IX.

Concipiendum tandem est decorum politicum, cuius observatio inter officia erga alios necessitatis, seu iusti stricte sic dicti, referenda. Quum enim, qui in conuersatione cum aliis decorum politicum violat, ea agat, quae hominum ex opinione statui suo repugnant, (§. 1.); facile fieri poterit, ut illi, cum quibus conuersatur, inde inferant, se secundum illius sententiam esse tales, quorum ratione non necesse est, ut alii in agendo sint circumspecti. His itaque sub determinationibus violatio decori politici in aliorum vergit contemptum (§. 239. I. N.). Quare, quum alteri honorem, quo dignus est, denegare officii, quae alteri ex iusto stricte sic dicto debemus, repugnet (§. 328. I. N.); manifesta erit ratio, ob quam observatio decori politici inter officia erga alios necessitatis, seu iusti stricte sic dicti, referenda.

Et qua ratione ad officia iusti pertinent.

SCH. Demonstrauimus itaque, observationem decori politici & inter officia erga nos ipsos, & inter officia erga alios tam humanitatis, quam necessitatis, posse referri. Accedo ergo ad sententiam, quam Ill. GLAFEI a) exposuit his verbis: „Ich habe hier mit dem sogenannten Decoro politico, oder denjenigen Sitten, zu thun, welche der Weltbrauch vor wohl. oder unanständig declariret hat, die Vernunft aber eben deswegen zu thun und zu lassen befiehet, weil man dadurch der Menschen Gemüther so wohl gewinnen, als auch von sich abwendig machen, und beleidigen kan, gestalten denn einem jezuweilen ein Verstoß wider die Manier zu leben, absonderlich bey dem Frauenzimmer, vor einen viel größern Fehler, als wenn man ein halb Schelm-Stück begangen hätte, ausgeleget wird. Zugeschweigen, daß gewisse Stücke der Wohlansständigkeit also beschaffen, daß die Hintansetzung derselben dem beleidigten Theil ein Recht zu klagen in foro ciuili giebt; massen denn solches nichts ungewöhnliches ist, wenn z. E. bey Hochzeiten, und andern Ehren-Werken jezuweilen, auch wohl gar bey dem heiligen Abendmahl, einer vor dem andern unbefugter weise den Vortritt genommen, oder, dem andern sonst eine Höflichkeit zu bezuigen unterlassen, welche derselbe, nach dem Weltbrauch praetendiren zu können, vermeinet hat.

a) l. c. p. 677. s. 6.

§. X.

§. X.

*Sententia
Cynicorum,*

Transcramus ad obiectiones soluendas. Recte Clar. 10-
ANNES ADAM STORR a) tria posuit genera eorum, qui omne
decorum politicum damnant. Aut enim huius sententiae
causam ex dictamine rationis, aut ex Scriptura sacra, aut ex
lumine quodam interno sumunt. Primi generis homines vo-
cantur *Cynici*. Horum, qua omne decorum politicum reii-
ciant, argumentatio haec est: *omnia nobis licent coram aliis,
quae nobis licent in solitudine*. Sumas enim contrariam, aut
turpitudine erit in re, aut in verbis. Sed non est in re, licent
enim in solitudine: non in verbis; si enim, quod verbis signi-
ficatur, id turpe non est; verbum, quod significat, turpe esse
non potest. b) Sed nego consequentiam: Si in eo, quod in
solitudine agimus, nulla est turpitudine, in eodem quoque nul-
la erit turpitudine, si id faciamus in conuersatione cum aliis.
Quemadmodum enim in metaphysicis a possibilitate absolu-
te posita ad possibilitatem respectiue talem non potest con-
cludi: ita & in moralibus ab eo, quod aliquid in se spectatum
moraliter possibile est, ad possibilitatem moralem respectiue
sumtam nulla erit argumentatio.

a) In *Diff. de decore politico sub Praesidio B. STOLLII* Jenae 1725.
habita.

b) *Conf. STANLEII histor. philos. p. 305. ff. B. STOLLII Historie
der heydnischen Moral. s. 73. ff. RIJCHTERI Diff. de vita, mo-
ribus & placitis Antisthenis Cynici sub Praef. B. STOLLII Jenae
1724. hab. Et Cel. BRUCKERI Historia critica Philosophiae Tom.
I. Part. II, Lib. II. Cap. VIII. s. VII. ff.*

§. XI.

*Quackero-
rum, qui ad
praecepta
ex S. S. de-
ducta,*

Secundi generis hostes decori, qui nimirum argumenta-
tiones ad decorum politicum damnandum sacra ex Scri-
ptura haurire cupiunt, sunt *Quackeri*. Referamus argumen-
tationes, quibus vsi sunt, suas in classes. *Alii* ad praecepta,
quae sacris ex litteris legitime fluunt, *alii* ad ipsa sacrae Scri-
pturae verba prouocant. *Illorum* interpres sit ROBERTVS
BARCLAYS, qui suam hac de re sententiam verbis, quae se-
quuntur,

quantur, describit: a) „Cum omnis religio praecipue huc
 „tendat, vt redimantur homines a spiritu vano & huius seculi
 „confortio, & introducantur ad interiorem cum Deo com-
 „munionem, coram quo si semper timemus, beati existimandi
 „sumus, igitur vani & inanes eius habitus & consuetudines,
 „& verbo & opere ab iis reiiciendae & derelinquendae sunt,
 „qui ad hunc timorem accedunt; qualia sunt detectio capi-
 „tis, suffraginationes, corporisque quam plures in salutatio-
 „nibus deflexiones, ceteraeque stultae & superstitiosae for-
 „malitates malo vsu in nimis multis gentibus inueteratae, quae
 „omnia homo in statu degenerato, ad fouendam superbiam
 „in vana huius seculi pompa commentus est. Pro respon-
 sione memineris sequentia. *Primo.* Certum est, a nobis non
 demonstratum esse, vt decorum politicum irrationale, sed vt
 rationale a nobis sit obseruandum. *Secundo.* Decorum politici
 obseruatio ad ea pertinet, quae secundum naturam absolute
 positam sunt obiectiue indifferentia (§. 4.). Ex quo colligi-
 mus, fieri posse, vt alter decorum illud obseruet ex bona atque
 laudanda, quod alter ex mala atque damnanda obseruat inten-
 tione. *Tertio.* Falsa itaque est consequentia, quae in argu-
 mentatione, qua vsi sunt illi Quackeri, latet. Id enim ex
 principiis, quae posuerunt, solummodo fluit, decorum illud
 politicum a nobis non ad vanitatibus, superstitioni, superbiae
 ceterisque hominum stultitiis satisfaciendum, sed ad veras no-
 stras aliorumque perfectiones conseruandas atque augendas
 obseruandum esse. Salua itaque manet ea, quam demonstra-
 uimus, obligatio naturalis, quae nos ad decoro politico con-
 uenienter viuendum ducit.

a) in *Theologia christiana Thest. XV. & in apologia annexa p. 332. ff.*

§. XII.

Hi, qui ad ipsa Scripturae verba prouocant, aut in ea ^{& ad ipsa}
 sunt persuasione, christiana non licere, quae in sacris litte- ^{S. S. verba}
 ris non reperiuntur: aut decori politici obseruationem sacris ^{prouocant.}
 litteris expresse esse prohibitam. Sed *quoad primum* distin-
 guo inter ea, quae in sacris litteris non reperiuntur, sed do-

D A R I E S O B S. I. N. T. II.

E

ctrinae

strinae sanctorum repugnant, & ea, quae sacris in litteris non quidem reperiuntur, hisce tamen conuenientia sunt. *Illa* christianis non licere concedo. Probe tamen tenendum est, inde non sequi, decori politici obseruationem christianis non esse permissam; hanc enim sanctorum doctrinae non repugnare & inde patet, quia ipse sapientiae doctor Christus ita commendauit decori obseruationem, vt docuerit *a)*, honoratori locum esse dandum primum, ne hic *offendatur*, & fastuosus cum pudore locum inferiorem occupare cogatur: more regum orientalium *b)* Hierosolymam non super asinum solum ingressus est, sed & concessit, vt populus sua vestimenta in terra expanderet, reuerentiam testandi causa. *c)* *Haec* christianis quoque licere, per se patet. Quoad *secundum* nego decori politici violationem sacris litteris esse prohibitam: *Primo* enim manifestum est, in dictis, quae ad sententiam illam corroborandam afferunt, sermonem esse de statu religionis, non vero de statu ciuili atque politico. *Deinde* patet, *d)* Christum decori neglectum in pharisaeo reprehendisse. Et quae sunt reliqua. *e)*

a) Luc. XIV. 8 - 10.

b) vid. Gen. XXII. 3. 1 Sam. XXV. 20. 2 Sam. XXI. 26.

c) Matth. XXI. 1. ff.

d) Luc. VII. 44. ff.

e) Conf. THOMASIVS in cautelis circa praecognita iurisprud. Cap. XV. & CHRISTOPH. HENRIC. LOEBEKVS im Quatet Irrlicht.

§. XIII.

*Et sententia
Enthusia-
stiarum reii-
ciunt.*

Enthusiastae tandem ea ex ratione omne decorum politicum negligendum esse docent, quia lumen internum, quod pro actionum suarum norma habent, ad decorum illud obseruandum non ducit. Sed quid est lumen illud internum? Si dictamen rectae rationis, nego consequentiam (§. 5. 7. 8. 9.). Si reuelatio diuina aut mediata aut immediata, iterum consequentiam inde illatam falsam dico (§. 11. 12.). Si dictamen imaginationis, praeiudiciorum aut causae cuiusdam peruersae, talis erit effectus, qualis est causa. Hosce itaque suis relinquamus tenebris.

§. XIV.

§. XIV.

Accipe quaedam de vsu explicatorum. Demonstraui ^{vsus expli-}
 §. 9. obseruationem decori politici, certa sub ratione, ad officia ^{calorum.}
 iusti stricte sic dicti pertinere. Hoc mea quidem sententia
 est fundamentum iuris gentium, quod voluntarium vocatur.
 Ius gentium voluntarium explicat ritus inter gentes vsu re-
 ceptos, & his explicatis ponitur quaestio: An genti competat
 ius gentem ad eiusmodi ritus in conuersationibus obseruan-
 dos cogendi? *Qui negant*, rationem sumunt ex eo, quia inter
 aequales non datur obligatio perfecta nisi naturalis, natura
 vero nos ad eiusmodi ritus obseruandos perfecte non obli-
 gat, quia non natura sed vsu constituuntur. *Qui affirmant*,
 ad consensum prouocant praesumptum. Quum enim eius-
 modi ritus vsu sint introducti; inde colligunt, praesumendum
 esse, vt gentes consensu se obligauerint ad ritus illos in con-
 uersationibus obseruandos. Sed nec ad *illorum*, nec ad *ho-*
rum accedo sententiam. Non ad *horum*, quia obligatio per-
 perfecta, quae ex consensu praesumpto fuit, non est naturalis, sed
 humana superioris voluntate introducta (§. 401. I. N.), ad
 quam in diiudicandis gentium controuersis non prouocan-
 dum. Non ad *illorum*, quia ex eo, quod aliquid vsu sit in-
 troducedum, non sequitur, naturam ad illud obseruandum nos
 non obligare. Mea hac de re sententia est, quae sequitur.
 Ritus illi vsu inter gentes introducti pertinent ad decorum
 politicum (§. 1.). Qua itaque ratione natura nos perfecte
 obligat ad decorum politicum in conuersationibus obseruan-
 dum, ea quoque ratione genti per naturam competit ius ad
 ritus illos in conuersationibus obseruandos gentem cogendi.
 vid. §. 9. Quae cum ita sint, manifestum est, eiusmodi iuris,
 quod genti competit, fundamentum, non esse pactum prae-
 sumptum, nec voluntatem principis; sed ipsam naturam, quae
 ea docet iura, quae inter gentes quoque communia sunt.
 Sed de his suo loco plura dicturi sumus.

OBSERVATIO XL.

Ad §. 162. ff.

DE

NATVRALI POENARVM MENSURA.

§. I.

Ratio inflati.

De abusu poenarum anceps atque difficilis est disputatio, quam, ut notum est, BODINVS, TITIVS, THOMASIVS, aliique in scriptis ac disputationibus aggressi sunt. Ea, quae eleganter hac de re explicauerunt, consideranti mihi addiderunt stimulum, ut in eas inquirerem regulas, quas disciplina iuris naturalis suppeditat, & ex quibus vera, quae ab illis dicta sunt, legitime fluunt. Dabo itaque operam, ut mensura poenarum, quam ipsa ponit natura, fiat clara atque perspicua. Equidem praesumo, ut verbis finalibus BODINI a) utar, caliginem communis circa hanc rem erroris plerorumque doctorum animos ita occupasse, ut praeiudicio auctoritatis obcaecati, sequentes meas meditationes despecturi sint. Sed sit ita; mihi sufficiet pauca, in vera moralitate & genuina naturali iurisprudencia fundata, publice proposuisse.

a) in *Diss. de fustigat. iniq. usu bodiern.*

§. II.

An natura poenas determinet? sensus quaestionis explicatur.

Primo quaeritur: *an natura poenas determinet?* GROTIUS negat. Sic enim ille a): *Natura poenas non determinat, quamquam naturaliter poena aliqua digni sunt, qui delinquantur.* Id est, ut verbis TESMARI b) utar: secundum naturam est, ut delinquens puniatur; ut vero hac vel illa parte poenae in specie afficiatur, id iuris est positivi. Accipe meam hac de re sententiam argumentis corroborandam. *Primo* notare debemus, sermonem hoc loco non esse de poena interna sed externa (vid. §. 15. obs. 25.). Quum enim poenae internae ea sint actionum moralium consecraria, quae intrinsicam actionum moralitatem constituunt (§. 16. obs. 25.), eiusmodi vero actionum humanarum moralitas supra satis demon-

strata

strata sit (§. 10. obs. 14.); manifestum est, in quaestione, quam posuimus, sermonem non esse de poenis internis. Sequitur itaque *alterum*, hunc nimirum esse quaestionis, quam posuimus sensum, an ipsa natura determinet poenas a causa externa legum violatoribus inferendas?

a) I. B. & P. Lib. II. Cap. VIII. §. XX.

b) in not. ad. l. c.

§. III.

Illa in quaestione duo latent iterum accurate distinguenda, vtrum nimirum natura, id est, rerum notiones poenas legum violatoribus inferendas indiuidualiter, an specialiter solum consideratas determinet? *Primum* nego, *alterum* affirmo. *Illud* argumentatione, quae sequitur, corroboro. Quicquid ab indiuidualibus, quae contingenter concurrunt, circumstantiis dependet, id, quatenus indiuidualiter consideratur, rerum notionibus, id est, natura non determinatur. Poenae nimirum externae, de quibus hoc loco sermo est, legum violatoribus inferendae, quatenus indiuidualiter considerantur, ab indiuidualibus, quae contingenter concurrunt, circumstantiis dependent. Rerum itaque notionibus, id est, natura non determinantur. Maior per se patet. Minorem non experientia solum docet, sed & inde inferre possumus, quia eiusmodi poena inuoluit omnimodam determinationem eius, quod fit cum contingentia formali (§. 15. 12. obs. 25.). Ergo & manifesta est veritas conclusionis illis ex praemissis illatae. Dico rem per simile. Natura determinat pacta specialiter quidem sed non indiuidualiter considerata. Docet v. gr. quid in emptione venditione, locatione conductione, & quae sunt reliqua, sit iusti atque iniusti. Sed emptionem venditionem atque locationem conductionem indiuidualiter consideratas non determinat, quia nonnullae concurrunt circumstantiae, quae eiusmodi determinationem prudentiae relinquunt. Transfer haec ad poenas indiuidualiter consideratas, & facile rationis perspicies identitatem, quae thesim, quam posuimus, corroborat.

An poenas determinet indiuidualiter consideratas.

§. IV.

Et an poenas specialiter consideratas determinet.

Quod alteram attinet quaestionem, *primo* in sensum quaestionis, & *deinde* in argumentationem, quae eandem corroborat, inquiramus. Sensus quaestionis: *an natura poenas legum violatoribus inferendas specialiter consideratas determinet*, hic est: an rerum ex notionibus legitime fluant regulae, ex quibus modus in poena petendus. *Sume*, eiusmodi regulas rerum ex notionibus legitime fluere; & concedes, naturam species poenarum, quae legum violatoribus inferendae, determinare. *Pone* contrarium; & consequens erit, naturam quoque eiusmodi specierum determinationes libero relinquere arbitrio. *Haec* de sensu quaestionis. Sequitur argumentatio, quae ad quaestionem illam affirmando respondendum esse, corroborat. Omnibus notum est, poenas legum violatoribus inferendas esse secundum iustitiam. Quare, quum iustitia sit benignitas sapienter administrata; sequitur, poenas legum violatoribus secundum benignitatem, quae sapientiae regulis modificatur, inferendas esse. Regulae benignitatis atque sapientiae rerum ex notionibus fluere ex iis manifestum est, quae philosophia moralis hac de re docet. Ergo & patet, rerum ex notionibus inferendas esse regulas, ex quibus modus in poena petendus, id est, ipsam naturam species poenarum legum violatoribus inferendarum determinare.

§. V.

Inde poenas sunt vel iustae vel iniustae.

Sequitur inde diuisio poenarum in *iustas* atque *iniustas*. Quum enim iustum generatim sumtum idem sit, quod regulis conueniens; & iniustum, quod regulis repugnat (§. 2. obs. 38.); sequitur, poenas regulis illis, quae rerum ex notionibus fluunt, conuenientes esse *poenas iustas*; & poenas regulis illis repugnantes, esse *iniustas*. Conf. §. 18. obs. 25.

SCH. Dicis, poenas quoque esse iustas, quae eiusmodi conuenientes sunt regulis, quae rerum ex notionibus non fluunt. Sed respondeo. Eiusmodi regulae aut iis, quae rerum ex notionibus fluunt, id est, naturalibus conueniunt aut repugnant. Si *hoc*; ponitur aliquid, quod naturae repugnat, ideoque quod absurdum est.

Si

Si *illud*; regulis quoque naturalibus conueniens erit, quod eiusmodi cum regulis conuenit. Veritas itaque definitionum manifesta est.

§. VI.

Sed quaenam sint regulae illae naturales, quae delinquentibus iustas constituunt poenas specialiter consideratas. Rem ita accipe. Poena, quam quis meretur, distinguenda est a poena, quae debet exigi. Seu, vt cum GRO TIO loquar, a) in poenis duo spectanda sunt, id ob quod, & cuius ergo. *Primi generis poenarum, si sint iustae, naturalis mensura est quantitas moralitatis, qua quis delictum commisit.* Quod argumentatione, quae sequitur, euinco: Poena proprie sic dicta est malum passionis, quod ob *moralement* legum violationem infligitur (§. 12. obs. 25.). Causa itaque, ob quam quis poenam meretur, est, quia legem ea ratione violauit, qua actio ad libertatem potest referri. Quare, quum effectus aequalis sit causae, a qua dependet, sequitur, delinquentem eo maiorem mereri poenam, quo magis actio, qua leges violauit, suam ad libertatem possit referri. Hoc dat quantitatem moralitatis, qua delictum commisit (§. 162. I. N.). Manifestum itaque est, naturalem poenae, quam quis meretur, mensuram esse quantitatem moralitatis, qua delictum commisit.

Naturalis poenarum mensura, quas quis meretur.

SCH. Huius itaque generis poenam cum P A P I N I A N O appellare possumus nomine *aestimationis*. Porro inde intelligimus aequalitatem, quae inter culpam & poenam esse debet, non ita nude spectandam esse, vt in ponderibus & mensuris, sed expenso proposito ac voto eius, qui deliquit.

a) Lib. II. Cap. XX. §. XXVIII.

§. VII.

Naturalis poenae, quae exigi debet, mensura, est poenarum & quae cuius finis. Quum enim haec sit regula sapientiae, vt omnia ita dirigantur, vt fiant media ad finem rei obtinendum (§. 229. I. N.): quum porro natura iubeat, vt poenae secundum legem sapientiae exigantur (per dem. §. 4.); manifestum est, finem poenarum naturalem esse poenae, quae exigi debet, mensuram.

§. VIII.

§. VIII.

*Quae magis
determinatur.*

Tres esse genuinos poenarum fines, *emendationem*, ut nimirum is, qui peccauit, corrigatur & melior fiat, *exemplum*, ut nimirum alii peccare caueant, & *satisfactionem*, ut nimirum in posteris laevis praestetur securitas, satis demonstratum est §. 25. ff. obl. 25. Manifestae itaque sunt regulae, quae sequuntur:

- 1) *Poena, si sit iusta, non alia ratione potest exigi, quam qua id ob emendationem, aut ob exemplum, aut ob satisfactionem fieri debet.*
- 2) *Modus in poena iuste exigenda non ex praeteritis sed ex futuris petendus est. (§. 5. 7.).*

§. IX.

*A iustitia
poenae,
quam quis
meretur, ad
iustitiam
poenae exi-
gendae non
v. c.*

Patet inde, ex eo, quod poena delinquenti ob meritum iuste sit constituta, non sequi, poenam illam quoque esse iustam, quatenus exigitur. Quum enim mensura poenae, quam quis meretur, sit quantitas moralitatis, qua delictum commisit (§. 6.); ideoque ex praeteritis sumenda: modus vero in poena iuste exigenda ex futuris & non ex praeterito sumi debeat (§. 8.); manifestum est, ex eo, quod poena, quam quis meretur, iuste sit determinata, non sequi, eandem poenam quoque esse iustam, quatenus ut exigenda spectatur.

SCH. Alia itaque est aequalitas, quae in determinanda poena ob meritum, alia quae in exigenda poena poni debet. Illam determinat quantitas moralitatis, hanc vero genuini poenarum fines. Qua ex causa GROTIUS *a)* monuit, intra meriti modum magis aut minus peccata puniendi esse pro utilitate. Sed de hoc plura in commatibus, quae sequuntur.

a) l. c.

§. X.

*Ergo illa
huic non
semper ae-
qualis est.*

Iustitia, quae in exigenda poena observari debet, potest iubere, ut poena exigenda maior sit ea, quam delinquens meretur; iubere quoque potest, ut sit minor. Quum enim ex iustitia poenae, quam delinquens meretur, iustitia poenae exigendae non fluat (§. 9.); mani-

manifestum est, ex eo, quod iustitia in poena exigenda debeat obseruari, non sequi, vt poena exigenda aequalis esse debeat poenae, quam delinquens meretur. Iusta itaque esse potest poena exigenda, quae maior est poena, quam delinquens meretur, iusta quoque esse potest poena exigenda, quae illa est minor.

SCH. Sume contrarium, & facile concedes, iustitiae quoque esse, vt poena sumatur, quando illa plus affert damni, quam commodi. Hoc vero variis modis accidere posse satis demonstrauit *TESMARVS a)*, primo nimirum, si per eam peccatum minus notum fiat notius, adeoque homines inuitet ad peccandum. Qua de re *SENECA b)*: „Summa prudentia altissimi viri, & rerum, naturae peritissimi maluerunt, velut incredibile scelus, & vltra audaciam positum praeterire, quam dum vindicant, ostendere posse fieri. Itaque parricidae cum lege coeperunt, & illis facinus poena monstrauit. Pessimo vero loco pietas fuit, postquam saepius, culeos vidimus quam cruces. In qua ciuitate raro homines puniuntur, in ea consensus sit innocentiae, & indulgetur velut publico bono. Putet se innocentem esse ciuitas, erit. Magis irascitur a communi frugalitate desciscendentibus, si paucos eos esse viderit. Periculosum est, mihi crede, ostendere ciuitati, quanto plures mali sint. „ *Secundo*, si per eam excitentur tumultus, noceaturque ciuitati. Qua de re *AVGVSTINVS*: „Vindicta perniciosior fuit, quam si scelera, quae puniebantur, impunita reliquerentur. „ Addo *tertium*, si finis, ob quem iustitia punire iubet, absque poena lenioribus remediis haberi possit. Contra enim charitatem est per dolores grassari ad commodum generis humani, quod lenioribus obtinere licet remediis. Charitatem vero iustitiae non repugnare, sed eandem dirigere, ipsa loquitur definitio, quam de iustitia formauimus.

a) in *noe. ad GROTII Lib. II. Cap. XX. §. XXII. f.*

b) *de element. I. 23.*

§. XI.

Lex poenalis delicto constituit poenam. Sed qualem? Ergo in dubio aut eam, quam delinquens meretur, aut poenam exigendam. *bio praesumendam esse ea, quae sequitur, ratione eiu-*

DARIES OBS. I, N. T. M.

F

mendum est, co: legem poena-

*Item illam
determinare.*

co: Poena non exigenda est secundum gradum moralitatis, quo quis deliquit, sed aut ob emendationem aut ob exemplum aut ob satisfactionem (§. 8 - 10.). Quare, quum determinatio remediorum, quae ad fines illos obtinendos ducunt, non a qualitate facti sed a dispositione atque statu delinquentis dependeat (§. 147. Ph. mor.); manifestum est, in dubio praesumendum esse, ut poena, quam lex poenalis determinat, delicto, qua tali, & non delinquenti sit constituta, ideoque ut poena, quam lex poenalis indicat, sit ea, quam delinquens meretur, non vero ea, quae exigenda.

SCH. Sume contrarium, & quaeso quid cogites, si sermo sit, de iure aggratiandi, de iure gratiae, de dispensatione a lege poenali, de canone sapientis: *iustum decet clementia.* Et quae sunt reliqua.

§. XII.

*Iustus ergo
esse potest
poena, quae
ante legem
poenalem
exigitur.*

His ex praemissis colligimus primo, fieri posse, ut poenae ante legem poenalem constitutam iustus sit locus. Quum enim salua iustitia, quae in poena exigenda observari debet, fieri possit, ut poena exigenda maior aut minor sit ea, quam delinquens meretur (§. 10.): & quum poena, quae lege poenali determinatur, sit ea, quam delinquens meretur (§. 11.); manifestum est, ob scopum, ad quem obtinendum poenae exigendae (§. 7.), fieri posse, ut poenae ante legem poenalem constitutam iustus sit locus.

SCH. Eandem thesin GROTIUS verbis, quae sequuntur, explicavit a): *Ante legem poenalem constitutam dubium tamen non est, quin poenae locus esse possit, quia naturaliter, qui deliquit, in eo statu est, ut punire licite possit: sed non ideo sequitur, debere eam exigere, quia hoc pendet ex connexionione finium, ob quos poena instituta est, cum ipsa poena.* Per legem poenalem GROTIUS intelligit legem positivam, quia ius naturae poenas individualiter consideratas non determinat, ideoque argumentatio, quae illis in verbis latet, haec erit: Ius naturae valet, licet ius positivum nondum sit constitutum. Qui deliquit, naturaliter in eo est statu, ut puniri licite possit. Fieri ergo potest, ut iustus poenae sit locus, licet nullae

nullae adsint leges positivae. Lex poenalis est lex positiva. Iustus ergo poenae ante legem poenalem constitutam esse possit locus. Haecce argumentatio demonstrat veritatem, & nostra eam simul docet rationem, qua id, quod propositio indicat, iustum est.

a) *Lib. II. Cap. XX. §. XXII.*

§. XIII.

Porro, *fieri posse, ut mala, quae delinquentium ratione sunt poenae, alii, qui non deliquerunt, ut casus fortuitos percipiant.* Eiusmodi enim mala iis, qui non deliquerunt, ea non infligenda esse ratione, qua sunt poenae, ex ipsa poenae definitione patet (§. 2. obs. 25.). Iuste vero fieri posse, ut mala illa, ut casus fortuitos percipiant, ex poenae exigendae scopo ea, quae sequitur, ratione euinco. Iustitia iubet, delinquentes, aut emendationis aut exempli aut satisfactionis causa poenis adficere (§. 7. 8.). Ius ad finem dat ius ad media sufficientia. Ergo & iustitiae est conueniens, ut remedia illa ea ratione eoque ordine adhibeantur, quo fines poenarum, quantum fieri potest, possint existentes fieri. His praemissis ponamus eiusmodi rerum connexionem, quam experientiae ope ponere possumus, qua poenae, quibus delinquentes iuste adficiuntur, ad fines illos obtinendos non sufficiunt, nisi ad alios, qui non deliquerunt, cum quibus tamen v. gr. delinquentes conuersati, aut qui cum hisce cognatione quadam coniuncti sunt, adplicentur; consequens erit, eiusmodi poenarum adplicationem iustitiae quoque esse conueniens. Hi itaque mala illa non ut poenas sed ut casus fortuitos iuste percipiunt (§. 202. I. N.).

Et quae ad non delinquentes ut casus fortuitus adcommodatur.

SCH. Sic v. g. inter abusus poenarum non simpliciter referri potest illud Romanorum, quo filii eius, qui crimen perduellionis commisit, infames fiunt, ac omnium successuum incapaces a). Iustum enim est, si eam fiat ob rationem, qua propositionem in commate positam comprobauimus.

a) *vid. L. 5. §. 1. C. ad L. Iul. Maiesf. TITII Obs. 1303. in LAV-TERBACHII C. I.*

§. XIV.

Poena talionis quid?

Quemadmodum doctores per legem talionis intelligunt propositionem: *quod tibi non vis fieri, alteri non feceris*; ita & talionis poena erit, qua quis idem patitur, quod alteri intulit.

SCH. Sic oculus pro oculo, dens pro dente est poena talionis.

§. XV.

Talio non est iusta poenae mensura.

Talio nec poenae, quam quis meretur, nec poenae exigendae iusta est mensura. Sit iusta poenae, quam quis meretur, mensura; consequens erit, poenam illam esse iustam, si malo, quod delinquens alteri intulit, sit proportionata (§. 14.). Ergo non quantitas moralitatis, qua quis delictum commisit, erit eiusmodi poenae mensura. Quod contra §. 6. Sit porro iusta poenae exigendae mensura; consequens erit, poenam pro quantitate delicti, & non eas ad fines, quos iusta poena intendit, obtinendos exigendam esse (§. 14.). Quod contra §. 7. & 10. Manifestum itaque est, talionem nec poenae, quam quis meretur, nec poenae exigendae iustam esse mensuram.

SCH. Pythagorei poenam definiuerunt per ἀντιπεπονθός, id est, parem passionem. Ex quo non-nulli inferunt, Pythagoreos in ea fuisse persuasionem, ut delicta per talionem semper sint vindicanda. Sed BODINVS a) fati, ut opinor, probauit, legem illam nunquam fuisse in usu, sed leges, quae talionem videntur sancire, eam duntaxat adcommode ad damnum refarciendum, non vero ad poenam infligendam. Accedit, quod PVFENDORF b) bene monuit, primo in plurimis criminibus poenam talionis locum plane non habere, verbi gratia, in adulterio, stupro, foedo concubitu, crimine laesae maiestatis, conuicio, calumnia, veneficio, crimine falsi, suppositione partus, procuratione abortus, plagio, ambitu, incestu, sacrilegio, termini motione, sepulcri violatione, stellionatu, praeuaricatione, & similibus; deinde in multis delictis talionem nimis grauem esse futuram, si non distinguatur, per imprudenciam, an per malitiam factum quid fuerit, aut si personarum discrimina non obseruentur, verbi gratia, aliquis dum alteri colaphum infligere vult, gemma acuta, quam in digito gestabat, oculum ipsi praeter intentionem excussit. Duriter sane cum ipso ageretur, si oculus

oculus iterum sit ipsi exculpendus. Sic si honestus aliquis vir baiulo colaphum infixisset, durum nimis foret, si & ipsi colaphus sit reponendus, qui honesto viro valde ignominiosus est, baiulo non item. Tandem in plerisque delictis talionis poenam iusta leuiorem esse, idque peculiariter contingere ex disparitate personarum, quae iniuriam intulerunt, aut passae sunt. Sic v. gr. pictor vel scriba dextra minus carere potest, quam cantor aut cursor: aut ex disparitate loci, temporis, aliarumque circumstantiarum.

a) de Republica Lib. VI. Cap. ult.

b) I. N. & G. Lib. VIII. Cap. III. §. XXVII. Conf. egregie hac de re differens GROTIUS Lib. II. Cap. I. §. XXXII. & Cap. XX, §. XXXIX. ff.

§. XVI.

His praemissis facile erit examinare, vtrum recte an minus accurate dicta sint, quae de poenarum humanarum abusu in medium protulerunt doctores. Sit horum interpret IACOBVS FISCHER, qui eorum, quae hac de re disputata sunt a doctoribus, momenta non strictim solum collegit, sed & perspicue solideque exposuit a), & vt per se ipsos iudicare Lectores possint, dabo verba Viri Celeberrimi ipsa, quaedam, quae rem ipsam magis determinant, & quae generatim posita sunt ea, qua per principia a nobis demonstrata fieri debet, ratione limitant atque restringunt additurus. In genere, inquit b), quatuor species abusus poenarum humanarum esse videntur. „Vel enim 1. poena imponitur, vbi ius puniendi plane „non est, vel posito iure puniendi 2. malum, producendo fini „inidoneum, adhibetur, vel 3. supplicia nimis acerba irrogantur, „vel denique 4. poenarum in se legitimarum impositio presopolepta, aliisque prauis affectibus corrumpitur.

Quatuor abusus poenarum humanarum species a doctoribus posita enumerantur.

a) in Diss. inaugurali iuridica de poenarum humanarum abusu, in Vniuersitate Erfordiensis 1712. hab.

b) §. VII. diss. cit.

§. XVII.

Ad primam eiusmodi abusus speciem illustrandam pergit §. XI. ff. Abusus itaque poenarum humanarum manifestus est, quando 1. poena imponitur, vbi ius puniendi plane non

Prima illustratur de delictis civilibus.

non est, dum scilicet delictum reuera non est admissum, aut natura sua non est punibile. Experientia docet, quod ii, qui a falsa ad veram religionem transgressi sunt, acerrime a prioris religionis affectis coërceantur, imo honesta sepultura priuentur, si in horum manus iterum peruenerunt: Hoc autem iniquum esse, facile patet, quia tales homines non deliquerunt

§. XII. Leges diuinae naturales & diuinae vetant, liberos ob delicta parentum puniri, Deut. XXIV, 16. Hefek. XVIII, 20. Sed iure romano filii eius, qui crimen perduellionis commisit, fiunt infames, ac omnium successio[n]um incapaces, quia metuenda sint in eis paterni, hoc est, haereditarii criminis exempla. Infirma profecto ratio, quae ex incerto euentu atque exitu rerum desumitur. §. XIV. Adulterinis & incestuosis, seu, vt loquitur ius romanum, ex damnato coitu susceptis liberis, nullam clementiam participandam esse per *Nov. LXXIV. Cap. vlt.* asseritur: Exinde concludit STRAVCHIVS *e) hosce liberos iniustos legitimari non posse, quia dicta Nouella eos omni beneficio indignos declaret, & quia legitimatio ex fictione matrimonii procedat, cum adultera autem, vel persona, quae incestum commisit, matrimonium fingi non posse, iure diuino polygamiam, vel tale incestuosum matrimonium prohibente; Fateor quidem, romanos, amatores & inuectores fictionum legitimacionem iuxta fictionem matrimonii aestimasse, ac ex damnato coitu natis omnem clementiam abiudicasse; sed illa tantum ostendunt, quomodo, & in quantum, Imperantibus romanis imperium hic exercere placuerit, aliorum vero Imperantium imperio ac libertati obicem nec ponunt, nec ponere possunt. Exinde sequitur, STRAVCHII opinionem non admittendam esse, quia iuris ciuilis auctoritatem extra sphaeram suam extendit. §. XV. Alii igitur rectius statuunt, liberos adulterinos & incestuosos legitimari posse. Subest enim manifesta aequitas, nam liberi ex turpissima licet coniunctione oriundi, nihil peccarunt, hinc eorum status adiuuandus potius est, quam poena infamiae opprimendus, ne melioris conditionis desperatio, ad inhonestum noxiumque vitae genus inuitet, aut potius impellat. Porro §. XVI, incestuosos & adul-*

adulterinis liberis alimenta a parentibus praestari nequeunt, iuxta constitutionem IVSTINIANI Nov. LXXXIX. cap. vlt. *ut hoc quoque poena parentum sit, non posse tollere & alere liberos ex incestu prognatos, & ut huius rei intuitu, venere incesta, parentes abstineant.* Sed non placent rationes, quae aequitatem mentiuntur magis, quam assequuntur; Innocens enim propter nocentem puniendus non est. Quare naevus hic legislationis Iustinianae nullo modo dissimulari poterit. *b)*

a) Ad univ. Ius Justin. priv. Diff. IV. §. 3.

b) Conf. MENCKENIVS in Synops. diff. Iur. civil. & canon. thes. XVII.

§. XVIII.

Porro §. XVII. circa delicta ecclesiastica seu religionem Porro delictis ecclesiasticis. concernentia maximum poenarum abusum occurrere in apri- co est; in genere praemonendum, nullam quidem dari liber- tatem religionis, intuitu Dei, quia ex huius iussu vera religio amplectenda & falsa fugienda est, sed intuitu civitatum & imperii civilis religionem esse rem liberam; nam solius Dei est, dare religionem, praeterea haec in animo consistit, actus vero externi, si internus adplausus in eos non influat, inanes ac minime religiosi sunt; cum igitur imperium civile animum hominis flectere, & dirigere nequeat; manifestum inde est, quod religio extra illius sphaeram sit constituta. Exinde sequitur, quod religio, in quamcunque etiam formam illa se componat, coactioni & poenis humanis non subiaceat, modo eadem societates humanas non laedat & turbet, nam huic improbitati recte vis opponitur. §. XVIII. Impietatem, quatenus in facinus, proximum spectans v. g. furtum, homicidium, adulterium & reliqua erumpit, ab hominibus puniri posse certum est; sed illa, quae Deum solum respicit, non indistincte poenis humanis subiacet. Hinc distinguendum, vtrum impietas cultum Dei saltem omittat, an contemptu positivo Deum afficiat; illa impietatis species ab hominibus coerceri nequit, bene tamen haec. Distinctionem hanc sequentia illustrabunt. §. XIX. Is, qui receptae fidei formulae quidem assentitur, sed aedes sacras non intrat, vel S. Coenae usum aequo longius pro-

protrahit, aut plane intermittit, praeuia admonitione, carcere, aliisque poenis ad eius usum, a superiore adigi, ac, perseverante contumacia, relegari, vel, si in illo statu moriatur, honesta sepultura ei denegari potest, ex communi sententia *a)* cui praxis haud raro suffragatur, sed ego non. Id miror, quod in multis adhuc terris protestantium haecce praxis anxie conseruetur. Hoc quidem verum est, quod eiusmodi contemtores in ordine ad Deum grauissimum committant peccatum, propter quod, ni respiscant, salute aeterna priuantur; an vero homines tales contemtores punire queant? alia quaestio est. §. XX. Mihi videtur, homines hic nihil aliud agere posse, quam vt diligenter morosum adhortentur, quo salutis suae rationem habere velit; Certum enim est, si ministri ecclesiae doceant & vrgeant S. Coenae commoda & incommoda, pericula & emolumenta, & quam male salutis suae consulant, eam intermittentes, hanc admonitionem in multis tantae esse efficaciae, vt interno conscientiae stimulo compulsi, culpam agnoscant, & postea sponte ex hoc sacramento solatium quaerant.

a) Conf. LYNCKERI Diff. de eo, quod circa S. coenam iustum est. Cap. V. §. 26. & SCHILTERI I. I. C. Lib. II. Tit. III. §. 15.

§. XIX.

*Speciatim
blasphemia.*

Blasphemiam, *pergit* §. XXI. qua Deo id tribuitur, quod eius proprietatibus non conuenit, aut ei detrahitur, quod illi conuenit, in ordine ad Deum, horribilissimum, nefandissimum, & foedissimum peccatum, ac hominibus, secundo decalogi praecepto Exod. XX. 7. interdictam esse, certum est: nam impotens creatura, illam committendo, insurgit in omnipotentem creatorem suum, & diuinam maiestatem contumelia ac contemtu positiuo afficit. Quaeri autem potest, an homines potestatem habeant, blasphemiam coërcendi? Haec quaestio communiter ac fere vnanimi consensu indistincte affirmatur. Hinc si blasphemia immediate in Deum euomatur, poenam capitalem iure diuino *a)*, & iure ciuili *b)*; iure vero imperii nostri, poenam mortis, aut mutilationem membrorum *c)*, & iure

& iure canonico poenitentiam publicam obtinere, docet BRVNNEMANNVS d). Eas vero blasphemias, quae contra verbum diuinum, aut sacramenta, aut deiparam, aut sanctos euomuntur, licet suo modo etiam in deum redundent, arbitrarie puniri, itidem asserit BRVNNEMANNVS. e). §. XXII. Haec sententia communis, secundum quam tam veri, quam putatiui blasphemiarum propalatores durò supplicio afficiuntur, licet in praxi obseruetur, & specie pietatis se commendat, attamen ex veris hypothesibus per omnia probari nequit. §. XXIII. Consensus minimum populorum affirmat, legem diuinam de blasphemia particularem esse; nam in regno neapolitano, hispania, gallia, italia, aliisque prouinciis, arbitrariam poenam in blasphemos statui, ex auctoribus refert CARPZOVIUS f), qui dum dubiam sectatur hypothesin, sibi ipsi contradicit; nam *c. l. num. 2.* inquit: *iure diuino in blasphemos poenam mortis statuta est. Lev. XXIV. 13. ff.* Quo ipso satis indicat, se defendere vniuersalitem huius legis: nam, si legem hanc particularem credidisset, eam non allegasset; sed *num. 66.* vniuersalitem oblitus, post alias adductas limitationes tradit: *principem poenam capitis remittere posse blasphemo, qui, postquam blasphemauit, poenitentia ductus, sese statim corrigat, & blasphemiam, antequam recesserit de loco, ubi eam commisit, reuocet, siue verbis ac gemitu peccatum deplorando, siue pectus ac labia percutiundo.* Quo asserto CARPZOVIUS iam tacite particularitatem legis diuinæ de blasphemia agnoscit. Nam si lex illa vniuersalis esset, principi ius aggratiendi hoc in casu non competeret, perinde ac homicidae doloso, statim post peractum homicidium, peccatum deploranti, vitam donare nequit. Iure quidem imperii nostri poena mortis, aut mutilatio membrorum in blasphemos sancita est. Sed iam sermo est de iure constituendo, non constituto; huius auctoritati vti aliquid detrudere nec possum, nec volo: ita quid, quoad illud mihi videatur, innoxia libertate edisserere placuit, sed iam non licet.

a) *Lev. XXIV. 13. ff.*

b) *Nov. LXXVII. Cap. I.*

c) *Const. Crim. Art. 106. R. I. de anno 1548. sub tit. von den Gottestrafungen.*

d) *Inr. Eccl. Lib. II. Cap. XVIII. §. 58.*

e) *h. c. Conf. R. L. de anno 1530. tit. von Gottes Schwören und Fluchen.*

f) *Pr. Crim. P. I. Qu. XLV. n. 4.*

§. XX.

haeresis

Quid haeresis, *pergit §. XXIV.* proprie sit, si accurate definiant, qui poenam illius defendunt. Haereticos morte puniri, praxis docet, cui respondent nimis durae sanctiones *m. C. de Haeret. a)*, quas tamen aequitas obseruari prohibet. Cum protestantes religionem docendam, non imperandam credant; hinc saniores eorum scriptores rectius statuunt; haereticos ab hominibus puniri non posse, nisi sint simul seditiosi, vel alia delicta punibilia committant. *b)* Hoc adparet ex indole religionis, quae libera est, & in animo constitit, quem homines flectere, ac imperio humano subicere nequeunt. Hanc sententiam sacris litteris conformiorem *b. LUTHERI dicta c)* quoque illustrant. Caeterum hoc recte dicitur, quod haeretici seditiosi ultimo etiam supplicio coercentur, modo veri sint seditiosi; nam si iniusto conscientiarum dominatui obsequium non praestant, aut etiam, data occasione, iustam defensionem illi opponunt, seditiosi non sunt. Interim crudelitas saepe praetextum quaerit, ac negatum iniusto conscientiarum dominatui obsequium seditioem interpretatur; quod persecutiones reformatorum in gallia abunde docent. Porro §. XXV. ex dictis sequitur, quod haeretici, qui turbas non dant, in societate ciuili recte tolerantur, vel in eam recipiantur: ob rationes tamen iustas, princeps haereticos non recipere, vel his innoxiam emigrationem iniungere; non autem morte, dolore, infamia, carcere, relegatione, multa, vel quauis alia poena coercere, multo minus honestam sepulturam ipsis denegare potest *d)*. Attamen ceremonias quandoque pauciores adhiberi praecipit, & talem sepeliendi rationem, quae testimonium de defuncti salute quodammodo inuoluit, ipsis negare solet *e)*. Ius quidem pontificium honestam quoque sepulturam haereticis interdicit; sed hanc sanctionem in-

con-

congruam esse, ex indole huius criminis, quod poenis humanis non subiacet, vltro patet.

- a) conf. CARPZOV Pr. Crim. P. I. Qu. XLIV. n. 38.
- b) vid. TITIVS in I. E. Lib. III. Cap. V. § 36. ff.
- c) Tom. II. Ienens. Germ. fol. 108. & Tom. IV. fol. 408.
- d) vid. L. 9. C. de Haeret.
- e) conf. CARPZOV I. E. Lib. II. def. 383.

§. XXI.

Tandem §. XXVII. De Magiae poena pauca quoque di *fimilibus*
 cenda sunt. Communiter statuunt, dari magiam, quae, ex quo
 communi sententia, tale delictum est, quo quis ope diaboli,
 ea peragit, quae vires hominum naturales excedunt: duae eius
 species asseruntur, vel enim quis expressum pactum cum dia-
 bolo iniiit, vel sine expressa conuentione ope diaboli saltem
 vtitur; illam, si damnum quoque datum, igne; hanc vero
 extraordinarie puniri docet LAUTERBACH a). Magiae cri-
 men merae rationi incognitum est; sed, supposita reuelatio-
 ne, in genere negari nequit. Scriptores de crimine magiae
 in duas classes dispesci possunt: alii diabolum, licet non ex-
 presse, attamen tacite omnipotentem venditarunt b); cum
 tamen certum sit, quod circa hoc crimen multa fanatica
 intercurrant, & erubescendae ineptiae pro infallibili veri-
 tate saepe venditentur: quam ob rem alii commoti sunt, vt
 diabolum plane impotentem credant, ac contendant, nul-
 lam dari magiam, & pactum cum diabolo expresse initum,
 merum commentum ac phantasiam esse c). Cum igitur tra-
 ctatio de magiae crimine admodum inuoluta sit: ideo
 quaestionem: an magi vel lamiae ob solum expressum pactum
 cum diabolo initum recte concrementur? aliis dicendum
 relinquo d).

- a) C. I. ad L. Corn. de Sicar. lit. n. conf. CARPZOV Prax. crim.
 P. I. qu. 48. 49. SCHRAETER Diff. de lam. ear. proc. crim.
- b) IOH. BODINVS de Mag. Daemon.
- c) BEKER de mundo fascino. THOMASIVS Diff. de crimine magiae.
- d) vid. TITII l. Priv. L. IX. cap. XXX. ff.

§. XXII.

Altera illustratur poena infamiae

Altera abusus poenarum species est, quando, posito, iure puniendi, malum producendo fini inidoneum adhibetur (§. 16.). Hanc ad illustrandam pergit laudatus Auctor §. XXVIII. Hoc nomine poena infamiae, relegationis, abscissionis membrorum, & saepe pecuniaria ac carceris improbari potest. Communiter infamia *in facti & iuris infamiam* dispescitur. *Illu* est existimationis priuatio, ex delictis hominum proborum iudicio, secuta, ac emendato vitae genere, vltro exspirans; *haec* est existimationis priuatio, ob delictum auctoritate legis positivae ita facta, vt emendato licet vitae genere macula tamen vel turpitude semper maneat. Ex quibus liquet, infamiam hanc esse speciem poenae. a). Porro §. XXIX. Infamiam iuris vstitutam quidem, sed, quatenus viuos afficit, incongruum puniendi genus esse arbitror, cum, contra legitimum poenarum finem, societati humanae securitatem non praestet, nec delinquentes emendet, sed ad bene agendum ineptos reddat, ac, ad maiora facinora patrandam, disponat. Nam nemo ex praeiudicio semel recepto cum homine infamia notato, conuersari vult, & huic artem licitam, vel opificium honestum exercere introductum est. Hinc si quis antea fur, vel similis furis homo non fuit, iam ex desperatione melioris conditionis artes illicitas arripit, & furari, latrocinari ac lenocinari, & quae sunt reliqua, incipit. Quapropter haec infamiae poena, qua leues saltem muscae irretiuntur, melius abrogatur, quam conseruatur. Disciplina militaris hac in parte laudanda, iuxta quam milites delinquentes, postquam poenam ipsis dictatam luerunt, ab omni infamia immunes sunt, adeo, vt cum commilitonibus post coercionem aequae ac antea eam conuersari possint b).

a) *vid. tit. ff. de bis, qui not. infam. CARPZOV. Pr. crim. P. III. qu. 135. n. 46. ff.*

b) *conf. THOMASII Diss. de Existimat. fam. & infam. extra rem-publ. & BODINI Diss. de iure circa infam. eiusque inter Christian. abusu.*

§. XXIII.

§. XXIII.

Relegationis poena, *pergit* §. XXX. in vita ciuili frequen- *relegationis*
tissima est; attamen ob sequentes rationes non omnimode ap-
probanda: quia 1) securitas societatis humanae, tamquam finis
poenarum principalis relegatione non obtinetur, quia potius
ei, qui relegatur, causa praebetur, in aliis regionibus ulterius
delinquendi, ac alios laedendi: 2) quia plerumque delin-
quens relegatione deterior redditur, sed non facile emen-
datur: multo minus 3) alii terrentur, quia vident, quod
delinquentes tam facile relegatione iterum euadere possint.
Certe inhumanum est, furem ex vna prouincia in aliam re-
legatione mittere; nam denuo furari incipit, & tam diu
pergit, donec patibulum furandi finem ipsi imponit, quod
non euenisset, si prior dominus talem furem retinisset, &
aptiori poena affecisset.

L. 4. 14. in pr. & §. 1. ff. de Interd. & relegat. CARPZOV in
Pr. Cr. P. III. qu. 130. n. 23. ff.

§. XXIV.

Porro §. XXXI. Iure romanorum membrorum abscis- *membr. ab-*
sionem ac stigmatum inuisionem obtinuisse manifestum est a). *scissionis ac*
Quaedam tamen deinde mutata sunt b). Interpretes vna- *stigm. inu-*
nimi fere consensu affirmant, *mutilationem membrorum ad-*
huc hodie in usu esse, & optimo iure hanc poenam infligi; cum
id ipsum videatur rationi maxime consentaneum, ea quemque
corporis parte puniri, qua deliquit. Sed uti in genere ab-
scissionem membrorum minus conueniens puniendi genus
esse, arbitror; cum membra hominibus non renascantur,
sicuti forcipes cancris: ita in specie amputationem manus,
digitorum vel pedis, abscissionem naris, aurium linguaeue,
effossionem oculi, inuisionem signi in facie, & quae reliqua,
improbo. *Addit* §. XXXII. Nam in peccatis castigandis
non tam illud inspicere debemus, quo quis membro in de-
linquendo usus fuerit, quam quid sit id, quod admissum est,
quantumque, & qua in re sit admissum, & in primis an finis
poenarum, qui bonum aliquod futurum respicere debet,

obteneri queat. Cum mutilationis poena perpetua relegatio coniungatur. Hinc satis ex §. 23. patet, quid de mutilationis poena statuendum sit; immo si is, cui propter delictum membrum abscissum est, non relegetur, nihilo tamen minus legitimus poenarum finis non obtineretur, quia delinquens v. g. amputatione manus vel digitorum ad laborandum ineptus, ac per consequens ad otia, quae dant vitia, aptus redditur; plerumque etiam tales delinquentes omnibus destituuntur opibus, adeo, ut si misere quotidiana opera manuarum sua sustentare cogantur; quando igitur unicum instrumentum, quo sibi victum parant, ipsis adimitur, necessario ad summam rediguntur paupertatem, hac autem pressa ad furta & latrocinia impelluntur: Prouerb. XXX. 9. *li vero delinquentes, quibus manus quidem saluae relinquuntur, sed v. gr. naris vel aures abscinduntur, ita mutilantur, ut in honestorum hominum conspectum prodire nequeant, & sic melioris conditionis desperatione ambabus manibus artes illicitas arripere coguntur, quibus securitatem societatis humanae turbant, se vero minime emendant c).*

a) *vid. L. 1. §. fin. ff. de fugitiv. L. 13. ff. de testib. L. 3. C. de seru. fug. Nou. XVII. Cap. VIII.*

b) *per L. 17. C. de poen. & Nou. CXXXIV. c. fin.*

c) *conf. BODINI Diff. de fustig. iniq. usu bod.*

§. XXV.

Pœna pecuniaria.

Pœna pecuniaria, *pergit. §. XXXIII.* non indistincte improbari potest. Nam quando illa hominibus sui iuris, qui propria possident bona, ac inprimis auaris imponitur, utique suum effectum habet; tales enim homines, si in eorum potestate esset, pœnam corporis afflictiuam prae multa eligerent, dummodo pecunia, auarorum idolum, salua maneat: quando igitur aliquid de hac, loco poenae, ipsis detractum est, in posterum diligentissime ab aliorum laesione abstinere, & ita se gerunt, ne a corrasis ulterius aliquid abrodatur. Eam tamen multam improbo, ubi filius, in patria potestate adhuc existens, & nondum propria bona possidens, multatur,

tur; nam hoc casu pater pro filio deliquente pecuniam erogare cogitur, hic autem nullum hac poena incommodum sentit, & impunis plane dimittitur, propter quam facillimam euasione non emendatur, sed ad vltcrius peccandum incitatur. Rectius tali filio labores in operibus publicis ad certum tempus loco poenae imponuntur. Quod si delinquentes poena pecuniaria coercentur, non vt finis poenarum legitimus obtineatur, sed ut auro emungantur; tunc legitimus poenarum vsus in abusum degenerat.

§. XXVI.

Tantum §. XXXIV. Carcer est conclave probe munitum, in quo suspecti a magistratu detinentur. Hic, quatenus non poena, sed custodia tantum est: catenus a nemine improbat; modo, quantum fieri potest, tolerabilis fit. Rectius autem §. XXXV. poena carceris & temporalis & perpetui reiiicitur, quam retinetur. Alium enim non praestat vsus, quam vt homines ad ignauum otium assuesfaciat, per quod legitimus poenarum finis rite obtineri nequit. Praeterea poena perpetui carceris limites christiani amoris excedit, ac nimis acerba esse videtur. Bene itaque philosophatus est Ictus VLP IANVS, dicens a): *carcerem ad conuincendos homines, non ad puniendos haberi debere.* Et laudanda est ea dispositio, quae damnationem in carcerem perpetuum improbat ac prohibet. b).

a) L. 8. §. 9. ff. de poen.

b) L. 35. ff. & L. 6. C. de poen.

§. XXVII.

Tertio homines puniendi iure abutuntur, qui supplicia nimis acerba irrogant (§. 16.). Audiamus ea, quae hac de re laudatus Auctor §. XXXVII - XXXIX. monuit. Sic ille: *Defensores nimis acerborum suppliciorum contendunt: Haec tunc imprimis adhibenda ac obseruanda esse, cum insignis criminis atrocitas punienda veniat, aut plura maleficia concurrunt, vel si vnum idemque delictum saepius iteratum fuerit.* a)

Si ex

Si ex illis quaeratur, cur eiusmodi supplicia obseruari debeant? respondent, quo aliis maior terror incutiatur, & atrocis criminis rei maiores cruciatus ac dolores sentiant *b*). Sed in poenis humanis non pure respiciendum est quodnam crimen, & quoties sit perpetratum; sed & quae utilitas ex poena prouenire possit. Sicuti & nequaquam eo fine poenae exercendae, ut delinquenti aegre fiat, ac laesus animus pascat, & voluptatem capiat ex dolore & supplicio laedentis. Huius enim intentionis nulla est utilitas, adeoque illa inhumana & illicita censenda est. Qui autem ob solam praeteritam delinquentis malitiam puniunt, in eo contra leges socialitatis agunt, quod sine spe utilitatis malum inferant, quo sensu erga delinquentes etiam iniurii sunt. Recte ergo **SENECA** inquit: *Nemo prudens punit, quia peccatum est, sed ne amplius peccetur; reuocari enim praeterita non possunt, futura tamen prohiberi, neque bonus magistratus irascitur, i. e. contra delinquentem vindictam non exercet; sed tantum cauet, i. e. cum amore & commiseratione non plus, quam utilitas societatis humanae requirit, in delinquentes animaduertit. Quia igitur legitimus poenarum finis est bonum aliquod futurum, ut scilicet delicta cessent, atque ita homines securi sint. Hinc numquam ob solum delictum praeteritum poena imponenda est *c*). Deinde finis poenarum subordinatus, aliorum scilicet terrore apud eos, qui mortem timent, aequae obtinetur, quando delinquenti supplicio non dolorifico vita adimitur, ac si magnis cruciatibus reus hac priuatur. Eum vero, qui mori scit, alterius maximi cruciatus & dolores nullo tempore a delictis deterrebunt. Porro poenas illas ideo quoque improbo, quia in iis ob cruciatus moram semper desperationis subest periculum. Id quidem iniquum non est, ut malum patiat, qui male egit; sed exinde non sequitur, tantum malum certis in casibus delinquentibus infligi posse, quod eos non tantum temporali, sed & aeterna vita priuare, aptum est. Certe iniquissimum ac christianissimo plane contrarium esse arbitror, hominem, pro cuius salute aeterna **SALVATOR** noster tot, tantosque dolores passus*

passus est, cruciatibus eo redigere, vt plane desperet. Hoc enim nihil fere aliud est, quam scienter et vltro aeternæ exitio aliquem immolare.

a) vid. CARPZOV *Prax. crim. P. III. qu. III. n. 55.*

b) *conf. CARPZOV. l. c. n. 42. 57. 66. et Ord. Crim. Art. 137. in fin.*

c) *conf. PVFENDORF de O. H. et C Lib. II. Cap. XIII. §. 6. et TITIVS ad eandem obs. 641. et 644.*

§. XXVIII.

Tandem *quartam abusus poenarum speciem*, quando nimium poenarum in se legitimarum impositio profopolepsia, ^{Quarta abusus poenarum species illustratur.} aliisque pravis affectibus corrumpitur §. XL. verbis, quae sequuntur, illustrat: in furto coërcendo quid hodie frequentius trito illo *IUVENALIS: dat veniam coruis, vexat censura columbas.* Sic inferioris conditionis dolosi homicidae indistincte morte puniuntur, at ex nobili vel illustri domo nati homicidae proaeretici plerumque impuniti eadunt. Interdum iudex superbia abundans eum tantum in finem misellos fures patibulo affigere iubet, quo iurisdictionem superiorem siue criminalem, legitime obtentam, semel exercere, vel illegitime arrogatam per actum possessorum firmiorem reddere possit. Saepissime quoque iudices, in primis inferiores, eum tantum in finem subditos, qui leges transgrediuntur, pecunia mulctant, quo crumenam suam implere ac exornare possint. Et si qui sunt alii poenarum abusus, quos omnes referre nimis longum foret.

§. XXIX.

Ex iis, quae de naturali poenarum mensura exposuimus, ^{Conclusio generalis ex dictis inferitur.} manifestum est, homines mensuram illam et in excessu et in defectu violare. In *excessu*, qui vehementiores delinquentibus inferunt poenas, quam quae ob fines poenarum inferendae. In *defectu*, qui delinquentes poena liberant, vbi fines poenarum tò punire iubent. vid. §. 8.

§. XXX.

Ex qua sequitur, violationem eiusmodi mensurae bonitati et sapientiae;

Ex quo porro colligimus, *violationem mensurae, quam natura poenis constituit, et bonitati et sapientiae repugnare.* Primum argumentatio, quae sequitur, corroborat. Fines poenarum, qui naturalem poenarum mensuram constituunt, in eo conueniunt, vt ea obtineatur perfectio, quae obuiis sub circumstantiis possibilis est (§. 8.). Violatio itaque mensurae, quam natura poenis constituit, est causa, quae defectus perfectionum obuiis sub circumstantiis possibilium efficit. Ex quo manifestum est, eiusmodi violationem bonitati repugnare (§. 229. I. N.). Alterum ea, quae sequitur, ratione probo. Poenae sint media, quae certum efficiunt finem. Violatio itaque mensurae, quam natura poenis constituit, ponit media ad finem obtinendum non adcommodata (§. 7.). Ex quo abunde patet, eiusmodi violationem repugnare sapientiae (§. cit. I. N.).

SCH. Ex quo facile intelligimus, quo sensu vera sit sententia philosophorum, eum, qui punit, benefacere, et qui non punit, non esse beneficum.

§. XXXI.

Ergo et iniustitiae repugnare.

Illo ex theoremate, quum bonitas secundum sapientiam administrata sit iustitia (§. 229. I. N.); porro sequitur, violationem mensurae, quam natura poenis constituit, iustitiae repugnare.

SCH. Intelligimus inde, quo sensu inter vera referendum, vt poenae ad iustitiae satisfaciendum exigendae sint.

OBSER-

OBSERVATIO XLI.

Ad §. 162.

DE

QUANTITATE MORALITATIS
IN ACTIONIBVS MALIS

CVR SIT

MENSURA POENAE QVAM QVIS MERETVR.

§. I.

De quantitate moralitatis actionum humanarum satis, vt opinor, in institutionibus iurisprudentiae vniuersalis dixi. *Ratio obseruationis*
Quaedam eum in finem addamus, vt a priori possimus perspicere, cur quantitas moralitatis in actionibus malis sit naturalis poenae delicto constituendae mensura. Hac ex ratione *primo* euoluturi sumus, quomodo actionibus malis quantitas moralitatis tribuenda, et *deinde*, quid poena actionum malarum ratione queat efficere.

§. II.

Quum actio ea ex ratione sit moralis, quia ad libertatem referri potest; manifestum est, primae, quam posui, quaestionis responsum ab explicatione relationis actionum ad libertatem dependere. Hanc ex libertatis nostrae sumamus natura. *Libertas hominis*, psychologicè nimirum sumpta, de qua hic sermo est, quae est facultas praecua consultatione sponte agendi, et essentialiter et accidentaliter spectari potest. Quoad *primum* duo distinguere debet ea, quae per libertatem humanam fieri possunt explicaturus, *alterum* idea libertatis immediate docet, *alterum* ex eo fluit, quia est libertas hominis. Per libertatem fieri potest, vt homo non sponte solum sed et praecua consultatione sponte agat. Per libertatem hominis, qua talis, quia est finita, fieri potest, vt homo sponte agat, licet sine consultatione, quum tamen cum consulta-

H 2

sultatione sponte agere sua in potestate positum fuerit, *porro*, ut praeuia consultatione sponte agat, licet in consultando non ea euitauerit vitia, quae euitare potuerit. Ex quibus patet, per libertatem hominis fieri posse, ut agat bona, et ut abusu libertatis ea efficiat, quae sibi mala sunt.

§. III.

*et accidentaliter delin-
neatur.*

Quoad *secundam* libertatem nimirum hominum accidentaliter spectatam, experientia ea docet, quae corroborant, spontaneitatem, quae libertatis primus est character, per continuum usum vehementiorem fieri posse ad agendum cum consultatione, quam sine: et per continuam negligentiam vehementiorem fieri posse ad agendum sine consultatione, quam cum consultatione. Ex quo concipimus, quomodo fieri possit, ut libertas hominis accidentaliter atque intrinsece spectata magis determinata sit ad bonum quam ad malum agendum, et quomodo fieri possit, ut magis sit determinata ad agendum malum quam ad agendum bonum. Illud *libertatis potentiam*, hoc *libertatis impotentiam* definit.

§. IV.

Inde explicatur quomodo actio humana per libertatem agentis sit possibilis.

His praemissis facile erit intelligere, quomodo actio humana per libertatem agentis sit possibilis. Rem breuiter distincte tamen delineaturi sumus. In eum, quo agimus, modum inquisiturus facile perspicier, adcommodationem vis a causa, quae eiusmodi adcommodationem determinat, distinguendam esse, hancce vero causam modo esse *internam*, modo *externam*, et *illam* modo in potestate nostra positam esse, modo in potestate nostra non esse positam, sed esse statum antecedentem, qui adcommodationem illam, ut sequentem, necessario determinat. Si causa, quae adcommodationem vis, qua agimus, sit externa, et si causa illa sit interna, sed in potestate nostra non posita, actio, quae inde sequitur, non erit talis, quae per libertatem nostram sit possibilis (§. 2. 3.). Ea itaque ratione actio humana per libertatem agen-

agentis possibilis est, qua causa adcommo-
dationis vis, qua agit, non interna solum, sed et in potestate agentis posita est.

§. V.

Et haec quidem actionis humanae affectio, qua spectatur ut talis, quae per libertatem agentis possibilis est, vocatur *actio-
nis moralitas*. Ex quo sequitur primo, ut moralitatem actionis humanae determinaturus, non id solum, quod factum est, spectare, sed et in eam inquirere debeat rationem, qua causa adcommo-
dationis vis, a qua actio illa dependet, fuit interna, et in ea agentis potestate posita, qua huic possibile est, praeuia consultatione sponte agere (§. 4.). Deinde, ut moralitas actionis humanae sit eo maior, quo magis adcommo-
datio vis, quae actionem illam efficit, a causa interna, quae illa in agentis potestate posita, dependet. Ideoque ut quantitas moralitatis sit quantitas in possibilitate adcommo-
dationis vis per agentis libertatem et essentialiter et accidentaliter spectatam (§. 2. 3.).

*Iude natu-
ra et quan-
titas mora-
litas ex-
plicatur,*

§. VI.

Qui praeuia consultatione se ad agendum determinat, is de eo, quod agit, certam sibi format notionem, et deinde vim suam ea ratione ad agendum adcommo-
dat, qua per notionem illam fieri potest. Quod ex consultationis atque spontaneitatis notione manifestum est. Porro fieri potest, ut libertas nostra, quatenus intrinsece spectatur, magis determinata sit ad huius quam ad illius generis notionibus conuenienter viuendum (§. 2. 3.). Hisce ex principiis colligimus: quidquid nobis exhibet principia eas, quas agens de rebus moralibus sibi formauit. notiones cognoscendi, et quidquid nobis dat principia intelligendi determinationes earumque quantitatem, quae libertati agentis insunt, ex eo quoque non moralitas solum, sed et moralitatis quantitas, quae obuia competit acti-
oni, inferri potest (§. 5.).

*et modus
illas cogno-
scendi po-
nitur.*

§. VII.

*qui magis
determinatur.*

Ex his satis intelligitur, inter principia, quorum ope et actionis moralitatem, et moralitatis quantitatem determinare possumus, a doctoribus recte relata esse, *causam, personam, locum, tempus, qualitatem facti, quantitatem, euentum a*). *Causa* enim, id est, finis ad quem obtinendum, actio commissa vel omissa est; *persona* non eius solum, qui fecit, sed et eius, cuius ratione est factum, et *qualitas facti*, id est, ea animi dispositio, qua quis egit, vtrum nimirum praeuia consultatione, an sine consultatione se ad agendum determinauerit, et si hoc, vtrum consultatio in agentis potestate posita, an non posita fuerit, ea exhibent principia, ex quibus notiones, quas de rebus moralibus agens sibi formauit, inferendae. Porro *locum*, in quo actio commissa vel omissa est, *tempus*, vtrum nimirum die, an nocte aut diebus festis, cultui diuino destinatis, sit perpetrata, *quantitatem*, vtrum nimirum semel facta, an aliquoties reiterata sit, et *euentum*, an nimirum animus determinata ratione agendi sit continuatus, nobis dare principia internas libertatis eius, qui agit, determinationes earumque quantitates cognoscendi, ex eo patet, quia eiusdem actionis ad libertatem referendae reiteratio efficit habitum, et quia interna vis determinatio, qua quis aliquid agit, eo maior est ratio externa, quae nos ad illud non-agendum ducit.

a) *vid. Instit. Iurispr. Romano-Germ. §. 101.*

§. VIII.

*Explicata
ad actiones
moralis ad-
commodan-
tur.*

His ex praemissis facile intelligitur, primo actionibus moralibus seu ad libertatem relatis eatenus competere moralitatem, quatenus sunt falsarum notionum, atque intrinsecae libertatis eius, qui agit, determinationis effectus (§. 5. 6.). Deinde, qua ratione possibile, vt eiusmodi actionibus competat quantitas moralitatis, et vt quantitas illa a nobis possit determinari (§. 6. 7.).

§. IX.

§. IX.

At hic dissentiunt STOICI, qui, vt illorum ex sententia tradit CICERO in *paradoxis*, omnia peccata esse aequalia docent, ex ea ratione, quod peccare nihil aliud sit, quam transire lineas, hoc vero cum ab aliquo factum, eo ipso culpa commissa sit. Ex quo colligunt, ad augendam transgressoris culpam nihil pertinere, quam longe ab aliquo progressio facta sit in delicto, si semel sit facta transgressio. Quidquid enim peccatur, perturbatione ordinis atque rationis peccatur: semel autem perturbata ratione et ordine, nihil potest addi, quo magis peccari posse videatur *a*). Sed quamuis aliqua ratione vera sit illa STOICORVM sententia quoad id, quod legum transgressor fecit, falsa tamen erit quoad modum seu animum agendi. Perturbatio enim ordinis atque rationis aliquoties facta maior est perturbatione ordinis atque rationis semel facta. Quo maior vero est delicti moralitas, eo magis quoque eiusmodi delicti reiteratio per delinquentem illum possibilis est (§. 6.). Manifestum ergo est, eiusdem legis transgressiones, quatenus animus delinquendi spectatur, non semper esse peccata aequalia. Et quae sunt reliqua.

a) conf. CARPZOVII Pr. Crim. P. I. Quaest. XXIV.

§. X.

Haec de *prima*, quam §. 1. posui, quaestione. Sequitur *Cur quantitas moralitatis sit mensura poenae*, quae eam euoluet rationem, ob quam naturalis poenae, quam quis meretur, mensura sit moralitatis quantitas, quae malae inest actioni. Dixi §. 8, duo in causa, qua quis illa ratione mala agit, distinguenda esse, *falsas* nimirum *notiones*, quas agens de moralibus sibi formauit actionibus, et *intrinsecam libertatis suae constitutionem*, qua ad notionibus illis conuenienter viuendum ducitur. Inquirere itaque debemus in effectus, quos et ratione primi et ratione secundi characteris poena delicti constituta producere potest. Quoad *primum*, ea, quae sequitur, ratione argumentor. Quum poena sit malum, quod per modum coactionis alicui ob legis viola-

tio-

tionem imponitur (§. 2. obl. 25.); sequitur, poenas inter ea referendas esse, quorum intuitus in nobis ideas de malitia seu prauitate actionum moralium ideoque conatum in veram actionis moralis constitutionem inquirendi excitare potest. Quo magis persuasi sumus nostras de actionibus moralibus notiones recte formatas esse, eo maiora quoque esse debent remedia, quae, ad notiones illas expellendas, et, vt nostram ad actiones illas attentionem recte ducamus, adhibentur. Id est, quod experientia duce discimus. His ita *propositis*, manifesta est ratio, cur naturalis poenae delicto constituendae mensura sit gradus moralitatis, qui primae parti causae, per quam actiones sunt moraliter malae, competit.

§. XI.

*et causa
secunda ex
dictis evol-
uitur.* Quoad *alterum* rem ita accipe. Effectus causae aequalis esse debet (§. XLIX. Ontol.). Quo magis itaque libertas nostra ad malum agendum intrinsece determinata est, eo maius quoque esse debet remedium, quod impediatur, quo minus libertatem nostram determinationi illi conuenienter adcommodemus. Metus sensituios ad remedia illa reuocandos esse, ipsa docet experientia. Sapientiae itaque est conueniens, delinquentibus eo vehementiores iniicere metus sensituios, quo magis illorum libertas ad malum agendum intrinsece determinata est (§. 229. I. N.). Poenas inter eiusmodi remedia, quae sensituios mala agentibus iniicere possunt metus, referendas esse, res ipsa confirmabit. Sapientiae itaque conueniens est, delinquentibus eo vehementiores constituere poenas, quo magis illorum libertas ad malum agendum intrinsece determinata est. Hoc est altera pars causae, per quam actio est moraliter mala, et quae gradum moralitatis determinat (§. 8.). Satis itaque inde intelligimus, cur gradus moralitatis, quem secunda pars causae, per quam actio mala est moraliter mala, exhibet, sit naturalis poenae delicto constituendae mensura.

OBSER-

OBSERVATIO XLII.

Ad §. 211. ff.

DE

IURISDICTIONE EIVSQUE AB
IMPVTATIONE DIVERSITATE.

§. I.

Quemadmodum ius, quatenus vocis origo spectatur, idem *ius dicere* significat, quam quod iustum seu legibus conueniens *et iurisdic-* est (§. 1. obf. 2.): ita et *ius dicere* idem est ac id determi- *ctio quid?* nare, quod obuio in casu iustum, seu legibus conueniens est; et *iurisdicctio* est actio, qua quis determinat, quid obuio in casu iustum seu legibus conueniens.

§. II.

Qui ius dicit, is leges ad ea, quae obueniunt, adplicat. Ab illo ad Quum enim, qui in eas inquit determinationes, quarum *adplicatio-* ratione ea, quae obueniunt, legibus aut conuenientia sunt, *nem legum* aut repugnant, leges ad ea, quae obueniunt, adplicet; conse- *ad obueni-* quens est, eum, qui id, quod obuio in casu iustum est, de- *entia valet* terminat, leges ad ea, quae obueniunt, adplicare. Enim uero *consequen-* is, qui ius dicit, quod obuio in casu iustum est, determinat *tia.* (§. 1.). Ergo manifestum est, eum, qui ius dicit, leges ad ea, quae obueniunt, adplicare.

§. III.

Factum et grammaticae et technice sumitur. Factum, *Significa-* grammaticae sumtum, idem est, quod actio. Factum uero, *tiones facti* technice sumtum, significat actionem liberam, seu ad liber- *ponuntur.* tatem relatum, quatenus sub circumstantiis singularibus con- sideratur (§. 211. I. N.). Patet inde, factum, priori significa- tione sumtum, esse genus; factum uero, posteriori significa- tione sumtum, esse speciem, actionem nimirum iis conside- ratam qualitatibus, quibus est actio moralis.

DARIES OBS. I. N. T. II.

I

§. IV.

§. IV.

Adpl. LL. Sequitur inde, *leges ad facta technice sumta adplicare ad facta magis determinatum esse, quam ius dicere.* Is enim, qui ius dicit, quod obvio in casu legibus conueniens seu iustum est, determinat (§. I.). Enim uero casus obueniens et factis grammaticæ et factis technice sumtis constitui potest. Qui itaque ius dicit, is, quod posito facto quodam aut grammaticæ aut technice sumto iustum sit, determinat. Ex quo satis patet, *leges ad facta technice sumta adplicare magis determinatum esse, quam ius dicere.*

SCH. Sic ius dicitur non in iis solum casibus, ubi de præmiis atque poenis sermo est, verum etiam ubi agitur de promisso adimplendo, de præstatione damni et physice et moraliter agendo illati. Et quæ sunt reliqua.

§. V.

Quid leges ad facta cum effectu adplicare? Aliud est determinare, quod obvio in casu iustum, aliud efficere, ut id, quod determinatum est, fiat existens, seu id, quod determinatum est, exequi. Ex quo facile intelligimus, quid significet, *alicui ius cum effectu dicere, seu leges ad facta alterius cum effectu adplicare.* Duo nimirum inuoluit, primo, determinationem eius, quod posito alterius facto huius ratione sit iustum, et deinde executionem eius, quod determinatum est.

SCH. Sic qui consilium dat, ius quidem alteri potest dicere, sed non cum effectu, magistratus uero, qua talis, ius cum effectu dicit.

§. VI.

Inde definitio iurisdictionis strictæ suntac. Fluit inde definitio de iurisdictione, quatenus terminus sumitur pro iure. Significat enim *iurisdictione strictæ* seu pro iure et non pro actu *sumta*, ius ad aliorum facta leges cum effectu adplicandi.

§. VII.

§. VII.

Duo itaque conceptus, quem de iurisdictione formaui- *in qua duo*
 mus, inuoluit iura. Ius alteris ius dicendi; et ius illud, quod *iura distim-*
 dictum est, exequendi (§. 5.). *Illud vocatur ius de iure re- gundo*
spondendi. Et hoc a non-nullis merum imperium. sunt.

SCH. Nota est illa loquendi inconstantia, qua pars sumitur pro toto. Sic terminus materialiter spectatus saepissime vocatur terminus, proprie vero ad constituendam termini notionem et materiale et formale pertinet. Inconstantia illa loquendi, mea quidem sententia, fecit, vt ea iurisdictionis pars, quae est ius de iure respondendi, a non-nullis iurisdictionis sit vocata. Sed euoluas, quaeso, rationem, cur collegio Ictorum, cui competit potestas atque ius de iure respondendi, non tribuatur iurisdictionis, et rationem, cur essentialis magistratus character sit iurisdictionis, et facile perspicies, nostram de iurisdictione definitionem vsui loquendi conuenientem esse. Notanda sunt, quae hac de iurisdictionis definitione bene monuit b. SAMUEL de COCCEII a) verbis, quae sequuntur: *Iurisdictionis* vi vocis dicitur, quae in causae cognitione consistit, et pronuntiatione iudicis finitur. Ius enim dicere nihil est, quam de iure causae pronuntiare, neque de causa ius dici potest, nisi cognitum fuerit. Idem ergo hoc sensu est, quod notio. Nec sua natura facultatem exequendi includit. *Imperium* vero nihil aliud est, quam executio, quippe quae fit iussu et imperio superioris. Quia vero illa iurisdictionis siue causae cognitio facile eludi, quin sine aliqua executione vix explicari potest, imperium siue executio ei addita intelligitur. Hinc regula: *nulla est iurisdictionis sine modica coercionis.* Atque hoc est illud *imperium*, quod *mixtum* dicitur, quia iurisdictioni mixtum atque annexum est. Et hoc sensu vsui iuris in specie iurisdictionis dicitur, et nudae notioni opponitur.

a) in *Iure civili controuerso* Lib. II. Tit. I. Qu. V.

§. VIII.

Fundamenta, quae species iurisdictionis determinant, indicantur. Posita illa, quam de iurisdictione formauius definitione, simul manifesta sunt fundamenta, quae diuersas iurisdictionis species determinant. *Primum* est titulus, quo alicui ius illud competit. *Alterum* sunt facta, ad quae is, qui iurisdictionem habet, leges cum effectu adplicare potest. *Tertium* sunt subiecta, ad quorum facta leges cum effectu adplicare potest.

§. IX.

Species, quae ex primo sunt, ponuntur.

Quoad primum ea, quae sequitur, ratione argumentor. Iurisdiclio seu ius leges ad alterius facta cum effectu adplicandi est ius alterum cogendi ad aliquid faciendum vel omittendum. Quo itaque titulo acquirere possumus ius alterum ad aliquid faciendum vel omittendum cogendi, eo quoque titulo iurisdiclio in alterum acquiri potest. Enim uero ius alterum ad aliquid faciendum vel omittendum cogendi nobis competere potest ea lege naturali, quae docet, ius ad finem dare ius ad media sufficientia; porro ius illud nobis competere potest ex superioritate, tandem ex pacto (§. 419. Cor. 2. I. N.). Ergo et titulus, per quem alicui in alterum competit iurisdiclio, aut est *lex illa naturalis*, aut *superioritas*, aut *pactum*. Iurisdictionem, quae alicui ex primo illo titulo competit, *naturalem*, quae ex secundo, *iudiciale*, seu *iurisdictionem strictissime sumtam*, et quae ex tertio, *conuentio-nalem* vocaturi sumus.

SCH. Tria hic monenda veniunt. *Primum* an diuisio illa iurisdictionis cum ratione, quae sufficiens est, sit formata. *Secundum* an species illae diuersis nominibus sint notandae. *Tertium* an nomina, quibus vsus sum, sint conuenientia. *Primum* res ipsa confirmat. Quam enim nobis cum veritate non competat ius in alterum, nisi per rationem quandam sufficientem: ratio uero illa sufficiens, per quam nobis ius in alterum competit, vocetur titulus (§. 461. I. N.); manifestum erit, iurisdictionem in alterum nemini sine titulo competere. Adest itaque

itaque fundamentum diuisionis. Fiat diuifio. Notum est ex systemate iuris naturalis, de eo enim solummodo hoc loco sermo est, secundum ius naturae fieri potesse, vt nobis in alterum competere ius cogendi aut ex lege illa: ius ad finem dat ius ad media sufficientia, aut ex superioritate, aut ex pacto. Quare, quum iurisdictio sit ius cogendi, quod alicui in alterum competit; sequitur, titulos illos acquirendi simul esse titulos acquirendi iurisditionem in alterum. Manifestum inde est, diuisionem illam iurisditionis fundamento atque ratione sufficiente non esse destitutam. *Alterum* patet ex regula, quam ratio perspicue docendi praescribit, vt in se distincta verbis quoque diuersis exprimenda sint. Quoad *tertium* ex logicis patet, definita specierum ita commode formanda esse, vt ad nomen generis id addatur, quod vniuersale in differentia specifica latens exprimit. Sic species notionis vocantur *notio distincta, notio confusa*. Et quae sunt reliqua. Interim cuiilibet est libertas nominibus illis alia, mihi incognita, substituendi.

§. X.

His praemissis facile erit respondere ad quaestiones, quae sequuntur. *Primo*, an a iurisditione ad potestatem legislatariam, et *deinde*, an a iurisditione ad superioritatem valeat consequentia. Quoad *primum* ea, quae sequitur ratione, argumentor. Iurisdictio est ius id determinandi, quod secundum leges obiuo in casu est iustum, et determinatum exequendi (§. 6.). Leges, secundum quas is, qui iurisditionem habet, id, quod obiuo in casu iustum est, determinat, aut ab eo, qui iurisditionem habet, dependent, aut ab illo non dependent. Ex quo manifestum est, potestatem legislatariam ex iurisditionis definitione legitime non fluere, sed concipiendam esse. licet is, qui iurisditionem habet, diuersus sit ab eo, a quo leges dependent; ideoque a iurisditione ad potestatem legislatariam non valere consequentiam.

§. XI.

et ad superioritatem valet consequentia?

Quum porro potestas legislativa sit essentialis superioris character (§.622. I.N.): et quum iurisdictio, quam quis adquisivit, aut ex ea lege naturali, quae praescribit, ius ad finem dare ius ad media sufficientia, aut ex superioritate, aut ex pacto proficiscatur (§. 9.); consequens est, ut a iurisditione ad superioritatem non valeat argumentatio (§. 10.).

§. XII.

Diviso iurisditionis ratione factorum.

Haec de primo, quod §. 8. posui. Sequitur alterum, *facta* nimirum, ad quae is, qui iurisditionem habet, leges cum effectu adplicare potest. Huius ratione argumentor. Is, qui iurisditionem habet, leges aut ad cuiuslibet generis facta, quae obveniunt, aut solummodo ad determinati cuiusdam generis facta cum effectu adplicare potest. Facta, ad quae leges cum effectu adplicantur, sunt iurisditionis obiectum. Qua ex causa iurisditionem priori determinatione consideratam, *iurisditionem obiective absolutam*, et iurisditionem posteriori determinatione sumtam *iurisditionem obiective restrictam* vocabo.

SCII. Ex his, quae diximus, satis intelligitur, iurisditionis obiective restrictae diuersas concipiendas esse species, ideoque quid significet *iurisdictio civilis, criminalis, ecclesiastica, feudalis* et quae sunt reliquae.

§. XIII.

Inde competentia iurisditionis ratione causae.

Iurisdictio ad id factorum genus relata, quorum ratione ei, qui iurisditionem habet, non competit ius leges cum effectu adplicandi, vocatur *ratione causae incompetens*. Et iurisdictio ad id factorum genus relata, quorum causa ei, qui iurisditionem habet, competit ius leges cum effectu adplicandi, *ratione causae est competens*. Ex his, quas posuimus, notionibus sequitur, iurisditionem obiective absolutam omni respectu ratione causae esse competentem: et iurisditionem

tionem obiectiue restrictam aliis in relationibus esse ratione causae incompetentem, aliis vero in relationibus competentem (§. 12.).

SCH. Sic in causis feudalibus iurisdictio feudalis est competens, quae in causis non-feudalibus est incompetens. In causis civilibus iurisdictio civilis est competens, quae in causis criminalibus est incompetens, et quae reliqua.

§. XIV.

Tandem de diuisione iurisdictionis ratione subiectorum, *Diuisio in-*
ad quorum facta is, qui iurisdictionem habet, leges cum effe-
ctu adplicare potest. Is nimirum, qui iurisdictionem habet, *risdictionis*
eam aut in relatione ad personas cuiuslibet qualitatis status *ratione*
atque conditionis vi iuris, quo gaudet, exercere potest: aut *subiecto-*
eam, vi iuris, quo gaudet, non exercere potest, nisi in rela-
tione ad determinatae cuiusdam qualitatis status atque con-
ditionis personas. Si illud, *risdictionis* est subiectiue absoluta,
et si hoc, *subiecto-* subiectiue restricta.

§. XV.

Ex quo iis, quae §pho 13. diximus, collatis, facile *Inde com-*
intelligitur, quid significet *risdictionis* ratione personae com-
petens, et *risdictionis* ratione personae incompetens. Porro inde *petentia*
patet, fieri posse, vt iurisdictionis ratione causae incompetens *iurisdictionis*
sit ratione personae competens, et vt iurisdictionis ratione *ratione*
causae competens sit ratione personae incompetens. *personae.*

§. XVI.

Haec de iurisdictione. Sequitur doctrina de imputa- *Origo ter-*
tione. Terminus *imputationis* proprie est hortensis a), et *mini impu-*
inoculationem, infusionem aut insitionem, qua surculi plantae *tationis*
imputantur, significat. Sed ad arithmeticam, vt bene monuit *sensu mo-*
THOMASIVS b) translatus est, et significat imputare, aliquid *ruli sumta.*
in rationes referre, auf Rechnung schreiben. Quum in
arith-

arithmetica imputatione non respiciatur ad eum, qui pecuniam soluerit, vel cuius sint nummi, sed quis iusserit soluere: et quum in imputatione hortensi non spectetur id, quod plantae per naturam inest, sed quod præter naturam accedit; manifestum est, cur imputare postea in disciplina morali translatum sit ad eum actum, quo existentia vel non-existentia facti ad alicuius refertur voluntatem, et quo huic merita, seu quae ex eiusmodi relatione facti ad voluntatem fluunt consecutaria, determinantur.

SCH. THOMASIO c) imputare, sensu morali sumtum, idem est, quod aliquem declarare causam moralem, ad quam debeat applicari effectus moralis. Per causam moralem hoc loco intelligit causam moraliter agentem, id est, eum, ad cuius voluntatem aliquid potest referre, et per effectus morales non ea consecutaria, quae ex actione, sed quae ex relatione actionis ad libertatem seu ad voluntatem fluunt. Ex quo manifestum est, definitionem de imputatione morali a nobis datam thomasiannae conuenientem esse.

a) vid. IO. IACOBI MULLERI *Diff. de imputatione morali*, Ienae 1707. hab. HOCHSTETTERI *Colleg. Pufendorf. Exerc. I. §. XXXIX. **

b) in *Fund. Iur. Nat. et Gent. Lib. I. cap. VII. §. XXIV.*

c) l. c. §. XXVII.

§. XVII.

Cur in physicam et moralem sit diuisa? Genus, quod in definitione, quam de imputatione sensu morali sumta formauimus, latet, est aliquem pro causa eius, quod existit, declarare, et eiusmodi actionis consecutaria determinare. Ex eo, quod quis sit causa eius, quod existit, non sequitur, ut sit talis causa, ad cuius voluntatem existentia illa referri potest: et ex eo, quod actio, quae obueniens est, determinata quaedam habeat consecutaria, non sequitur, ut sint consecutaria, quae ex relatione actionis ad libertatem seu voluntatem fluunt (§. 8. obs. 14.); inde factum est, ut a non-nullis imputatio sensu morali sumta in *imputationem physi-*

physicam et *moralem* sit diuisa. In *physica* nimirum imputatione non quaeritur, an existentia eius, quod obueniens est, ad alicuius voluntatem possit referri, sed an quis eiusmodi existentiae sit causa. Porro in *physica* imputatione non determinantur consecutaria, ob relationem actionis ad libertatem, sed consecutaria actionis, qua talis. In imputatione vero *moralis* non quaeritur, an quis sit eius, quod obueniens est, causa, sed an existentia eius, quod obueniens est, ad alicuius voluntatem possit referri: porro non determinantur consecutaria actionis, qua talis, sed quae ex relatione actionis ad libertatem fluunt.

§. XVIII.

Terminus imputationis in disciplina morali secundum lo-illa minus quendi usum non physice sed moraliter sumitur. Hoc non ex ^{accurate} eo solum patet, quia germani dicunt: *Ich habe es zwar* ^{vocatur} *gethan, wan kann es mir aber nicht* ^{imputatio.} *imputiren*, sed et ex ea sapientum doctrina manifestum est, qua passiones actionesque naturales, facta vel in furore atque insania, vel in somno vel in ebrietate perpetrata non imputantur, nisi quatenus per agentem stetit, quo minus huiusmodi quid contingeret.

§. XIX.

Qui significationem imputationis in disciplina morali ^{Ponitur} ea ratione extendendam esse putant, qua est vel *physica* vel ^{obiectio.} *moralis*, prouocant ad imputationem damni dati, de qua omnes fere iuris naturalis doctores sermonem faciunt. Ex quo argumentantur. Damni dati restitutio non est consecutarium ex turbatione ad libertatem relata, sed ex turbatione, qua tali, et damnum praestare debet, qui est damni dati causa, licet eiusmodi damnum ad voluntatem turbatoris non possit referri. Ergo et imputare significat aliquem pro causa declarare, ad quam debeat adplicari effectus actionis, qua talis.

§. XX.

et respon-
detur.

Respondeo: In capite de præstando damno distinguendum esse casum, quo is, qui damnum dedit, a casu, quo is, ad cuius voluntatem seu libertatem damnum datum referri potest, damnum debeat præstare. Vltimum, non primum spectant doctores, qui de imputatione damni dati dicunt. Salua ergo manet thesis, quam §. 18. posui, terminum nimirum imputationis in disciplina morali non physice sed moraliter sumendum esse.

§. XXI.

Diuisio im-
putationis
in imputa-
tionem facti
et iuris
explicatur.

Duo in imputatione plena seu, vt cum THOMASIO loquar, summam posita distinguenda sunt, *primum* est actus, quo existentia vel non-existentia facti ad alicuius voluntatem referitur, seu quo aliquis pro auctore facti declaratur: *alterum* est actus, quo merita determinantur, quae ad auctorem pertinent. *Illum* cum doctoribus vocavi *imputationem facti*, et hunc *imputationem iuris*. Ex quo manifestum est, imputationem facti et imputationem iuris non esse imputationis species, sed diuersos actus in imputatione plena distinguendos. Imputationem facti non-nulli vocant *imputationem, quae est ad actum*, et imputationem iuris, *imputationem, quae est ad effectum*. Sic furi primo imputatur actio furtiua. Secundo effectus, nempe patibulum seu suspendium.

§. XXII.

Obiectum
imputa-
tionis.

Ex iis, quae de imputatione diximus, facile erit perspiciere, in quaestionibus, quae de imputatione ponuntur, aut ad *obiectum*, quod imputari potest, aut ad *subiectum*, cui aliquid imputari potest, aut ad *modum*, quo aliquid imputari potest, esse respiciendum. Quod obiectum attinet, definitio, quam de imputatione morali formauimus, docet, obiectum imputationis esse tale, quod ad alicuius voluntatem seu libertatem potest referri (§. 16.), id est, actum moralem (§. 3. obs. 14.). Sumitur vero hoc loco actio moralis non in oppositione
ad

ad actiones formaliter indifferentes (§. 2. obs. 15.), sed in oppositione ad actiones physicas seu ad libertatem non referendas. vid. §. 10. ff. obs. 12.

§. XXIII.

Sequitur *subiectum*, cui aliquid imputari potest. Sit fermo *Subiectum* de imputatione morali, et ex huius imputationis definitione *imputa-* manifestum erit, hocce subiectum esse tale, ad cuius voluntatem seu libertatem existens eius, quod obueniens, referenda (§. 16.), id est, tale, in cuius potestate situm fuit, praeuia consultatione ea agere, per quae oppositum eius, quod obueniens est, fieri potuit existens (§. 10. obs. 12.). Eiusmodi subiectum vocatur *agens morale*, seu, vt cum PVFENDORFIO loquar, *caussa efficiens moralis*.

SCH. Sunt a), qui *agens morale a causa efficiente morali* distinguendam esse putant, per *illud* intelligentes tale agens, ad cuius voluntatem existens eius referri potest, quod necessarium inuoluit respectum ad honestatem et turpitudinem, et per *hoc* tale agens, ad cuius voluntatem referri potest existens eius, quod sine omni respectu ad honestatem et turpitudinem esse potest. Illustrant dicta exemplis, quae sequuntur. Qui mandat aedes extrui, est aedium causa efficiens moralis sed non agens morale, nisi forte huiusmodi extructio in praerudicium tertii fiat, aut a superiore prohibita sit. Qui vero ipse innocentem gladio interficit, recte quidem dicitur agens morale, eo quod innocentem occidere sit ex genere illorum, quae omni iure interdicta sunt, tamen causa moralis dici nequit, quia ipse immediate produxit occisionem, tanquam effectum, causa autem moralis est causa mediata. Qui denique mandauit occisionem infantis, est illius simul causa moralis et agens morale, eo quod tale mandatum omni omnino iuri et naturali et diuino et ciuili aliisque aduersetur. Porro his ex praemissis concludunt, causam efficientem moralem non semper esse subiectum imputationis, sed agens morale esse eiusmodi subiectum. Et quae sunt reliqua. Sed respondeo *primo*, causam efficien-

efficientem moralem semper esse agens morale. Quum enim actiones humanae non sint formaliter indifferentes (§. 6. obs. 15.); manifestum erit, omne, quod nostram ad voluntatem referri potest, necessarium inuoluere respectum ad honestatem et turpitudinem (§. 2. l. c.). *Secundo*, PVFENDORFIVM, qui subiectum imputationis causam efficientem moralem vocat, per causam moralem non intelligere eam, cuius definitionem §. 178. I. N. posuimus, sed causam moraliter agentem.

*) vid. laudatam MULLERI *de Imputatione morali* dissertationem §. VIII.

§. XXIV.

Inde imputatio est vel simplex vel permutatoria.

Quum nobis ea ex ratione id, quod obueniens est, imputetur, quia nostram ad voluntatem possit referri (§. 23.): nostram vero ad voluntatem seu libertatem non id solum referri possit, quod ipsi fecimus, sed et id, quod ab aliis factum est; sequitur, et ea, quae ipsi fecimus, et ea, quae ab aliis facta, nobis posse imputari, ea nimirum ratione, qua nostram ad libertatem seu voluntatem possunt referri. Fluit inde distinctio imputationis in scholis vsitatissima, qua nimirum *imputatio est vel simplex vel permutatoria*. *Simplicem* vocant, qua alicui imputatur, quod ipse fecit. Sic CAINO fratricidium, et LOTHO incestus imputatur. *Permutatoriam*, qua alicui ab aliis factum imputatur. Qua de imputatione bene CICERO in PISONEM: *Neque vero multum interest, praesertim in consule, utrum ipse perniciosus legibus, improbis concionibus rempublicam vexet, an alios vexare patiatur.*

§. XXV.

An imputatio permutatoria haecenus dictis reprobetur.

Haec, quae de imputatione permutatoria agit, doctrina non-nulli ad eneruandam eam, quam de subiecto imputationis §. 23. posuimus sententiam, conferunt, docentes, in imputatione permutatoria parentum facta saepissime posteris imputari, quae tamen ad posterorum voluntatem non possunt referri. Id quod exemplo feudi declarant, quo posteris ob crimen .

crimen a parentibus commissum priuantur. His ex praemissis colligunt, subiectum imputationis non semper esse tale, ad cuius voluntatem id, quod obueniens est, referendum. Sed mea quidem sententia hoc exemplum a feudo desumptum minus recte ad hanc de imputatione morali materiam adcommodatur. Eiusmodi enim feudi priuatio ex parte descendendum non poenae, quae est effectus moralis seu malum ex relatione facti ad libertatem confectarium, sed infortunii solummodo ac incommodi rationem habet. Si itaque hoc loco sermo sit de imputatione, manifestum erit, sermonem non esse de imputatione moraliter sed grammatice sumpta, qua nimirum vocis origo spectatur (§. 16.), ideoque hunc esse dicti sensum; incommodum illud, quod ex facto parentum fluit, descendentes ea imputatur ratione, qua furculi plantae imputantur. Et quae sunt reliqua.

§. XXVI.

Quod tandem modum attinet vid. §. 22, ex eo, quod alicui imputetur, cuius existencia vel non-existencia suam ad voluntatem potest referre (§. 16.), id vero aut moraliter bonum aut moraliter malum sit; sequitur, imputationem aliam esse ad bonum, aliam ad malum. SANDERVS a) quidem terminum imputationis adeo arctum esse docet, vt tantum de facto moraliter malo ac turpi dicatur. Sed vt ad hancce accedamus sententiam, nec vocis origo nec vsus loquendi a doctoribus receptus permittet. Non enim solum in moralibus, sed et in iure terminus imputationis vsu venit, vbi agentibus facta sua ad laudem, honorem, famam, gloriam et praemium imputari solent. Adeo itaque diffusus est terminus ille, vt etiam de actu moraliter bono praedicetur b).

a) Lib. V. de iustificat.

b) conf. PVFENDORFII I. N. et G. Lib. I. Cap. V. §. III.

§. XXVII.

Iam facile erit perspicere, quomodo iurisdictio atque imputatio sint diuersa. Hanc ad euoluendam diuersitatem

theses, quae sequuntur, pono. Prima est: *a Iurisdictione ad imputationem non valet consequentia.* Haec ex eo patet, quia obiectum iurisdictionis et factum grammatice et factum technice sumtum potest esse (§. 3. ff.), obiectum vero imputationis moraliter sumtae non est, nisi factum technice sumtum (§. 3. et §. 22.).

§. XXVIII.

nec ab imputatione ad iurisdictionem valet consequentia.

Altera est: *ab imputatione ad iurisdictionem non valet consequentia.* Quum enim is, qui imputat, solummodo eum declaret, ad cuius voluntatem existentia vel non-existentia facti referendum, et deinde ea determinet consequentia, quae ex eiusmodi relatione facti ad voluntatem fluunt (§. 16.); manifestum est, imputantem solummodo moraliter agenti ius dicere (§. 1.). Enimuero in iurisdictione ius dicitur cum effectu (§. 6.). Satis itaque patet, ab imputatione ad iurisdictionem non valere consequentiam.

§. XXIX.

Ergo non sunt subordinata,

His ex praemissis colligimus, iurisdictionem atque imputationem non esse ideas subordinatas (§. 104. Log.), ideoque nec iurisdictionem esse genus imputationis, nec imputationem esse genus iurisdictionis (§. 105. Log.).

§. XXX.

sed coordinata.

Iurisdictio atque imputatio sunt ideae coordinatae. Quum enim fieri possit, ut is, qui alicui ius dicit, aliquem pro auctore facti declaret, meritaque ad eundem pertinentia determinet (§. 1. 2. 6.); sequitur fieri posse, ut cum determinata quadam iurisdictione imputatio sit connexa (§. 16.). Quum porro imputatio executionem eius, quod determinatum est, nec inuoluat (per dem. §. 28.), nec excludat (§. 16.); consequens est, fieri posse, ut cum determinata quadam imputatione iurisdictio sit connexa (§. 6.). Iurisdictio itaque atque imputatio sunt ideae, quae non vniuersaliter, particulariter tamen possunt connecti (§. 27. 28.). Enimuero eiusmodi ideae vocantur coordinatae (§. 104. Log.). Ergo iurisdictio atque imputatio inter ideas coordinatas referendae sunt.

OBSER-

OBSERVATIO XLIII.

DE

IMPVTATIONE EORVM QVAE AB
INTELLECTV DEPENDENT.

§. I.

Ponunt non-nulli quaestionem, *.an actus intellectus morali- Ratio
ter possint imputari.* Sunt, qui affirmant, sunt quoque, *instituti.*
qui negant. Primum meam hac de re sententiam, quanta fieri
potest perspicuitate expositurus, et deinde ad dissentientium
argumenta responsurus sum.

§. II.

Primo omnium distinguimus inter adcommodationem *Adcommo-
intellectus seu vis cognoscitiuae, et perceptiones, quae ad- datio
commodatione illa efficiuntur. Posita illa vis cognoscitiuae intellectus.*
adcommodatione perceptiones necessario sequi et nostram
ad voluntatem non esse referendas non experientia solum
docet, sed et eae corroborant regulae, quae sensationes
affociationesque idearum explicant. Quod vero intelle-
ctus adcommodationem attinet, hanc nostram ad liber-
tatem seu voluntatem referri posse, ita manifestum est,
vt nemini sano dubium heic oriri queat. Quum enim ea
actio nostram ad libertatem referatur, cuius opposita ea
ex ratione per nos fieri potuit, quia in potestate nostra
situm fuit, praevia consultatione alia, quam quae fecimus
agere (§. 10. obs. 12.); necessum sane est, vt adcommo-
datio vis cognoscitiuae nostram ad libertatem referatur, si per nos
ea ex ratione, quia in potestate nostra situm fuit, praevia
consultatione alia, quam quae fecimus, agere, fieri potuerit,
vt vis nostra cognoscitiua non sit adcommodata, aut vt alia,
quam qua facta est, ratione sit adcommodata. Enimuero
hoc ea, quam diximus, ratione per nos fieri posse, non ipsa
solum.

solum docet experientia, sed et ex eo patet, quia vim nostram cognoscitivam plerumque secundum eum, quem nobis adquisivimus cogitando habitum, adcommodamus, illa vero habitus adquisitio per nos ea ex ratione possibilis fuit, quia nobis facultas praeuia consultatione sponte agendi competit.

§. III.

et perceptiones cum attentione et reflexione coniunctae ad nostram referri possunt sunt libertatem.

Deinde distinguimus inter perceptiones, quatenus a solo intellectu dependent, et perceptiones, quatenus vt tales spectari possunt, quae cum attentione atque reflexione sunt coniunctae. Illas, quae tales, ad libertatem nostram non posse referri concedo, et experientia confirmat. Perceptiones vero, quae ad alteram classem pertinent, nostram ad libertatem referendas esse, ea, quae sequitur, argumentatione corrobore. Ex iis, quae alio loco de libertate exposuimus ^{a)} patet, attentionem atque reflexionem esse operationes, quae nostra a facultate procedunt, quae praeuia consultatione sponte agere possumus. Is itaque, qui ad ea, quae percipit, attendit, super iisdemque reflectit, libertatem suam adcommodat. Is vero, qui ad ea, quae percipit, non attendit, super iisdemque non reflectit, quum tamen et attendere et reflectere potuerit, ea omittit, quae ea ex ratione facere potuit, quia sua in potestate situm fuit, praeuia consultatione alia, quam quae fecit, agere. Eatenus itaque perceptiones nostram ad libertatem referri possunt, quatenus vt tales spectantur, quae cum attentione atque reflexione sunt coniunctae (§. 10. obl. 12.).

^{a)} Conf. die erste Sammlung meiner philosophischen Nebenstunden, die vierte Abhandlung, von der Freyheit Gottes und der Menschen.

§. IV.

Ergo moraliter imputabiles sunt.

His praemissis, facile erit respondere ad eam, quam exposuimus, quaestionem, *an nimirum ea, quae ab intellectu dependent, nobis moraliter possint imputari.* Rem ita accipe. Quic-

Quicquid nostram ad libertatem seu voluntatem potest referri, id moraliter quoque nobis imputari potest: et quicquid nostram ad libertatem seu voluntatem non potest referri, id quoque moraliter nobis imputari nequit (§. 16. 22.). Sed accommodatio intellectus seu vis nostrae cognoscitivae, et perceptiones ea ratione spectatae, qua cum attentione atque reflexione coniunctae sunt, nostram ad libertatem seu voluntatem referri possunt: perceptiones vero ea ratione spectatae, qua a solo intellectu dependent, nostram ad libertatem seu voluntatem referri nequeunt (§. 2. 3.). Ergo et accommodatio vis nostrae cognoscitivae, et perceptiones ea ratione spectatae, qua cum attentione et reflexione sunt coniunctae, moraliter nobis imputari possunt: perceptiones vero ea ratione consideratae, qua a solo intellectu dependent, nobis non possunt moraliter imputari.

§. V.

Sumas contrarium, et nulla erit imputatio culpa. Quum *Id quod* enim culpa nihil aliud sit, quam defectus rectitudinis actionis *alia qua-* humanae vincibilis quoad intellectum (§. 188. I. N.): mani- *dam argu-* festum erit, culpose agere idem esse, ac vim cognoscitivam *mentatione* non ea, qua per nos fieri potest, ratione accommodare, aut *corrobo-* ad ea, quae percipimus, non ea, qua per nos fieri potest, *ratur.* ratione attendere, super iisdemque reflectere. Si itaque intellectus seu vis cognoscitivae accommodatio atque perceptiones ea spectatae ratione, qua cum attentione atque reflexione sunt coniunctae, nobis moraliter imputari nequeant: nulla quoque erit imputatio culpa. Ergo et hoc, quod inde fuit consecutarium, sententiam §. 4. positam corroborat.

§. VI.

Argumentum eorum, qui dissentiunt, est quod sequitur. *Argumen-* Actus, quorum ratione non possunt praescribi leges, nobis *tatio dis-* non possunt imputari. Sed intellectui non possunt praescribi *sentien-* leges. Ergo actus intellectus nobis non possunt imputari. *tium.*

D A R I E S O B S. I. N. T. II.

L

Error

Error est actus intellectus. Ergo errores nobis non possunt imputari *a*).

a) vide FEISCHERI *Inst. I. N. et G. Lib. I. Cap. VII. §. 45. Conf. Script. gall. auctoris anonymi sub tit. discours sur la liberté de penser.*

§. VII.

*ad quem
responde-
tur,*

Respondeo: Quod primum attinet syllogismum, maiorem, si nimirum sermo sit de imputatione morali, concedo, minorem vero limito, rationemque limitationis ex §. 23. obseru. 16. sumo. Quo posito, haec erit argumentatio: Quicquid obiectum obligationis moralis esse potest, eius quoque ratione leges praescribi possunt morales (§. 3. obs. 18.). Enimvero operationes intellectus formaliter consideratae obligationis moralis obiectum esse possunt (§. 23. obseru. 16.). Ergo et operationibus intellectus formaliter consideratis leges praescribi possunt morales. Hoc posito, manifestum erit, ratione operationum intellectus formaliter consideratarum imputationem quoque moralem esse possibilem. Enimvero errores ad actus intellectus formaliter spectatos merito referuntur, quia eorum fons est spontaneitas minus recte adcommodata. Ergo non ferenda est argumentatio, quae errores nobis moraliter non posse imputari, corroborare cupit.

§. VIII.

*An error
sit crimen.*

His praemissis, facile erit respondere ad quaestionem: *an error sit crimen?* cuius magis determinata haec est: *an haeresis sit crimen.* Crimen aut generatim aut speciatim sumitur. *Generatim sumtum* significat actionem moraliter malam seu defectum rectitudinis actionis humanae ad libertatem referendum. *Speciatim sumtum* significat defectum rectitudinis actionis humanae quoad voluntatem, seu actionem dolosam. Positis hisce notionibus manifestum erit, errorem, qua talem, non esse crimen speciatim sumtum, fieri vero posse, ut inter crimina generatim sumta referatur (§. 7.).

§. IX.

§. IX.

Notandum tamen est, *primo*, varios culpae seu criminis *Monitu.* generatim sumti possibiles esse gradus: *secundo*, aliud esse, *crimen esse*, aliud, *tale crimen esse*, cuius ratione hominibus ius puniendi competit. Errores inter crimina generatim sumta seu inter actus culposos posse referri, probauimus. An vero inter eiusmodi crimina possint referri, quorum ratione hominibus competit ius puniendi, haec est quaestio, cuius responsio ex iis facile erit deducenda, quae obseruatione 40. de naturali poenarum mensura exposuimus.

OBSERVATIO XLIV.

DE

IMPVTATIONE CRIMINIS VAGI.

§. I.

Sermonem quoque doctores faciunt *de crimine vago huiusque Ratio in-* *imputatione.* In huius naturam inquirere, non erit sine *stituti.* commodo. Hunc in finem *primo* quaero, quid significet crimen vagum. *Secundo*, qualis sit criminis vagi imputatio ratione eius, qui eiusmodi crimen commisit. *Tertio*, qualis sit imputatio criminis vagi ratione eius, qui, eiusmodi crimen ab altero commissum esse, proclamat. De singulis breuiter.

§. II.

Quod *primam* adinet *quaestionem*, primo ea audiamus, quae hoc de crimine monuit b. RECHENBERG, et ex hisce *Sententia* *doctorum* deinde eiusmodi criminis formemus definitionem. Ea, quae *hoc de crimine* b. RECHENBERG a) protulit, sunt quae *mine.* sequuntur: "Tuta frequensque via semper extitit, priuorum affectuum intemperiem recti specie, saepe etiam religionis zelo excusare. Tuta frequensque licet hac via fuerit, crimen habet. Cum enim duo conuertiendi sunt genera,

L 2

vnum

"vnum, quod nullum probrum, sed verbum ex opinione vulgi
 "saltem contumeliosum obiicit; alterum, quod cum delicti
 "exprobratione famam laedit, a priori modo alios laceffendi
 "facilius viri subactioris iudicii sibi temperare potuerunt.
 "Infelix contra callidi ingenii studium alii in eo posuerunt,
 "vt recti amantes viderentur, et propositi sui tenaces asser-
 "tores, crimen obiiciendo aliis imminerent. Duplex inde
 "commodum sperabatur, tum vt illis, quibus male vellent,
 "impune nocerent, tum vero vt improvidis, et qui eiusmodi
 "technas non callerent, securius imponent, ac autoritatem
 "suam stabilirent. Inter crimina igitur, cum alia eviden-
 "tiora sint, et quod aiunt, corpore delicti in continenti aut
 "probari, aut ab innocente legitima excusatione declinari
 "queant; alia vero ob difficilem sui aestimationem obscuriora
 "habeantur, hoc vltimum delictorum genus priori magis
 "commodum visum fuit ad nocendum ingeniosis hominibus,
 "quod securius obiicerent, et sub obscuritate illius aut affe-
 "ctus, aut simplicitatem venderent. Liceat igitur nobis
 "melioris demonstrationis gratia hoc vltimum genus crimi-
 "num, *crimen vagum* vocare, cuius indolem, ad detegendam,
 "quae sub eius inuolucro committitur, fraudem paucis prae-
 "mittemus."

a) in Dissert. de crimine haeretisicii §. I. Lipsiae 1737. hab.

§. III.

- huius con-
tinuatio.

Pergit b): "Scilicet quod diu fati in logicis incerta sede
 "erravit *individuum vagum* inter crimina quoque obtinuit, vt
 "non immerito quis *crimen vagum* possit asserere. Est autem
 "nobis *criminis vagi obiectio, delicti generalioris, ac nondum per
 "actus specificos probati ac difficulter aestimandi imputatio.*
 "Vtuntur eiusmodi crimine vago, interdum potentiores, in-
 "terdum quoque pares ingenio suo inuido aut maligno abu-
 "tentes. Illi, quod aut a corporis delicti demonstratione aut
 "actuum specificorum recensione autoritate sua se immunes
 "credant; et se saltem interrogari nefas existiment, maiori
 "fidu-

"fiducia et facilius tale quid imputare solent: Hi vero cau-
 "tius procedunt, quod ab initio defensionem, quae omni
 "innocentiae ac veritati naturalis et propria est, extimescant;
 "et primo facti exosi generalioris nomen susurro clam in
 "vulgus spargunt, mox vbi vel alios aequae inuidos, vel hebe-
 "tioris ingenii ac garrulitatis eximioris assentatores coecos
 "inuenerint, magno velut excitato incendio classicum canunt,
 "et multitudine fociorum et acclamantium fauore freti, tan-
 "dem criminantis turbae vel se dant autores, vel vno ore, ac
 "si esset conclamatum, obiectum crimen baubantur. In va-
 "rias vero formas et nomina hoc *vagum crimen*, quod obii-
 "citur, abit, prouti nempe diuersa sunt obiecta, circa quae
 "delinquendo aliosque laedendo homines versantur. Sic in
 "administratione reipublicae accusanda non infrequens con-
 "siliorum periculorum, factus non tolerandi, machinatio-
 "num ac fraudum generalis accusatio. Si diuitiae hominis
 "alios ad inuidiam extiment, notum *malae* in re pecuniaria
 "*versationis* probrum. Si iudicis officium a maleuolis appe-
 "tatur, illum aut studii partium, aut feruidioris ingenii, aut
 "tarditatis insimulant. Si aliorum in vita ciuili famae immi-
 "neatur, auaritiae, prodigalitatis, leuitatis, et si quae sex-
 "centa sunt alia, criminandi tutam rationem largiuntur. In
 "quibus omnibus, vti non negem, generalioris obiectionis,
 "aliquando speciales probationes addi posse, ita viri pruden-
 "tes et cordatiores nunquam vagae eiusmodi imputationi
 "fidem habent, sed ipsam criminationem, si specialiora facta,
 "quibus proberetur, desint, iam suspectam ducunt, ad mini-
 "mum non audita altera parte nihil statuunt." Et quae sunt
 reliqua.

b) §. II. 1. c.

§. IV.

His ex praemissis facile erit intelligere, quid significet *Crimen*
crimen vagum, criminisque vagi imputatio. Manifestum enim *vagum hu-*
 ex dictis est, *crimen* hoc loco significare omne vitiosum seu *iusque im-*
 moraliter malum, quod in praerudicium generis humani *putatio*
 factum. *quid?*

factum. *vagum*, idem quod indeterminatum seu generatim positum. Ideoque *crimen vagum* idem quod vitiosum aliquod indeterminatum seu generatim positum in praeiudicium generis humani factum. *Imputatio ergo criminis vagi* est actus, quo quis pro tali declaratur, qui vitiosum aliquod indeterminatum atque generatim positum in generis humani praeiudicium fecit.

SCH. 1. Sic v. g. inter eiusmodi criminis vagi imputationes merito referuntur actus, quibus alicui nouitas obiicitur quasi crimen: quibus alicuius doctrinae generatim positae cum inuisorum hominum dogmatibus conferuntur, et inuidiosis nominibus infamantur: quibus methodus, qua quis in docendo vitur, pro tali generatim declaratur, a qua periculum est: quibus systemati alterius generatim obiicitur, receptos loquendi vsus in eodem esse violatos. Et quae sunt reliquae.

SCH. 2. Illustrari quoque potest illa de *imputatione criminis vagi* formata definitio iis, quae de *haeretificio* a doctoribus posita sunt. Sit horum interpres laudatus RECHENBERG. Sic enim ille: a) Cum praecipuum humanarum actionum obiectum sit *religio*, huius etiam intuitu vagae eiusmodi criminationes coeperunt. Vt enim taceam, ipsam diuersam de Deo opinionem, conuictis ansam saepe dedisse, vt ethnicorum, samaritanorum, verparum nomina contumeliosa sint habita; ita in eodem plane coetu aliquando contigit, vt generaliori impietatis, irreligiositatis, hypocriseos, aut superstitionis obiectione homines exosi aliis redderentur. Apprime aptum criminandi nomen tandem inuentum est *haereseos*, cuius existentiam et atrocitatem, vt non negem; ita tamen sensim illud laxari coepit, vt omnes de cultu DEI theoretico et pratico indifferentes quandoque doctrinae, vbi dissensus adesset, hoc nomine abusiue notari, et quod magis ipsi nomini effectus aliquis ciuilibus et famae laedendae attributus fuerit. Multis igitur modis in imputatione haereseos peccatum. Interdum enim doctrinae a catholica et saluifica veritate plane non aberrantes, ac illarum assertores praeter meritum fuerunt lacesiti.

Quan-

Quandoque, vbi vera haeresis subfuit, non animo emendandi sed obtrestandi saltem adeoque iniuriandi ipsi, qui errauerant, statim proscindebantur. Aliquando illi ipsi, qui dissentiebant, partis et iudicis autoritate fungebantur, et priuati priuatos damnabant. Denique ex ipso nomine alius plane effectus, quam qui esse debebat, fuit confictus. Omnibus illis modis ipsi, qui eiusmodi criminatione abutebantur, in delictum aliquod incidebant, et aliquando simplicitate aliis accinentes, aliquando maligno animo atrocissimam iniuriam asserendae veritatis specie euomebat. In hoc igitur monstrando crimine de nomine aut definitione *haereseos* multa praefari difficile, et in hoc instituto superuacaneum ducimus, quod et Icti, magis vero adhuc Theologi hac in re nobis otium fecerint: neque multum de significato *criminis* tricabimur, quod hoc schediasmate in sensu latiori et pro facto illicito in genere nobis habetur; satiusque ducimus, si indolem delicti recensuimus. Nouum illud plane delictum, quod *haeretificii* nomine insignitur, videri poterat, at perantiquum est, et ad iniuriarum iniquitatem in genere pertinet. Est autem nobis *haeretificium* species iniuriae, qua membrum ecclesiae in religione dissentiens, vt haeticus dolo malo aut simplicitate proscinditur, ac religionis praetextu aliis exofus redditur. Coincidit cum hoc crimine, si quis hominem re vera a tramite apostolicae veritatis aberrantem, non emendandi, sed criminandi animo, verbis contumeliosis adficiat, et adiuuentis nominibus in civili societate contemptui exponat. Prioris delicti iniquitas in eo consistit, quod 1) vt plurimum priuati in propria causa quasi iudices sibi existant, 2) haeresin mentiantur, vbi nulla plane adest, et circa problema aliquod dissensus plane innoxius saltem ventilatur, aut 3) opinionem plane alienam alteri parti interdum affingant, et 4) animum dissentientes laceffendi habeant. Posterioris vero iniustitia in solo animo vt plurimum consistit, et vt veritatis exceptione excusari posse videtur, a modo tamen exprobrandi falsam religionem, et affectu priuato dicentis vel agentis vitium trahit. Et cetera.

a) l. c. §. III. et IV. Conf. THOMASII Diss. de iure principis circa haeticos. §. V.

§. V.

quae vel
explicita
vel impli-
cita.

Euoluta criminis vagi eiusque imputationis notione facile erit intelligendum, *imputationem illam in explicitam et implicitam* diuidendam esse. *Explicita* est actus, quo quis disertis verbis pro tali declaratur, qui vitiosum aliquod indeterminatum atque generatim positum in generis humani praeiudicium fecit. *Implicita* vero est actus, quo ab altero facta ea explicantur ratione, qua sunt talia, quae in praeiudicium generis humani facile aliquid efficere possunt.

SCH. Sic laudatus RECHENBERG a) *haeretificium*, quod est imputationis criminis vagi species, *explicitum* vocat, si disertis verbis hominem in problemate quodam circa cultum diuinum dissentientem haeticum vocamus, et hoc ipso nomine contumelioso aliorum odio et contentui exponimus: in hoc statuendo, ut ut eius exempla non sint infrequentia, magis tamen caute homines agere consueuerunt, tum quod arroganter hoc aliis videri posset, si priuatus erga alium haeticae prauitatis, accusator vindex et iudex existeret; tum, quod difficilioris sit probationis, et applicationis haeticam qualitatem sententiae aduersae accommodare. De *haeretifico* vero *implicito* docet, id duobus modis accidere, si vel vbi nullus dissensus verus adest, verba alterius nihil mali in se habentia per *consequentiam* quod vocant, ad haeresin detorqueantur, et ultra suam tertium aut mentem auctoris extendantur; vel dissensus reuera existens circa quaestiones ad salutem indifferentes, non quidem ut haeticus directis verbis damnetur, maxime tamen periculosus, et veneno labenti infectus, maiorisque mali suspectus, et cum ipso dissensu eius auctor praeter rationem schismaticus leuiori elogio arguatur. Et quae sunt reliqua.

a) l. c. §. V.

Imputatio
criminis
vagi habe-
tur pro
falsa.

§. VI.

Haec de criminis vagi eiusque imputationis notione. Sequitur huius imputationis qualitas, *primo* ratione eius, cui eius:

eiusmodi crimen imputatur. Huius ratione theses, quae sequuntur, notandae sunt. Prima est haec: *Imputatio criminis vagi in dubio pro falsa seu spuria merito habetur.* Quum enim imputatio inuoluat actum, quo existentia vel non-existentia facti ad alicuius voluntatem refertur (§. 16. obs. 42.): quicquid vero existit satis determinatum esse debeat: Sequitur, eo in casu nullam adesse imputationem, in quo ad voluntatem alicuius refertur, quod non satis determinatum est. Enimvero imputatio criminis vagi est talis actus, quo vitium aliquod indeterminatum atque generatim positum ad alicuius voluntatem refertur (§. 4.). Ergo eiusmodi actus non est imputatio vere sic dicta. In dubio itaque pro imputatione falsa seu spuria merito habetur (§. 221. I. N.).

SCH. Notare velis argumentationem eandem thesin corroborantem, quae sequitur. Is, cui eiusmodi crimen vagum imputatur, aut facta quaedam commisit, quae sub vitioso illo indeterminato atque generatim posito continentur, aut eiusmodi facta non commisit. Si *posterius*, per se patet, imputationem illam esse erroneam seu spuriam (§. 221. I. N.). Si *prius*, aut omnis generis vitia, quae ex indeterminato illo atque generatim posito per determinationem oriri possunt, commisit, aut non. Si *hoc*, in imputatione illa a particulari ad vniuersale concluditur. Ergo iterum manifestum est, imputationem illam esse erroneam seu spuriam. *Illud* non praesumendum sed probandum esse, ex eo patet, quia ex omni parte malum esse naturae humanae probabiliter repugnat. Manifesta itaque est thesis in commate posita, imputationem nimirum criminis vagi in dubio pro falsa atque spuria habendam esse.

§. VII.

Altera thesis est haec: *Imputatio criminis vagi in dubio ^{atque pro} pro laesione habenda est.* Qui enim alterum pro tali declarat, ^{laesione} qui in praesudicium generis humani aliquid fecit, quum tamen eiusmodi declaratio pro falsa haberi debeat, is alterum in possessione atque vsu bonae existimationis turbat (§. 239. I. N.). Sed in imputatione criminis vagi alter pro tali decla-

ratur, qui in praedictum generis humani aliquid fecit, quum tamen eiusmodi declaratio pro falsa haberi debeat (§. 4. 6.): Ergo eiusmodi imputatio in dubio pro tali habenda est actu, quo alter in possessione atque usu bonae existimationis turbatur. Quare, quum eiusmodi actus sit laesio (§. 328. pr. 5. I.N.); sequitur, imputationem criminis vagi in dubio pro laesione habendam esse.

§. VIII.

*an sit laesio
si imputatio
illa sit sun-
data*

Sumas, eum, cui crimen vagum imputatur, quaedam commisisse vitia, quae sub indeterminato illo atque generatim posito continentur, nihilo tamen minus imputatio illa pro laesione erit habenda. Maius enim agenti imputatur malum, quam quod fecit, ergo in possessione bonae existimationis turbatur. Sumas porro eum, cui crimen vagum imputatur, omnis generis vitia, quae ex indeterminato illo atque generatim posito per determinationem oriri possunt, commisisse, et iterum manifestum erit, imputationem illam, quae priuata fit auctoritate, pro laesione habendam esse. Qui enim priuata auctoritate talem facit imputationem, is sine iure alterum in eo, quod sua ex fama percipit, commodo turbat. Ergo alterum laedit. Et quae sunt reliqua.

SCII. Hac ex causa legibus naturalibus non repugnat, quod dicitur a) : daß ob sich auch gleich die aufgelegte Schmach der zugemessenen That in der Wahrheit ersticke, dennoch der Ausrufer solcher Schmach, nach Vermögen der Rechte und Ermessen des Rechtes gestraft werde.

a) *Ordin. Crimin. Carol. V. art. 110. vid. quoque Epist. ad TIT. III. §. 10.*

§. IX.

*quae sen-
tentia limi-
tanda*

Ipsa ratio, quae ultimam propositionem §. 8. positam corroborat, satis docet, eam eo solum in casu valere, quo quis eiusmodi crimen vagum alteri sine iure imputat. Ponamus itaque, aliquem hoc facere ex iure defensionis, aut ex iure postulandi praestationem damni, aut ex iure puniendi; consequens

quens erit, eo in casu ideam laesionis cessare. Quum verò nec ius defensionis, nec ius postulandi praestationem damni alicui competat, nisi ab altero sit turbatus, aut alter conatum illum turbandi exhibuerit: quum porro ius puniendi nemini secundum ius naturae competat, nisi eo in casu, quo poena aut ob emendationem, aut ob exemplum, aut ob satisfactionem delinquenti inferenda (§. 8. obs. 40.): Quum tandem nec illa hypothesis nec haec hypothesis ea ex ratione praesumenda, quia aliquid ponunt, quod non natura, qua tali, constituitur; consequens erit. salua limitatione illa verum manere, quod §. 7. demonstratum, nimirum imputationem criminis vagi in dubio semper pro laesione habendam esse.

§. X.

Tertia thesis est haec: *Imputatio criminis vagi non meretur fidem.* Eiusmodi enim imputatio, quae in dubio pro falsa seu spuria atque pro laesione habenda, fidem non meretur (§. 379. ff. P. I. Log.). Enimvero imputatio criminis vagi in dubio pro falsa seu spuria (§. 6.) atque pro laesione habenda est (§. 7. 9.). Ergo & imputatio criminis vagi fidem non meretur.

Tandem imputatio illa non meretur fidem

§. XI.

Tandem de qualitate huius imputationis ratione eius, qui alteri crimen vagum imputat. Eiusmodi *qualitates merito in generales & speciales diuiduntur.* *Generales* sunt, quae ex ipsa criminis vagi imputationis notione fluunt. *Speciales*, quae ex circumstantiis, sub quibus imputatio illa efficitur, descendunt.

Qualitates ratione imputantis sunt vel gen. vel spec.

§. XII.

Generalium fons est *defectus amoris erga alios.* Id est, *Generalium qui crimen vagum alteri imputat, is ipso facto, se amore erga alios destitutum esse, declarat.* Quum enim amor erga alios

fons demonstratur

fit conatus aliorum perfectionibus convenienter agendi (§. 253. I.N.); sequitur, amore erga alios destitutum esse, qui sine iure ea ratione agit, quae perfectionibus alterius repugnat. Enimvero qui alteri crimen imputat vagum in dubio sine iure ea agit ratione, quae perfectionibus alterius repugnat (per dem. §. 6. 7. & 9.). In dubio itaque ex eiusmodi imputatione, qua tali, sequitur, imputantem amore erga alios destitutum esse.

§. XIII.

Specialium sunt species

Speciales, quae ex circumstantiis, quae obveniunt, fluunt, aut moralitatem eiusmodi imputationis, aut quantitatem damni, quod alter ex eiusmodi imputatione aut sentit aut sentire potest, demonstrant.

§. XIV.

Prima explicatur

Ponamus *circumstantias illas esse tales, ex quibus legitime fluit, imputationem illam dolo factam esse; consequens erit, imputantem esse talem, qui habet conatum efficacem alios sine iure imperfectiores reddendi.* Etenim eiusmodi imputatio est laesio (§. 7. & 9.), ideoque actio, quae ad alterum sine iure imperfectiorem reddendum tendit (§. 325. & 336. I.N.). Quum porro circumstantiae illae sint tales, ex quibus imputationem illam dolo factam esse legitime sequitur; consequens est, imputantem illum habere animum seu conatum efficacem, alios sine iure imperfectiores reddendi (§. 196. & 201. I. N.).

§. XV.

Consecutaria

Ex quo colligimus, imputationem criminis vagi, dictis sub circumstantiis factam, non defectum solum amoris, sed ipsam erga alios inimicitiam, qua eiusmodi imputationis auctor pollet, demonstrare (§. 305. I.N.), ideoque declarare, illum esse talem, qui aut odio aut invidia commotus agit.

SCH. Ea itaque hoc loco adcommodanda sunt, quae Logici de argumentis ab invidia ductis docent a).

a) Conf.

a) Conf. CLERICI Diff. de argumento ab invidia ducto. & Leg. nostr. §. 399. P. L.

§. XVI.

Ex eo, quod quis habet conatum efficacem alteris mala inferendi, non potest inferri, ut versetur in dolo (§. 188. & 195. I N.). Illae itaque circumstantiae, quae docent eum, qui alteri crimen vagum imputat, conatum habere efficacem illi mala inferendi, non sufficiunt ad demonstrandum, eiusmodi imputantem versari in dolo. Hoc notare debet is, qui iura, quae ex eiusmodi imputatione alteri oriuntur, determinare cupit. Vtrum nimirum nudum sit ius defensionis aut postulandi praestationem damni, an ius defensionis aut postulandi praestationem damni, quod cum iure puniendi connexum. Et si hoc, vtrum summa poena eiusmodi delicto constituta, aut poena summa minori imputanti iuste inferenda. vide ea, quae de naturali poenarum mensura obs. 40. demonstraui, & quae de defensione violenta atque de praestatione damni suo loco euoluturi sumus.

§. XVII.

Quantitatem damni, quod eiusmodi imputatio efficit, aut efficere potest, non ab eo solum vitioso, quod alteri imputatur, sed & a circumstantiis, sub quibus imputatio illa efficitur, dependere, non per se solum, sed ex iis patet, quia aliae circumstantiae ad mala efficienda confectaria magis determinatae sunt, quam aliae. Et quae reliqua, de quibus infra in doctrina de laesione atque damno dicendum erit.

§. XVIII.

Quae de criminis vagi imputatione breuiter, pro scopo tamen satis explicauimus, usum praestant primo in decidenda controuersia, quae iure Gentium ponitur, an nimirum eiusmodi imputatio inter iustas belli etiam publici causas possit referri. Quum enim pro laesione habenda (§. 7. 9.); affirmando respondendum esse erit consequens. Porro ex

dictis-patet, quomodo qualitas eiusmodi imputationis concipienda, quae terminos belli determinat (§. II. ff.).

§. XIX.

*in doctrina
de haeretico*

Secundo usum praestant in explicandis atque corroborandis iis, quae de crimine haeretico a nonnullis posita sunt doctoribus. Quorum interpres hoc loco laudatus sit RECHENBERG. Sic enim hac de re ille: a) Videtur in hoc crimine alia *iniquitas generalis*, alia in quibusdam eius exemplis *specialis* adesse. *Generalis* criminis huius improbitas in eo consistit, quod religionis praetextu, eiusque defendendae specie, conuitijs ac alijs improbis medijs haeretices ytantur.

a) l. c. §. VI. ff.

§. XX.

*Huius con-
tinuatio*

Specialis in haeretici crimine improbitas multis modis contingere potest, prouti nempe in praecentoribus eiusmodi clauicis affectus prauis eminentiores, aut eorum, qui ipsis patrocinantur, autoritas eximia fuerit. Interim omnis illa ad certas species referri; & rerum moralium exemplo in his iterum varie dispesci potest. Obserues igitur primo sinistras opiniones interdum per calumniam affingi, quae dicenti nunquam in mentem venerunt. Interdum vero secundo dissensus quidem adest, sed non in iis, quae fidem catholicam seu fundamentum fidei attingunt, & nihilominus aut haereseos nota praeter meritum imputatur, aut ad mirimum criminatione perniciosi erroris res agitur. In eo haec iniquitas tertio se prodit, si contra hominem reuera a fidei catholicae tramite aberrantem gradus correctionis fraternae a CHRISTO & Apostolis memorati negligantur. Grauior adhuc haeretici improbitas in eo consistit, quod quarto affectus, qui plane intendi ex illo non debebant, hoc ipso vel intenderentur, vel promouerentur. Vti enim in errantem CHRISTI & Apostolorum lege, si omnis spes emendandi intellectus in eo defecisset, nihil aliud, quam ut con-

confortium eius in coetu fidelium vitaretur, licebat, ita tamen fuga eiusmodi hominis sensim dilatari ac explicari coepit, vt effectus ab intentione dicentis plane alieni inde consequerentur. Quodsi denique *quinto*, a priuatis saltem hominibus, & accusatio & iudicium haereseos perficiatur, non modo intuitu illorum, quos postularunt, absolum est, illos & delatores & iudices in propria quasi causa (& quam oppugnatione suam quodammodo fecerunt) existere, sed & iniurii in ipsam ecclesiam euadunt. Quam enim saluator omni ecclesiae potestatem attribuit, neque ab hac laicos remouit, impotentis animi homines ad se rapiunt, & vel audaciores sibi soli veritatis arbitrium tribuunt, vel conspiratione facta ad paucorum factionem iudicium de illis, qui turbae non adstipulantur, pertrahunt. Maius adhuc *sexto* omni reipublicae malum ex haeretificio contingit, si intempestiuo priuatorum doctorum zelo motus in eadem excitentur. Quam enim nulla res plebis magis animum percellat, quam si, confictis aliquando hunc in finem lacrymis, exclamationibus, exhortationibus & suspiriis illorum, qui docendo praesunt, contra dissentientes in cultu idem concitetur, ipsam haereseos publicantur imputationem grauissimas turbas domi passim dedisse saepius obserues. Maior *septimo* illorum improbitas fuit, qui dolo malo eiusmodi bella sacra excitarunt, ac aliorum famam hoc praetextu imminuerunt. Quidam enim in summis dignitatibus constituti ac illis quasi muniti, omnem dissensum statim damnarunt, vt suam auctoritatem contra aliorum obtreccationes stabilirent. Alii ambitione moti famam ex damnatorum infamia & obtreccatione sibi parare existimarunt, & ingenium & eruditionem in confutandis scriptis, obsoletum haeretici antiqui nomen iterum apponendo, monstrare intenderunt. Et quae sunt reliqua.

§. XXI.

Haec ea, quae de criminis vagi imputatione diximus, *Conclusio* fatis illustrent. Addamus vnicum. Imputatio criminis va-

gi

gi repugnat legibus naturalibus, rationi itaque non repugnat, eandem ut delictum spectare, huicque poenam constituere. Audiamus hanc de re, quatenus ad haereticum adcommodatur, laudatum RECHENBERG^{a)}). Sic enim ille: „Quod igitur intempestivi haeretici crimén & diuinis & humanis legibus vetitum, poenis quoque ad reliquorum criminum exemplum coercendum videbatur. Cum enim reipublicae interesse, ne delicta maneat impunita, ac parcendo delinquentes, praecipue illi, qui eiusmodi, quod ausi fuerunt, fiant deteriores, animadversionem facinorosi attemperatam statuere necessum erat. Prouti igitur quis vel culpa vel dolo ad eiusmodi iniurias accessisset, aut leuem aut grauiorem intulisset, aut denique illatae effectum leuiorem, aut omni reipublicae perniciosum dedissent, ita habitus poenae institutus erat. Proinde arbitraria coercitio & ad illum modum, quo in iniuriis, utimur, dirigenda in haeretico quoque vindicando obtinebit, quae scilicet in crimine quasi extraordinario extra ordinem quoque imperanda est.“ Prouocant forsitan illi homines ad conscientiam, qua ducti eiusmodi effecerunt imputationem. Sed quid est conscientia, qua ducti alios laedimus? Conscientia ductus alios non laedit, sed perficit.

a) l. c. §. 20)

OBSER-

OBSERVATIO XLV.
DE
IMPVTATIONE ACTIONVM
ALIENARVM.

§. I.

Explicata imputationis natura, facile erit explicare, quomodo actiones alienae nobis imputari queant. Deprehendo, plurimas in hoc negotio difficultates semper obseruatas esse eruditis. Credo vero, difficultates haud paucas venisse ex eo, quod non satis distinguant, vtrum sermo sit de imputatione physica, an de morali, et si hoc, quod ea principia non satis sint determinata, quae eam docent imputationis quantitatem, qua aliena facta nobis imputari possunt. Hac ex causa primo inquiruri sumus in quaestionem: *quomodo actiones alienae nobis physice imputari possint.* Deinde in quaestionem: *quomodo actiones alienae nobis moraliter imputari possint;* et tandem in principia, quae eiusmodi imputationis quantitatem determinant. Singula accipe breuiter explicata.

§. II.

Quum in imputatione physica sermo non sit de eo, vtrum id, quod existit, ad voluntatem eius, cui imputatur, possit referri, sed solummodo de eo, an sit existentiae eius, quod obueniens est, causa (§. 17. obs. 42.); manifestum est, *actionem physice imputare* idem esse ac efficere, vt alter eam per rationem certa percipiat incommoda, quia ab altero factum est, quod minus conueniens.

§. III.

Sequitur inde, satis esse ad dicendum, actiones alienas nobis physice imputatas esse, si sentiamus incommoda, quorum causa actio aliena est. *Causa* est vel *efficiens* vel *occasionalis*. *Efficiens*, si eius actio effectum, de quo sermo est, necessitate physica determinat. *Occasionalis*, si eius actio

effectum, de quo sermo est, non necessitate physica determinat, sed alteri solummodo dat rationem ad effectum illum producendum. Ergo et physice actio aliena nobis imputatur, si incommoda sentimus, quorum illa actio est causa aut efficiens aut occasionalis. Non sine commodo erit *imputationem alienae actionis physicam* illo respectu sumtam *efficientem*, et hoc respectu sumtam *occasionalem* vocare.

SCH. Sic saepenumero in feudis crimen a parentibus commissum fit ratio, ob quam descendentes feudo priuantur, licet crimen illud ad descendendum voluntatem non possit referri. Parentum itaque factum descendentibus physice imputatur. Quin porro crimen illud parentum hancee feudi priuationem quoad descendentes non necessitate quadam physica determinet; manifestum est, illam alienae actionis imputationem physicam esse occasionalem. Corrupta sanguinis qualitas nascituri necessitate quadam physica a libidinoso et intemperante vitae genere matris, et corrupta sanguinis qualitas recenter nati necessitate quadam physica a corruptis affectibus atque intemperantia, quibus nutrix ducitur, quae lactem praebet, saepenumero determinatur. Hoc itaque posito nasciturus vel recenter natus sine voluntatis suae concursu sentit incommoda, quorum causa efficiens est actio matris vel nutricis. Illis ergo actio aliena ea ratione physice imputatur, qua est imputatio efficiens.

§. IV.

Regula ex qua prima. Regulas, ex quibus eiusmodi imputationis physicae et efficientis et occasionalis possibilitas deduci atque explicari potest, generaliter accipe. *Prima*, quae alienae actionis imputationem physicam efficientem spectat, est canon tyronibus metaphylices notum: *posita causa sufficiente efficiente ponitur effectus*: Quicquid enim effectum, qui obueniens est, necessitate quadam physica determinat, id est eiusmodi effectus causa efficiens sufficiens. Enim vero actio aliena alicui physice atque efficienter imputatur, si hic incommoda sentiat, quae actio illa necessitate quadam physica determinat (§. 3.). In imputatione ergo physica atque efficiente
actio

actio aliena, quae alicui imputatur, est effectus, qui imputatur, causa sufficiens atque efficiens. Canon itaque metaphysicorum: posita causa sufficiente efficiente ponitur effectus, est principium, ex quo imputationis physicae atque efficientis possibilitas atque natura intelligi explicarique potest.

§. V.

Altera, quae actionis alienae imputationem physicam atque occasionalem, si sit iusta, spectat, est ea naturalis poenarum mensura, qua fieri potest, ut mala, quae delinquentium ratione sunt poenae, alii, qui non deliquerunt, ut casus fortuitos percipiant. Ponamus, alienam actionem alicui physice atque occasionaliter imputari; consequens erit, huncce sentire incommoda, quae actio illa aliena non quidem necessitate physica determinat, sed ad quae inferenda actio illa aliena tertio dedit rationem (§. 3.). Is itaque; cui actio aliena ea, quam posui, ratione imputatur, ex eo sentit incommoda ut casus fortuitos, quia delinquenti poenae sunt constitutae. Si itaque eiusmodi actionis alienae imputatio sit iusta, consequens erit, ut ea obseruari debeat naturalis poenarum mensura, qua fieri potest, ut mala, quae delinquentium ratione sunt poenae, alii, qui non deliquerunt, ut casus fortuitos percipiant (per dem. §. 13. obs. 40.).

et regula ex qua altera explicari potest ponitur.

§. VI.

Haec de physica actionis alienae imputatione. Sequitur imputatio alienae actionis moralis. Quum imputatio moralis sit actus, quo declaratur existentia vel non-existentia eius, quod obueniens est, ad alicuius voluntatem posse referri (§. 16. obs. 42.); sequitur, *alienae actionis imputationem moralem esse actum, quo quis pro tali declaratur, ad cuius voluntatem existentia vel non-existentia eius, quod ab altero factum vel omissum est, potest referri.*

Moralis alienae actionis imputatio quid?

SCH. Rem illustrabo iis, quae hac de re bene monuit Perillust. L. B. de WOLF. Sic enim ille a) praemissa definitione de facti alieni imputatione nimirum morali, quod sit

judicium, quo quis declaratur causa libera eius, quod ex actione alterius siue positius, siue priuatiua consequitur, et agenti vel alteri bonum aut malum est: ponamus e. gr. te Titio persuasisse, ut vulnus infligat Sempronio iniuriam ab ipso illatam vindicaturus. Factum Titii tibi imputatur, non modo ab ipso, verum etiam ab aliis, qui de causa vulneris iudicium ferunt. Unde si Titium facti poenitet, de te conqueritur, quod ipsi persuaseris id, a quo faciendo erat alienus, et alii tibi indignantur, quod hoc feceris. Enimuero nec Titius de te conqueretur, nec alii tibi indignarentur, nisi factum alienum tibi imputaretur.

*) Part. prior. Phil. pr. vniu. §. 649.

§. VII.

In illa patrator a causa moralis distingui debet. Qua ex definitione patet, alienam actionem alteri moraliter imputaturum distinguere eum, qui id, quod obueniens est, fecit, ab eo, qui id, quod obueniens est, non quidem fecit, ad cuius voluntatem tamen existentia vel non-existentia eius referri potest. Illum breuitatis causa *patratorum*, et hunc *causam moralem* vocabo.

§. VIII.

Causa moralis quando quis vocari possit, et quando non. Nemo eius, quod obueniens est, vocari potest causa moralis, nisi a cuius libertate actus causandi patratoris dependet. Ponamus Caium esse patratorum ipsius A; consequens erit, A ea ex ratione existere, quia in Caio determinatus fuit actus causandi (§. Ont.). Ad cuius itaque voluntatem eiusmodi actus causandi non potest referri, is quoque non erit ipsius A causa moralis (§. 7.). Enimuero actus ille causandi non potest referri ad eius voluntatem, a cuius libertate non dependet (§. 10. obf. 12.). Ergo nec is, a cuius libertate actus causandi patratoris non dependet, eius, cuius causa patrator est, causa moralis vocari potest. Q. e. p.

Ponamus porro actum illum causandi dependere a libertate Titii; consequens erit, in libertate Titii esse rationem, per quam patrator id, quod obueniens est, fecit (§. 99. Ont.), ideo:

ideoque id, quod patrator fecit, ad libertatem seu voluntatem Titii referendum esse (§. 10. obf. 12.). Titius itaque est eius, quod Caius fecit, causa moralis, seu is est eius, quod obueniens est, causa moralis, a quo actus caussandi patratoris dependet (§. 7.). Q. e. a.

§. IX.

Fieri potest, vt actus caussandi patratoris ab alterius libertate dependeat et positue et priuatiue. *Positiue*, si libere agendo aliquid commisit, quod rationem continet, cur patrator vim suam, ad id, quod obueniens est, faciendum adcommodauerit. *Priuatiue*, si libere agendo id omisit, quod eam vis adcommodationem, qua patrator id, quod obueniens est, fecit, impedire potuit. Sequitur inde *primo* fieri posse, vt quis sit *positiue*, fieri quoque posse, vt quis sit *negatiue* eius, quod obueniens est, causa moralis. Porro cum, a cuius libertate actus caussandi patratoris nec *positiue* nec *priuatiue* dependet, non esse causam moralem (§. 8.).

§. X.

His praemissis pono theses, ex quibus ea, quae in alienae actionis imputatione morali iusta sunt, intelligenda. *Generalis* sit haec: *Factum patratoris causae morali iuste atque moraliter imputatur, non vero ei, qui non est causa moralis.* Et enim id, quod obueniens est, ei, ad cuius voluntatem seu libertatem referri potest, iuste atque moraliter imputatur (§. 16. obf. 42.). Sed factum patratoris ad voluntatem seu libertatem eius referri potest, qui eiusmodi facti est causa moralis (§. 8.). Ergo et factum patratoris causae morali iuste atque moraliter imputatur. Q. e. p.

Id, quod obueniens est, ei, ad cuius voluntatem seu libertatem referri nequit, iuste atque moraliter non imputatur (§. 16. obf. 42.). Sed factum patratoris ad voluntatem seu libertatem eius referri nequit, qui non est eiusmodi facti causa moralis (§. 8.). Ergo et iuste fieri non potest, vt factum patratoris ei moraliter imputetur, qui eiusmodi facti non est causa moralis. Q. e. a.

SCH. Patet inde, principium generale, quod alienae actionis imputationem moralem docet, esse principium illud metaphysicum magis determinatum: *In subordinatione causarum essentiali causa causae est causa causati.* Causae enim ea ex ratione essentialiter subordinatae sunt, quia altera alterius actum causandi determinat.

§. XI.

Iussio quid?

Adcommodemus principium illud generale ad causae moralis species a doctoribus positas, quae sunt:

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus

Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

de singulis breuiter. *Iubera*, ut cum perill. de WOLF *17*) loquar, dicitur, qui significat, quid fieri velit, in alterius arbitrio non relinquens, quid facere velit. *Iussus* itaque seu *iussio* est voluntatis suae significatio de eo, quod fieri debet, ita ut in arbitrio ipsius non relinquatur, quid facere velit.

SCH. Ponamus v. gr. nos asseuerare, Titio incumbere necessitatem Sempronii occidendi, nosque huius executionem sub comminatione grauissimi mali Titio iniungere: *nemo non dicet, nos iussisse Titium, ut Sempronium occidat.*

o) P. L. Theol. nat. §. 983.

§. XII.

*Ad quam
pr. illud
gen. ad-
commoda-
tur.*

Patet inde, ad voluntatem iubentis id, quod alter ob iussionem fecit, referendum esse (§. 11.), idcoque iubentem esse eiusmodi facti causam moralem (§. 7. 8.), positivae sumtam (§. 9.). Factum itaque illud iubenti moraliter atque iuste imputatur (§. 10.).

SCH. Sic iure romano in eum, cuius iussu alter alicui damnum iniuria dedit, datur actio L. Aquiliae *a*). Notandum est, hoc loco non sermonem solum esse de eo, qui alterum, qui eius imperio subest, aliquid iussit, sed etiam de eo, qui alteri actionem mandavit, cum eius imperio haud subiectus sit. Sic
procu-

procurator, qui iussu mandantis conuitia in partem aduersam euomit, non minus, quam ille, iniuriarum tenetur.

a) L. 37. pr. ff. ad L. Aquil. Conf. ANT. MATH. de crim. Cap. I. §. 13. Pfoleg.

§. XIII.

Consilium dare idem est, ac significare, quid sibi videatur, ut fiat. Est itaque *consilium* significatio eius, quid danti videatur, ut fiat. Ex quo patet, consilium dantem suam solum sententiam de eo, quid in re ambigua et ancipiti faciendum sit, alteri declarare, ideoque illi perinde esse, siue alter idem faciat siue non faciat. Qua ex causa alio loco a) consilium definiui sententiam, qua quis alteri, quid in re ambigua et ancipiti ipsi faciendum sit, suggerit, sine animo alterum ad illud faciendum obligandi.

a) vid. Inst. Iur. Rom-Germ. §. 358.

§. XIV.

Nobilissima est quaestio, *an ei, qui parvatorem consilio instruxit, id, quod factum est, moraliter possit imputari.* Hanc ad decidendam permulta in consilio distinguenda veniunt. *Primo* considerare debemus obiectum, circa quod consilium versatur, *utrum* nimirum datum sit de eo, num quid alter facere debeat, *an* de modo, quo propositum suum alter debet exequi. Si enim alter consilio illo agat, *primum* huic solum modo dedit motiuum ad tale, quoad genus consideratum, agendum, *alterum* vero dedit motiuum ad hoc et non alio modo agendum, ideoque hic omnia agit nutu consiliarii.

§. XV.

Porro notandum est, *utrum* quis consilium bona, an mala fide dederit. *Bona fide consilium datum* esse dicitur, si quis sententiam suam ea significauerit ratione, qua per obligationes, quibus obstrictus est, fieri potuit. *Mala vero fide datum* est, si quis sententiam suam ea significauerit ratione, quae violationem obligationis, qua obstrictus est, inuoluit.

§. XVI.

§. XVI.

*hoc est vel
fraudulen-
tum vel
imprudens.*

Qui obligationes suas, quibus alteri obstrictus est, violat, is aut dolose aut culpose agit. *Dolose*, si eo agit animo, ut alter inde damna possit sentire. *Culpose*, si ad ea in dato casu euentu possibilis non ea attendit ratione, qua fieri potuit atque debuit. Ergo et consilium mala fide datum, recte in *dolosum* atque *culposum* diuiditur. Illud alii *fraudentum*, et hoc, *imprudens* vocant a).

a) vid. B. de LEYSER. med. ad ff. Vol. III. Spec. CLXXXI. Med. II. et III.

§. XVII.

*Tandem di-
stinguen-
dum est
consilium
ab eius
exitu.*

Tandem notari debet, distinguendum esse inter id, quod consilio agitur, et exitum, quem consilium habet. Quum enim ipsa corroboret experientia, plerasque res fortuna ex libidine sua agitare, ideoque praua magis prospere, quam bona consilia saepe euenire; manifestum est, exitum consilii ab eo, quod consilio agitur, distinguendum esse.

SCH. Qua ex causa bene monuit B. de LEYSER a): duram esse conditionem eorum, qui in dandis consiliis versantur, quum eorum fides ex euentu solet aestimari. Verum cordatos atque aequos iudices casum a dolo et culpa distinguere, et ministrum ideo, quod fortuna consiliis suis non respondit, accusatum absolueret.

a) l. c. Med. I.

§. XVIII.

*Consilium
bona fide
datum an
imputan-
dum?*

His ex praemissis facile erit respondere ad quaestionem §. XIV. positam. Prima, quam hunc in finem formo, regula est: *Is, qui bona fide dedit consilium, infelicis, quem consilium illud habet, exitus non est causa moralis, ideoque eiusmodi exitus illi moraliter imputari nequit.* Etenim a cuius voluntate seu libertate actus cauendi patris non dependet, is quoque eius, quod obueniens est, non est causa moralis (§. 8.). Enimvero ab eo, qui bona fide dedit consilium, actus ille cauendi non dependet, qui infelicem, quem consilium habet, exitum

exitum determinat (§. 15.). Ergo et is, qui bona fide consilium dedit, eiusmodi exitus causa moralis vocari nequit Q. e. p.

Alterum propositionis membrum ea, quae sequitur argumentatio, corroborat. Quicquid ad alicuius voluntatem seu libertatem non potest referri, id quoque huic moraliter imputari nequit (§. 16. Obs. 42.). Enimvero infelix, quem consilium habet, exitus ad voluntatem seu libertatem eius, qui bona fide consilium dedit, referri nequit (§. 15. 17.). Ergo et eiusmodi exitus ei, qui bona fide consilium dedit, moraliter imputari nequit. Q. e. a.

SCH. Vera itaque sunt, quae B. de LEYSER a) verbis, quae sequuntur, monuit: Excusandus est consiliarius non solum tunc, quum consilium eius ab initio nihil discriminis habere visum est, sed et, quum anceps, et periculosae plenum aleae fuit. Nam talia saepe in reipublicae administratione incidunt tempora, quae audaciam poscunt. Talis saepe est regni status, ut mediocribus consiliis saluus esse nequeat. Medicum tunc imitari oportet, qui desperatum morbum curaturus non secura et lenia, sed violenta et periculosa, urgente necessitate, remedia adhibet. Sicut ergo huic, etsi res sinistre cecidit, imputari nihil potest, ita quoque consiliarius, qui ad seruandam rempublicam audacius consilium infelici successu dedit, laudari potius, quam accusari et puniri debet. Et in dubio, quotiescunque consilium anceps fuit, et in vtramque partem disputari potuit, praesumendum est, ministrum, qui illud dedit, non perfide, sed bona mente egisse.

a) l. c.

§. XIX.

Secunda regula est haec: *Is, qui fraudulentum dedit consilium, infelicis non exitus solum, quem consilium habet, causa illud generalem moralis est, sed et hic illi moraliter atque iuste imputatur.* Quum enim is, qui fraudulentum dedit consilium, eo animo suam significet voluntatem, ut alter mala inde possit percipere (§. 6.); manifestum est, ab eius, qui fraudulentum dedit

DARIES OBS. I. N. T. II.

○

con-

consilium, voluntate ii dependere actus caussandi, qui infelicem consilii efficiunt exitum. Is itaque, qui fraudulentum dedit consilium, eiusmodi exitus est causa moralis (§. 8.).

Q. e. p.

Porro argumentor. Id, quod obueniens est, ei moraliter atque iuste imputatur, ad cuius voluntatem seu libertatem referri potest (§. 16. obl. 42.). Enimvero infelix consilii exitus ad voluntatem eius, qui fraudulentum dedit consilium, recte refertur (§. 16.). Ergo et exitus ille huic moraliter atque iuste imputatur. Q. e. a.

SCH. Qua ex causa non consiliarius solum damnum, quod ex fraudulento consilio oritur, praestare debet, sed praeterea etiam ob dolum, quem committit, poenam publicam meretur. Id quod recte monuit B. de LEYSER a). Sic WILHELMVS, Saxoniae dux, APPOLLONIUM WIZTHVMIVM ceterosque ministros suos, quibus suavoribus funestissima cum fratre FRIDERICO oia exercuerat, post restitutam pacem acriter persecutus est b).

a) l. c. med. II.

b) conf. SIGISMUNDI von Bitten Sächsischen Helbensaal p. 372. 199.

§. XX.

et ad consilium im- Tertia regula est: *prudens ad-* *illud* Tertia regula est: *Is, qui imprudens dedit consilium, infelicis, quem consilium habet, exitus causa moralis est, et exitus illud eiusmodi consiliario moraliter atque iuste imputatur.* Evoluas notionem consilii imprudentis (§. 16.), et iis, quae natura obiecti mutari iubet, mutatis, regula haec eadem patebit ratione, qua regula secunda §. 19. demonstrata est.

SCH. Iuris canonici quidem doctores ex regula illa, *ex consilio nemo obligatur*, solum eximunt consilium fraudulentum, sed recte monuit B. de LEYSER a) eximendum quoque esse consilium imprudens, culpose enim agit, qui officium suscipit, cui se imparem scit, aut scire debet. Remque illustrat exemplo Cardinalis BALVAE praecipui LVDOVICI XI. Gallorum regis ministri. Hic solus, repugnante toto reliquo consilio, regi

regi persuaserat, vt ad Burgundorum ducem, veterem hostem, aemulumque, atque praeterea machinationibus et insidiis regis tunc maxime offensum, dimissis stipatoribus, proficisceretur, eiusque potestati se permitteret. Quae res quum pessime cederet, animum regis prorsus a Cardinale alienauit, ruinamque ei maturauit.

*) I. c. med. III. conf. ill. GLAFBY im Recht der Vernunft Lib. I. Cap. I. §. 17. sqq. et OLEARII Diss. de consilio in alterius iniuriam non mutando.

§. XXI.

Tertium est *consensus*. Per *consensum* hoc loco intelligimus actum voluntatis, quo idem fieri vel non fieri volumus, quod fieri vel non fieri vult alter. Hic dicitur *expressus*, si expressis verbis significamus, nos velle idem, quod vult alter, *tacitus*, qui aliunde veluti ex factis et non factis colligitur a).

a) vid. perill. de WOLF P. I. Phil. praët. vniu. §. 658. sqq.

§. XXII.

Consensum alterius ad factum aliquod requirere idem est, ac ab altero postulare, vt tale faciat, quod facere non potest, nisi in factum consentiat. *Consensus* itaque alterius in aliquod factum et *expresse* et *tacite* requiri potest. *Expresse*, si quis alterum rogat, vt in factum consentiat; *tacite*, si quis alterum rogat, vt media ad illud faciendum suppeditet.

§. XXIII.

Ex eo, quod quis in factum alienum consentit, inferri nequit, vt sit eiusmodi facti causa moralis, nisi requisitum dederit consensus. Etenim in eius, qui in factum alienum quidem consentit, requisitum tamen non dedit *consensum*, voluntate non est ratio, vt alter illud faciat (§. 21. 22.). Ab eiusmodi itaque consentientis libertate actus causandi patris non dependet (per dem. §. 8.). Quare, quum is, a cuius libertate actus causandi patris non dependet, eius, quod patris fecit, causa moralis vocari nequeat (§. 8.); manifestum est, illum consentientem non esse alieni facti causam moralem. Q. e. p.

Alterum propositionis membrum ea, quae sequitur ratione, euinco: Qui requisitum dat consensum, is ea ratione in factum alienum consentit, qua consensus patratori ad agendum dat motiua (§. 21.). Ab eiusmodi itaque consentientis voluntate actus caussandi patratoris dependet (perdem. §. 8.). Ergo et illa ratione consentiens est eius, quod patrator fecit, caussa moralis (§. 8.). Q. e. a.

SCH. Qui quoad primam theorematis partem dissentiunt, probare debent, quemlibet in factum alienum consensum patratori ad agendum dare motiua, hocce vero probari non posse, nisi ab eo, qui consilium a consensu non satis distinguit, per se patet. Porro notandum est, aliud esse, alicui consensum imputare, tanquam actionem propriam, aliud alicui aliena ob consensum imputare. Qui enim in id, quod ab alio iam factum est, consentit, ei non ipsum factum imputari potest, quia consensu ad agendum non dedit motiua, sed solummodo in idem factum consensus tanquam actio propria.

§. XXIV.

Factum alienum quando ob consensum alteri imputari possit.

Factum alienum non cuiilibet consentienti, sed solummodo ei, qui requisitum in factum illud dedit consensum, moraliter atque iuste imputari potest. Etenim factum alienum nobis moraliter atque iuste imputari nequit, nisi quatenus eiusmodi facti sumus caussa moralis (§. 10.). Sed in factum alienum consentiens non est eiusmodi facti caussa moralis, nisi qui requisitum in idem dederit consensum (§. 23.). Ergo et factum alienum non cuiilibet consentienti, sed solummodo ei, qui requisitum in idem dedit consensum, moraliter atque iuste imputari potest.

SCH. Haec adplicari possunt ad nobilissimam illam quaestionem, quomodo ob delictum rectoris subditi teneantur? *GROTIUS* respondet a) consensu. Sed quali? non quemlibet consensum hoc loco ad constituendam subditorum obligationem sufficere vel inde patet, quia manifestum est, subditos non semper delicti rectorum participes fieri, quum tamen semel voluntates suas voluntati rectoris submiserint. Si ob delictum
recto-

reſtoris teneantur ſubditi, videndum erit, an conſenſu dederint aut tacite requiſitum, reſtorem iuuando, milites et pecuniam ſuppeditando et cetera, aut expreſſe requiſitum, ſi v. g. cum deliberaretur de iniuria inferenda, ſententia ſua inferendae fuerint auctores. Quae ex cauſſa recte monuit TESMARVS *b)*: non ſufficere ad obligationem vniuerſitatis, quod delictum fuerit commiſſum praemiſſo ſono tubae vel campanae, ad quem conuocari ciues ſolent, leuatoque vexillo; ſed requiri omnino conſilium, publicamque deliberationem. Et GRONOVIVS *c)* ex facto reſtoris non teneri, qui diſſuaſerunt, etſi paſſi ſint fieri, quod maior pars cenſeret.

a) I. B. et P. Lib. II. Cap. XXI. §. VII.

b) in no. ad I. c. Grot.

c) in obſeru. ad I. c.

§. XXV.

Quartum eſt *palpo* (§. 21.). Per *palpamen* intelligimus *Palpo*. eiusmodi agendi rationem, qua efficitur, vt alter res ſuas bene gerere perſuaſum habeat. Eiusmodi palpator aut factum alienum laudat, antequam commiſſum eſt, aut id, quod ab alio iam factum eſt, laudat.

§. XXVI.

Palpator, qui factum alienum, antequam commiſſum eſt, Palpator laudat, eiusmodi facti eſt cauſſa moralis: ſi vero facto iam pa- quando ſit facti alieni cauſſa moralis. *trato illud laudet, hoc non ſufficiet, vt eius cauſſa moralis cenſeri queat. Qui enim factum alienum, antequam commiſſum eſt, laudat, is ſuo iudicio facit, vt alter facturum eſſe bonum ſibi perſuadeat (§. 25.). Eiusmodi itaque palpator ad exequendum factum maiorem addit promittitudinem; ideoque illius facti eſt cauſſa moralis (§. 8.). Q. e. p.*

Alterum propoſitionis membrum ea, quae ſequitur, ratione euinco: Quicquid non ſufficit ad inferendum, vt patratore ab alterius voluntate ad agendum ſit determinatus, id quoque non ſufficit, vt alter cauſſa eius, quod patrator fecit, moralis cenſeri queat (§. 8.). Ex eo, quod quis poſt factum

patratum illud laudet, quatenus nude ponitur, non posse inferri laudatorem sua voluntate alterum ad agendum determinasse, ex eo patet, quia ratio prior est rationato. Ergo et illud non sufficiet, ut palpator eius, quod patratum fecit, causa moralis censeri queat. Q. e. a.

SCH. Sic qui exemplo alios ad similes actiones instigat, eiusmodi actionum fit causa moralis, suo enim facto actiones illas, antequam commissae sunt, laudat.

§. XXVII.

et quando
factum
alienum illi
moraliter
imputan-
dum.

Factum alienum non cuilibet laudanti, sed solummodo ei, qui factum illud, antequam commissum est, laudat, moraliter atque iuste imputatur. Quum enim factum alienum alteri moraliter atque iuste imputari nequeat, nisi ei, qui sit eius facti causa moralis (§. 10.): non vero quilibet palpator seu laudator sit facti alieni, quod laudat, causa moralis, sed solummodo is, qui factum alienum, antequam commissum est, laudat (§. 26.); manifestum est, factum alienum non cuilibet laudanti, sed solummodo ei, qui factum illud, antequam commissum est, laudavit, moraliter atque iuste imputari.

SCH. Idem hoc loco notandum est, quod in Schol. ad §. 23. monitum, nimirum adprobationem, quae post facinus patratum accedit, imputabilem quidem esse laudatori, non vero tanquam actionem alienam, sed ut actionem propriam.

§. XXVIII.

Delinquenti
receptum dare,
quid?

Quintum est *recursus* seu *receptus*. *Delinquenti receptum dare*, idem est, ac illi suo in territorio locum concedere, quo a laesi coactionibus possit esse securus. Hic, qui delinquenti receptum dat, eum aut delinquenti ante promissit, quam factum commissum est, aut ante non promissum dat post facinus patratum.

Qui talem
dat rece-
ptum, quan-
do sit facti
alieni causa
moralis.

§. XXIX.

Is, qui delinquenti dat receptum ante promissum, quam facinus commissum est, eiusmodi facinoris est causa moralis. *Is vero, qui delinquenti dat receptum ante, quam facinus commissum*

missum est, non promissum, eiusmodi facinoris causa moralis vocari nequit. Is enim, qui delicturo receptum promittit, huic ad agendum dat motiua, ideoque ad exequendum facinus maiorem addit promittitudinem (§. 28.). Actus itaque causandi patratoris in illius libertate seu voluntate rationem habet (§. 99. Ont.). Ex quo manifestum est, hunc esse eiusmodi facinoris causam moralem (§. 8.). Q. e. p.

Alterum propositionis membrum eadem patebit ratione, qua propositio secunda §. 26. posita corroborata est.

SCH. 1. Notandum est, aliud esse facti alieni causam esse moralem, aliud causam fieri damni, quod alicui a tertio illatum est. Demonstrari solummodo eum, qui delinquenti dat receptum ante, quam facinus patratum est, non promissum, eiusmodi facinoris non esse causam moralem. Salua tamen hac thesi causa damni, quod a patratore tertio illatum est, fieri poterit, ea nimirum sub determinatione, qua non habet ius delinquentem recipiendi. Hoc enim posito fit causa, ut laesus delinquentem ad praestandum damnum non possit cogere, ideoque fit causa damni, quod laesus sentit.

SCH. 2. Sic rector reipublicae, qui piratis in portibus suis receptum dat, moralis est causa turbationis, si receptum turbatione nondum facta piratis promiserit, nuda vero damni causa, qui turbatione iam facta, piratis sine iure dat receptum ante non promissum. Sed de hoc tuo loco plura a).

a) Conf. GROTIUS I. B. et P. Lib. II. Cap. XXI. §. 3.

§. XXX.

Factum alienum ei moraliter atque iuste imputatur, qui Es quando patratori ante receptum promissit, quam factum commissum est. factum alienum illi moraliter imputandum. Ei vero moraliter atque iuste imputari nequit, qui patratori factum iam commissum dat receptum ante non promissum. Hocce theorema inde patet, quia recipiens priori casu est delicti causa moralis. posteriori vero casu causa delicti moralis vocari nequit (§. 29. 10.).

SCH.

SCH. Hoc etiam loco repetendum est, quod *Sch.* ad §. 23. monui. Nimirum salua illa thesi fieri posse, vt delictum illud ei, qui patratori post facinus patratum dat receptum ante non promissum, moraliter atque iuste imputetur tanquam delictum proprium. Hoc enim loco sermo solum est de imputatione facti alieni.

§. XXXI.

*Asylum
quid?*

Adcommodemus ea, quae de receptu explicauimus, ad ius asyli. Per *asyla* doctores intelligunt loca, ad quae confugientes tuti sint a vi atque coactionibus hominum.

SCH. Talia asyla erant vrbes, quas Deus constituerat, vt, qui sine dolo malo sanguinem humanum effuderant, ad eas confugientes tuti essent a vindice sanguinis, id est, a proximo agnato, cui ius erat vindicandi caedem agnati sui *a*). Talia hodie quoque apud pontificios sunt ecclesiae et monasteria, Et quae sunt reliqua.

a) Num. XXXV. 6. Deut. IV. et XIX. Conf. *TESMARVS* in notis ad *GROTII* I. B. et P. Lib. II. Cap. XXI. §. 5.

§. XXXII.

*Asylum
constituens
quando fit
caussa mo-
ralis?*

Qui asyla constituit pro fontibus seu delinquentibus, is est causa delictorum ab iis, qui ad asyla confugere cupiunt, commissorum causa moralis. Ergo et huic delicta illa iuste et moraliter imputantur. Etenim qui asyla pro fontibus seu delinquentibus constituit, is delicturis, qui ad asyla confugient, tacite promittit receptum (§. 31. 28.). Is vero, qui delicturis promittit receptum, est delicti, quod deinde committitur, causa moralis, et delicta illa huic iuste atque moraliter imputantur (§. 29. 30.). Ergo et is, qui asyla constituit pro fontibus seu delinquentibus, est delictorum ab iis, qui ad asyla confugere cupiunt, commissorum causa moralis, ergo et huic delicta illa iuste atque moraliter imputantur.

§. XXXIII.

*Quando fit
iustum?*

Iniustissima itaque sunt asyla, nisi sint talia, quae pro infortunatis atque innocentibus constituta.

SCH.

SCH. Idem est, quod sentit GROTIUS *a)* et quod probat primo testimoniis graecorum, inter quae praecipue notari merentur, quae ex GYLIPPO apud DIODORVM SICVLVM recenset. Sic enim ille: *qui initio iura ista introduxerunt, infelicibus quidem misericordiam, at his qui malo animo iniuriam intulerunt, poenam expectandam voluerunt. Postea: Hi vero, si dolo malo, si iniusta alieni cupiditate in mala haec inciderunt, ne accusent fortunam, ne supplicum sibi nomen imponant. Id enim iure hominum illis debetur, quibus innocens est animus, irata fortuna. Horum vero vita plena factis iniustis, nullum ipsis locum reliquit, qui ad miserationem et perfugium pateret. Deinde exemplo atheniensium, qui asyla quidem constituerant, sed non nisi iis, quibus ipsa humanitas iubet auxilium ferri, nimirum miseris, victis bello, exsulibus, persequutionem et iniuriam passis. Et qui sunt reliqui. Quae ex causa eiusmodi asylum aram misericordiae vocarunt. Tandem praxi gentium veterum, qui delinquentes ab ipsis aris, ad quas confugerant, raptos punire non dubitabant. Sic SALOMON IOABVM aram amplectentem interficit. *b)* et TIBERIVS morem et ius asylorum sustulit *c)*. Et reliqua*

a) Lib. II. Cap. XXI. §. V. conf. SELDENI I. N. et G. Lib. IV. Cap. II.

b) 1. Reg. II, 28.

c) Suet. in Tib. 37.

§. XXXIV.

Sextum est *participans* (§. II.). *Participare hoc loco Participans* idem est, ac aliquem adiuuare, id est, suis viribus vires *participans* alterius eo animo sufficientes facere, vt sua perficere possit conata.

§. XXXV.

Is, qui delicturum adiuuat, eiusmodi delicti est causa moralis. Quando hic Ergo et huic delictum illud iuste atque moraliter imputatur. fiat delicti Etenim a voluntate eius, qui delicturum adiuuat, is de *causa moralis, cui* pender actus causandi, quo patratore delinquendi perficitur

DARIES OBS. I. N. T. II.

P

cona-

illud impu- conatum (§. 34. et §. 116. Ont.). Ideoque delicti, quod inde
bandum. perficitur, est causa moralis (§. 8.), cui alienum illud deli-
ctum iuste atque moraliter imputatur (§. 10.).

SCH. Notandum est, aliud esse *aliquem adiuuare*, aliud *aliqui succurrere*. Is, qui delictum adiuuat vult, vt conata alterius delinquendi perficiantur. Eius vero, qui delicturo solummodo succurrit, intentio plane diuersa esse potest ab intentione patratōris. Ergo ex hoc non statim sequitur, vt succurrens sit alieni facti causa moralis. Id quod elegantioribus illustrat exemplis Ill. GLAFEI^a) verbis, quae sequuntur: „Vey der Hülffe ist zu bemerken, daß mit denen Hülffs-
„Völkern viel Mißbrauch getrieben, und unter diesem Schein
„mancherley Absichten verkaufft und versteckt werden. Wir
„haben gleich jetzt (nemlich in dem Jahre 1746.) den Fall, da die
„kriegenden Partheyen einander hierunter mancherley beschuldigen
„und zugleich die Grenzen, worinnen man sich mit dergleichen
„Hülffs-Völkern zu halten habe; an die Hand geben. Die
„Cron Frankreich hat in dem noch fürwährenden Krieg, dem
„Durchlauchtigsten Hause Bayern, gegen die Königin von
„Ungarn, Hülffs-Völker geschickt, und darneben declariret,
„daß sie an dem Kriege selbst nicht Theil nehmen wolle. Ein
„gleiches haben die Engell- und Holländer in der vorigen Cam-
„pagne des 1743. Jahres gethan, und eine ansehnliche Hülffs-
„Armee zum Dienste des Hauses Oesterreich, an den Rhein
„agiren lassen, ohne daß Engelland und Holland mit Frank-
„reich formaliter gebrochen; gestallten denn ihre allerseits Un-
„terthanen, dem allen ungeachtet, mit einander einen freyen
„Handel und Wandel getrieben, und zu einander auf und ab
„gereiset. Indessen haben der Königin in Ungarn Majestät
„die Cron Frankreich beschuldiget, daß es höchstbesagter Cro-
„ne nicht um die Umstürzung des Hauses Bayern in seinen
„praetensionibus, sondern um den Umsturz und Ruin des
„Hauses Oesterreich, als des bisherigen größten Hindernisses, der
„von Selten Frankreichs ambirten Vniuersal-Monarchie zu thun
„gewesen; immassen denn ein jeder leicht einsehen und begreifen
„könne, daß Frankreich zu solchem Ende das Haus Bayern, nebst
andern

„andern im Reiche gleichsam nur aufgedungen, und zum
 „Deck-Mantel gebraucht, um an das Hauß Oesterreich eine
 „Sache, oder einen Schein zu bekommen, unter welchen es
 „sein Vorhaben, das teutsche Reich zu zergliedern, und mit der
 „Zeit ganz Europa die Fesseln anzulegen, ins Werk zu rich-
 „ten vermöchte. Dahero denn auch die Königin in Ungarn
 „Majestät, als die letzte Campagne so glücklich gewesen, daß
 „Sie ganz Bayern erobert, und die Französischen Armeen
 „den teutschen Boden geräumet, ohnerachtet Ihre Majestät
 „von Frankreich, daß Ihre über den Rhein zurückgezogenen
 „Armeen nicht mehr vor Kayserliche Hülfss-Völker anzuse-
 „hen wären, kund machen lassen, öffentlich dagegen declariret,
 „wie Sie die Cron Frankreich so wohlfeilen Kauffs nicht
 „fahren lassen könne, sondern in Ihren Ländern heimzusuchen
 „und vor den angezettelten Krieg Satisfaction zu hohlen sich be-
 „rechtiget erachte; gestaltem denn solches durch den von Prinz
 „Carln von Lothringen versuchten Übersatz über den Rhein
 „nach dem Französischen Elsaß, deutlich genug zu Tage ge-
 „legt, auch sonst publice zu erkennen gegeben worden.
 „Eleichergestalt hat die Cron Frankreich Ihre Königlischen
 „Majestät von Groß-Brittanien bemessen, daß Sie die
 „Grenzen eines bloßen Schulffen (succurrentis) dadurch übers-
 „schritten, indem Sie die Republique Holland, und andere
 „Puissancen zum Beytritt gegen die Cron Frankreich öffent-
 „lich animirten, des Königs von Sardinien Majestät subsi-
 „dien-Gelder zahlten, eine Flotte in der mittelländischen See,
 „und durch dieselbe die Spanische Flotte in denen Französischen
 „Häfen eingeschlossen hielten, und überhaupt ein vieles thaten
 „und verhiengen, was niemand anders als ein offenbahrer
 „Feind der Cron Frankreich und deren Bunds-Genossen un-
 „fernehmen könne. Dahero es denn bishero beständig gehei-
 „sen, daß Frankreich sich hiedurch genöthiget sehen würde, die
 „Masque abzunehmen, und Engelland vor seinen Feind zu de-
 „clariren, massen denn auch solches vor kurzen würklich gesche-
 „hen ist. Wenn grosse Herren dergleichen Inculpationes vermei-
 „den wollen, geben Sie der Sache eine andere Tour, und
 „über

„überlassen Ihre Hülfss - Völker einer, ja wohl gar beyden
 „kriegenden Parthenen auf eine Zeit in Gold, immassen wir
 „denn in dem jetzigen Kriege gesehen, daß Hessen - Cassel einige
 „Regimenter dem Durchlauchtigsten Chur - Hause Bayern auf
 „solche Weise zukommen lassen, einige aber, worauf das
 „Fürstliche Haus Hessen - Cassel bis dahin von der Cron Engel-
 „land subsidien gezogen, von höchstbesagter Cron, nebst an-
 „dern Englischen Völkern, der Königin in Ungarn zu Hülfse
 „geführt worden, da es sich denn hätte zutragen können, daß
 „beyde Heßische Troupes auf einander gestossen, und gegen
 „einander zu fechten gekommen wären.

a) Zur Rechte der Vernunft. Edic. III. p. 648: sq.

§. XXXVI.

Mutus. Septimum est *mutus*, seu quod idem est *patientia*. Duo esse, quae patientiae notionem constituunt; *scientiam* nimirum atque *facultatem prohibendi*, ipse loquendi usus satis docet. Is itaque *delinquit patitur*, qui scit alterum delictum meditari, idque non prohibet, cum tamen facultate, nimirum et physica et morali, prohibendi non sit destitutus.

SCH. Non-nulli *patientiam* in *voluntariam* atque *necessariam* diuidunt a). Illamque ea definiunt ratione, qua a nobis in commate factum est. Per hanc vero intelligunt talem, quae de inuito praedicatur, ideoque tolerantiam eius quod fit, quia, ut oppositum fieret, nostra non erit in potestate. Qualis est patientia, quam schola *STOICORVM* inculcavit, qua omnia aequo animo ferenda et nullum momentum vexationi aut dolori tribuendum, quia fato, cui nos non possumus resistere, constituuntur. b) Ex quo patet, necessariam patientiam nostram ad voluntatem non esse referendam, ideoque in capite de causa morali sermonem solummodo esse de patientia voluntaria, cuius definitionem in commate posuimus.

a) Vide PRAGEMANNI *Diss. de patientia iuridica Jenae 1719.*

bab.

b) Conf. *SENECA Epist. 66. et Libr. de tranquillitate animi.*

§. XXXVII.

§. XXXVII.

Qui delinqui ea, quam dixi, ratione, patitur, is eiusmodi delicti est causa moralis. Ideoque huic delictum illud moraliter atque iuste imputatur. Etenim in cuius libertate est ratio, ut alter sua ad delinquendum conata perfecerit, ab eius quoque libertate actus cauſandi, quo ille delinquendi conata perficit, dependet (§. 116. Ont.). In libertate eius, qui delinquit ea, quam dixi, ratione, patitur, ratio est, ut alter sua ad delinquendum conata perfecerit (§. 36.). Ergo et ab illius libertate dependet actus cauſandi, quo hic sua delinquendi conata perficit. Ille itaque est huius delicti causa moralis (§. 8.), cui delictum, quod obueniens est, iuste atque moraliter imputatur (§. 10.).

Quando hic fit delicti alieni causa moralis, an illud imputandum.

SCH. I. Sic si seruus alicuius, aut animal noxam dederit, quam auertere dominus potuit, recte dominus habetur damni causa, a qua praestatio damni, aut noxae deditio iuste postulanda. Sic porro referente PVENDORFIO a) legibus angliae maritus pro offensis vxoris, lingua aut opere aduersus alterum patris, respondere, & satisfactionem praestare tenetur, eo quod non sit vltus potestate sua, qua pollet circa errata eius corrigenda. Idem est quod sentit GROTIUS. Sic enim ille: b) *de patientia ita habendum est, qui scit delinqui, qui prohibere potest. et tenetur* (primum loquitur de facultate physica, et alterum de facultate morali) *nec prohibet, cum ipsum delinquere; idque variis veterum testimoniis probat, v.g. CICERONE, qui PISONEM* seditionis arguit, quod quum consul esset, sciret tribunos plebis turbas dare, iisque non resisteret. *Neque vero multum interest praesertim in consule, utrum ipse permissis legibus improbis concionibus rempublicam vexet, an alios vexare patiatur.* Et quae sunt reliqua.

SCH. II. Ponamus, magistratus ideoque et rectores ciuitatum facultate illa prohibendi destitutos esse, et consequens erit, non ideam solum patientiae cessare, (§. 35.) sed et nullam in magistratibus atque rectoribus esse culpam. Culpa enim

vacat, qui scit quidem sed prohibere non potest. Destituti vero sunt illa facultate prohibendi magistratus atque rectores, *si delicto impar sit respublica*. Sic v. g. Russiae Imperator quamvis seuerus, quamvis potentissimus, non tamen potuit per regnum suum tollere latrocinia. Iniuriam itaque ei fecissent exteri, si ob homines suos in viis spoliatos bellum ipsi intulissent. *Si res per tumultum repentinum acta*, tum plebs semel in furorem acta, nec rectorum ciuitatis, nec aliorum sana monita admittit, adeoque et imputatio non habet locum. Et quae reliqua. c)

a) I. N. et G. Lib. I. Cap. V. §. XIV.

b) I. B. et P. Lib. II. Cap. XXI. §. II.

c) HEINECCI Praelect. in GROTII I. B. et P. ad I. c.

§. XXXVIII.

Non-obstans.

Obstauum est *non-obstans*. Prohibere fit verbis, obstare fit factis. Ex quo patet, *conatus alicuius delinquendi obstare* idem esse, ac talia constituere, sub quibus ei, qui conatu delinquendi ducitur, physice fit impossibile, vt conatum illum ad actum ducat.

SCH. Sic rector ciuitatis conatus aliorum delinquendi obstat, qui milites aliaque resistendi impedimenta in prompta habet.

§. XXXIX.

Quando licitum alieni causa moralis, cui illud imputandum.

Qui delinquendi alicuius conatum obstare potuit atque debuit, et huius non obstat, is delicti, quod conatu illo ad actum deducto sequitur, est causa moralis. Ideoque huic delictum illud iuste atque moraliter imputatur. Eadem argumentatio, qua §. 37. usus sum, iis, quae natura rei mutare iubet, mutatis corroborabit.

§. XL.

Non-manifestans.

Vltimum est *non-manifestans*. Delictum, quod futurum est, *non manifestare* hoc loco idem est, ac delictum illud futurum nobis non ignotum, ei, cui est facultas illud impediendi, non aperire.

§. XLI.

§. XLI.

Qui ea, quam dixi, ratione delictum non manifestat, quod tamen manifestare potuit, is est eiusmodi delicti ad actum deducti causa moralis. Ergo et huic delictum illud iuste atque moraliter imputatur. Etenim qui delictum illud futurum ea, quam dixi, ratione non manifestat, quod tamen manifestare potuit, in eius voluntate est ratio, vt conatui illi delinquendi non posita sint impedimenta (§. 40.) Ergo et in huius voluntate ratio est actus causandi, quo delinquens suum delinquendi conatum perfecit (§. cit. Ont.). Ideoque est illius delicti ad actum deducti causa moralis (§. 8.), cui delictum illud iuste atque moraliter imputatur (§. 10.).

*Quando
huc deli-
ctum patra-
tum impu-
tandum.*

SCH. Sic Franciscanus quidam sodalis, cui nobilis homo, regem FRANCISEVM I. occidere se voluisse, religiose confessus, sigillum confessionis non violauit, illam nobilis intentionem regi manifestando. Alias enim futurus esset causa delicti moralis, cui maximum illud crimen moraliter imputandum. a)

a) *Conf. BODINVS de Republ. Lib. II. Cap. V.*

§. XLII.

Species causae moralis a iuris naturalis doctoribus posita, quibus aliena facta moraliter imputari possunt, enumerauimus, atque interpretati sumus. Inquiramus in principia, quae eiusmodi imputationis quantitatem determinant. Hunc in finem primo distinguere debemus causas morales, quae sunt priuatiue seu negatiue tales, a causis moralibus, quae sunt positiae tales. Quid sit causa moralis priuatiue, et quid sit causa moralis negatiue sumpta, dixi (§. 9.) Adcommodemus hasce notiones ad eas causae moralis species, quas hucusque explicauimus, & facile patebit, eum, qui causa moralis est, per iussionem (§. 11.), per consilium (§. 13.), per consensum expressum (§. 21.), per palpamen (§. 25.), per recursum (§. 28.) & per participationem (§. 34.), esse alienae actionis causam; moralem positiae §. 9.): eum vero, qui causa moralis est per consensum tacitum (§. 21.), qui fuit

*Causae il-
lae morales,
quando sint
positiae et
quando pri-
uatiue ta-
les.*

mutus

mutus (§. 36.), non-obstans (§. 38.) et non-manifestans (§. 40.) esse alienae actionis causam moralem negativae seu privativae sumtam (§. 9.)

§. XLIII.

*Causa
moralis ta-
lis est vel
quoad to-
tum vel
quoad par-
tem.*

Porro notandum est, distinguendum esse, vtrum quis sit causa moralis de toto facto alieno, an de certa solum facti alieni parte. Ea enim solum ratione factum alienum alteri imputari potest, quae est huius causam moralem (§. 10.). Ergo iustitiae repugnabit, ei totum factum alienum imputare, qui de certa solummodo huius facti parte causa moralis vocari potest.

§. XLIV.

*Varii causae
moralis
concupi
possunt
gradus.*

Tandem, modum, quo quis facti alieni est causa moralis, diuersum esse, prout varius est illius obuium ad factum concursus. Quum enim in facto alieno conatus delinquendi ab ipso delicto seu exercitio conatus distingui debeat; manifestum est, fieri posse, vt causa moralis solummodo ad alterius delinquendi conatum concurrat, dum nimirum suo facto conatum illum aut excitat, aut excitatum nutrit. Porro fieri posse, vt causa moralis, quae conatum delinquendi nec excitauit nec excitatum nutriuit, ad ipsum delinquendi actum in efficiendo concurrat. Tandem fieri posse, vt causa moralis obuium ad alienum factum & priori & posteriori casu concurrat. Quatenus causa moralis solummodo ad delinquendi conatum concurrat, eatenus vocatur *causa moralis generalis*, quatenus vero ad ipsum delictum, ab altero commissum, in efficiendo concurrat, eatenus vocatur *causa moralis specialis*. Manifestum itaque est, fieri posse, vt quis sit facti alieni *causa moralis generalis*, fieri posse, vt quis sit facti alieni *causa moralis specialis*, fieri tandem posse, vt quis sit facti alieni *causa moralis et generalis et specialis*.

SCH. Sic facti alieni causa moralis generalis est, a cuius iussione (§. 11.), consilio (§. 13.), consensu (§. 21. ff.), et quae sunt reliqua; factum illud dependet. Is vero, qui deli-

delictum promittit receptum, (§. 28. ff.) qui de delicto alterius participat (§. 34. ff.) & quae sunt reliqua, alieni facti causa moralis est specialis.

§. XLV.

His praemissis, facile erit construere principia, quae ^{Principium generale de quantitate imputationis facti alieni.} quantitatem, qua aliena facta nobis imputari possunt, determinant. Generale sit hoc: *Quo magis factum alienum a nostra dependet voluntate, eo magis id nobis imputatur.* Quum enim factum alienum nobis ea ex ratione imputetur, quia eius modi facti sumus causa moralis (§. 10.): nos vero ea ex ratione facti alieni sumus causa moralis, quia factum illud nostra a voluntate dependet (§. 7.)¹; manifestum est, factum alienum eo magis nobis imputandum esse, quo magis nostra a voluntate dependet.

SCH. Notari hoc loco debent, quae hac de re bene monuit Per-III. L. B. de WOLF a) verbis, quae sequuntur: („Vbi de imputatione facti alieni quaestio incidit; sollicite inquirendum, quantum a voluntate tua idem dependeat, ne iudicium a veritate abhorreat. In aestimanda autem dependentia facti alieni a voluntate tua, non tantummodo ad hanc respiciendum est, verum etiam ad circumstantias agentis, ob quas in casibus diuersis ab eodem actu volitionis nunc magis nunc minus eadem alterius actio dependere potest. Sane nemo est, qui nesciat, si alter plurimum tribuit iudicio tuo, nudam adprobationem facti plus apud eundem valere, quam operosa persuasio in alio, qui tanti iudicium tuum non facit. Scrupulosius haec inquirenda sunt in moralibus: sit ita, quod fora humana istiusmodi subtilitates insuper habeant, quamuis nec desit occasio, vbi earundem quoque ratio vtiliter habetur in foro.

a) *Pbil. pract. vniuers. p. 1. §. 651.*

§. XLVI.

Ex quo facile erit respondere ad quaestionem, vtrum ^{Quod accommodatur ad causam} factum alienum magis imputandum sit causae morali generali. **Q**

DARIES OBS. I. N. T. II.

sum mora- rali quam speciali. Accipe meam hac de re sententiam.
lem, quae et Factum alienum magis imputandum esse causae morali, quae
generalis et et generalis et specialis est, quam causae morali, quae solum-
specialis. modo est generalis aut specialis, ex principio §. 45. demonstra-
 to immediate patet.

§. XLVII.

Et ad caus- Porro factum alienum causae morali generali magis im-
sam mora- putandum est, quam causae morali speciali, qua tali. Quod
lem quae ea, quae sequitur, ratione evinco: Causa moralis specia-
erit genera- lis, qua talis, ad ipsum delictum, ab altero commissum, in
lis aut spe- efficiendo quidem concurrat, ab illa tamen alterius delin-
cialis. quendi conatus non dependet, causa vero moralis gene-
 ralis, qua talis, ad patratorem delinquendi conatum ea con-
 currit ratione, ut conatum illum delinquendi aut exciter,
 aut excitati continuationem efficiat (§. 44.) Hisce ex notio-
 nibus patet, causam moralem generalem esse talem, sine cuius
 voluntatis concursu patratorem non delinquitur; causam vero
 moralem, quae solummodo est specialis, esse talem, cuius
 voluntas ad delictum, ab altero commissum, per accidens
 solummodo concurrat. Delictum itaque ab altero commis-
 sum magis a voluntate causae morali generalis quam a vo-
 luntate causae morali specialis dependet, ideoque illi ma-
 gis imputandum est, quam huic. (§. 45.)

§. XLVIII.

Argumen- Qui dissentiunt, ea, quae sequitur, ratione argumen-
tatio dissen- tantur. Iure romanorum causa furti moralis generalis non
ticium. vero specialis furti tenetur. a) Ergo manifestum est, se-
 cundum principia iuris factum alienum magis imputandum
 esse causae morali speciali, quam generali.

a) Conf. Inst. Iur. Rom-Germ. §. 43.

§. XLIX.

Ad quam Respondeo. Primo notandum est, me hoc loco non
responde- facere sermonem de eo, quod secundum praecipua iuris ro-
tur. mani sit iustum, sed de eo, quod rerum per notiones in-
 ter

ter iusta referendum. *Deinde.* Distinguere debemus casum, quo quaestio ponitur de imputatione facti alieni, a casu, quo quaestio est de imputatione facti proprii. Si secundum principia iuris romani causa furti moralis specialis non vero generalis furti teneatur, furtum causae morali speciali non ut factum alienum sed ut suum factum imputatur. Haec itaque iuris decisio principio, a nobis demonstrato, non repugnat.

§. L.

Haec de imputatione facti alieni eiusque quantitate. *Factum* Addamus quaedam de quaestione: *an factum alienum, quod nobis nobis imputatur, etiam patratore iusse atque moraliter possit imputari.* Bene hac de re monuit P V F E N D O R F A) aliquando contingere, ut ei, qui immediate actionem patrat, illa *quod nobis imputatur, an etiam patratore imputari possit.* penitus non imputetur, sed alteri, qui eandem imperavit, aliquando, ut actio ab alio suscepta et causae morali et patratore imputetur. In huius sententiae rationes inquiramus. Hunc in finem necesse erit, ut varias determinemus relationes, quas patrator ad causae morali voluntatem potest habere. Has ita accipe. Quicquid ea agimus ratione, qua alterius concurrat voluntas, id aut invite agimus, ideoque alter nobis tanquam instrumento ad exercendam actionem usus est, aut nostra quoque concurrat voluntas. Et si hoc, aut causa morali est causa principalis & patrator instrumentalis seu minus principalis: aut patrator est causa principalis, et causa morali, cuius voluntas concurrat, est minus principalis: aut et causa morali et patrator tanquam causae principales agunt. De singulis breviter. a)

a) I. Nos. G. Lib. 1. Cap. V.

§. LI.

Si patrator invite agat, quod per voluntatem causae morali fieri debet, obuium factum non patratore sed soli causae *Quando* morali moraliter imputandum erit. Id enim, cuius existens *negativae re-* sponsionem vel non-existentia nostram ad voluntatem non potest *spontend-* referri, nobis moraliter imputari nequit (§. 16. obs. 42.)

Q 2

Quic-

Quicquid iniuste agimus, id nostram ad voluntatem non potest referri. Iuste itaque fieri nequit, ut patratore id moraliter imputetur, quod iniuste commisit. Eiusmodi ergo factum soli causae morali moraliter imputari potest. (§. 10.)

SCH. Sic mihi extra causam irascitur, in cuius caput manum meam per vim arreptam alius impedit. Sic poenam violenti stupri non foemina, sed violator luit. Sic imperanti imputatur caedes, cuius executio sub comminatione gravissimi mali, quod statim repraesentari poterat, subdito iniuncta est. Sunt verba WERNHERI a). Huc spectat illud PROCOPII b). *Legatus mittentis iussu verba enunciat; eorum culpam, si quid peccatur, non ipsi, sed ei, qui imperavit, aequum est, imputari: cum legato obsequii incumbat necessitas. Venia vero dignum est involuntarium.*

a) Elem. I. N. & G. Cap. II. §. 19.

b) l. c.

§. LII.

Quando affirmative, eo casu quo magis causae morali quam patratore imputandum. Si in facto, quod commissum est, et patratore et causae moralis concurrat voluntas, patratore vero tanquam causae instrumentalis seu minus-principalis et causae morali tanquam causae principalis, factum illud et patratore et causae morali moraliter atque iuste imputatur, magis vero causae morali, quam patratore. Primum manifestum est ex ipsa imputationis moralis definitione §. 16. obs 42. data coll. §. 10. Alterum argumentatione, quae sequitur, corroboro: Factum illud, quod commissum est, magis a voluntate causae principalis, quam a voluntate causae minus principalis dependet (§. 106. cor. Ont.) Quo magis vero factum nostra a voluntate dependet, eo magis quoque nobis moraliter atque iuste imputatur (§. 117. Cor. I. N.) Ergo et factum illud moraliter atque iuste magis causae principali seu morali, quam causae minus-principali seu patratore imputatur.

SCH. Sic principaliter actio ab alio patrata imputatur domino, qui iussit illam fieri ab eo, quem suo imperio subiectum habet, vel cuius tanta apud ipsum auctoritas, ut ei reniti

reniti facile non possit. Vt si filius, aut seruus patris dominique iussu actionem suscipat; ea quidem patratori recte imputatur; sic tamen, vt eius principalem causam constituat, qui imperio ipsum vel auctoritate ad agendum impulit, citra quam si fuisset, actio non esset suscepta. Pertinent etiam ad hanc classem, qui requisitum consensum dederunt, sine quo alter non fuisset, acturus; vt si quis eum, cuius directioni actiones subsunt et quo inconsulto nil agere solet, consuluerit, atque prolixum eius consensum in actionem, quam suscipere destinauit, impetret. Sunt verba WERNHERI a)

a) l. c. Conf. PVFENDORP l. c.

§. LIII.

Si patrator sua voluntate id fecerit, quod per voluntatem causae moralis generalis fieri debuit, patrator obuii facti erit causa minus principalis, causa vero illa moralis erit causa principalis. Etenim causa efficiens minus principalis est, quae ad agendum ab alia quadam causa determinatur, et causa efficiens principalis est, quae sua vi minus principalem ad agendum determinat (§. 105. Oont.). Enimvero a voluntate causae moralis generalis patratoris conatus agendi dependet (§. 44.), ideoque causa moralis generalis sua voluntate patratorum ad agendum determinat. Ergo causa illa moralis generalis obuii facti est causa principalis, patrator vero eiusmodi facti causa minus principalis. *Quod ad causam moralem generalem adcommodatur.*

§. LIV.

Ex quo manifestum est, factum alienum magis nobis imputandum esse, quam patratori, si eiusmodi facti simus causa moralis generalis, quae conatum alterius ad delinquendum excitauit. (§. 52. 53. 44.) *Huius continuationis.*

SCH. Sic, si quis iussu alterius, cuius imperio subest, alicui damnum iniuria dederit, iure romano a) non in ipsum, sed eum, qui iussit, actio *Legis Aquiliae* datur. Porro eadem actione tenetur dominus, quo sciente, cum prohibere

posset, seruus aliquem vulneravit, aut occidit b) *Qui enim non vetat peccare, cum possit, iubet. Et quae sunt reliqua.*

a) L. 37. pr. ff. ad L. Aquil.

b) L. 44. §. 1. ff. ad L. Aquil.

§. LV.

Eo in casu, quo patratoris et causae moralis concurrat voluntas, causae moralis vero tanquam causae minus principalis et patratoris tanquam causae principalis, factum illud et causae morali et patratori moraliter atque iuste imputatur, magis vero patratori quam causae morali. Demonstratur haec propositio eodem modo, quo §. 2. argumentati sumus.

SCH. Sic is, qui conatum alterius ad delinquendum non quidem excitat delictum tamen quod alter commissurus est non manifestat, ad eiusmodi delictum minus principaliter concurrat. Ideoque delictum illud commissum secundum ius naturae magis patratori quam causae morali imputandum est.

§. LVI.

Quod ad causam mor. gen. adcommo- datur. *Causa moralis generalis, quae conatum alterius ad delinquendum non excitat, excitatum tamen nutrit, ad delictum ab altero commissum concurrat minus principaliter. Qui enim ad id, quod alter sua facit voluntate, concurrat, sed non principaliter, is ad idem concurrat minus principaliter. Causa illa moralis generalis, quae conatum alterius ad delinquendum non excitat, excitatum tamen nutrit, ad id, quod alter sua facit voluntate quidem concurrat, sed non ea ratione, qua agentem ad agendum determinat (§. 44.), ideoque non principaliter (§. cit. Ont.) Ergo causa illa moralis generalis ad delictum ab altero commissum concurrat minus principaliter.*

§. LVII.

Huius continuatio. *Ex quo patet: factum alienum patratori magis imputandum esse, quam causae morali generali, quae conatum alte-*

alterius ad delinquendum non excitat, excitatum tamen nutrit (§. 55. 56.)

§. LVIII.

Si in facto, quod commissum est, et patratore et causae moralis voluntas ea concurrant ratione, qua ut causae principales spectari possunt, factum illud et patratore et causae morali aequali gradu imputari poterit. Hocce theorema eadem ratione, qua §. 52. argumentati sumus, iis, quae natura obiecti mutari iubet, mutatis, corroborari potest.

Eo in casu, quo et caus. mor. et patr. aequaliter imputandum.

§. LIX.

Ex quo patet, fieri posse, ut factum et patratore et causae morali speciali aequali gradu moraliter et iuste imputetur (§. 44.).

Quod ad causam moralem specialem adcommo- datur.

SCH. Idem sentit ius civile romanum, vi cuius pari culpa cum patratore haeret, qui executionem facinoris iuuat et promouet. Sic non minus furti actione tenetur, qui ferramenta sciens commodauit ad effringenda ostia, vel scalam supposuit, quam ipse fur. a) Receptatores perinde puniri iubentur, atque ipsi latrones b) Ita qui adulterio vxoris suae quaestum facit, aut aliis ad stupra et adulteria committenda domum suam praebet, quasi adulter plectitur. c) Et quae sunt reliqua.

a) L. 54. §. 4. ff. de furt.

b) L. 1. ff. de receptat.

c) L. 8. ff. ad L. iul. d. adulter. L. 1. §. 1. ff. ad L. corn. de fals.

§. LX.

His ex praemissis facile erit respondere ad nobilissimam quaestionem, quomodo subditis moraliter id imputari possit, quod ex praecepto superioris fecerunt. §. 9.) Rem ita accipe. Eius, quod subditi ex praecepto superioris faciunt, causa moralis generalis, quae conatum subditorum ad agendum excitat, est superior (§. 44.). Ergo et factum illud magis superiori quam subditis imputandum est (§. 54.) In hoc vero haud parua emergit difficultas, quando superioris

An superioris praeceptum subditos excuset, Grotii,

vis praeceptum subditos plane excuset. Primum GROTII hac de re sententia enumerabo, & deinde, quod de eadem sentio, exponam. GROTIUS distinguit casum, quo subditi de praecepti iustitia ita dubitant, ut in partem negativam sint procliviores, a casu, quo ita dubitant, ut plane fluctent. Quoad priorem putat, praeceptum superioris subditos non excusare, quia contra conscientiam dubiam nihil agendum, quia magis obediendum DEO quam hominibus, adeoque horum imperium semper intelligendum cum exceptione legis divinae, et tandem, quia necessitas quidem excusat, sed non in iis, quae lex divina prohibet, et quae nobis ab hominibus eo sine iniunguntur, ut ad peccandum inducamur. Idque variis illustrat exemplis, militum Iudaeorum Alexandro militantium, legionis Thebaeae, militum Iuliani, et speculatorum, qui mori maluerunt, quam Christianos occidere. Quoad posteriorem, primo argumenta eorum, qui hoc in casu subditis parcendum esse, & praeceptum superioris subditos plane excusare putant, recenset. Nimirum,

- 1) qui contemplative dubitat, potest activo iudicio non dubitare, id est, qui dubitat, an iustum sit factum, potest non dubitare, quin iustum sit, ut ipse faciat, credere enim potest in re dubia obsequendum superiori. Qua ex re iura civilia, non Romanorum tantum, sed et aliarum gentium in tali circumstantia non modo impunitatem concedunt obedientibus, sed et actionem in eos civilem denegant.
- 2) Ex ipsius ARISTOTELIS sententia aliud est iniustum agere, aliud iniuste. Iniustum nimirum agit, qui contra leges agit, iniuste, qui scienter et voluntarie leges transgreditur. Ideoque qui imperio alterius, cui subiectus est, agit, potest quidem iniustum et contra leges agere, sed non iniuste, nisi id faciat scienter et voluntarie.
- 3) Accedit testimonium AVGVSTINI b) qui ait: Ergo vir iustus, si forte sub rege etiam sacrilego militet, recte potest

potest illo iubente bellare, si ciuicae pacis ordinem seruans, quod sibi iubetur, vel non esse contra DEI praeceptum certus est, vel vtrum sit certus non est, ita vt fortasse reum faciat regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo seruiendi.

Deinde accedit ad sententiam eorum, qui etiam hoc in casu subditos non parendum esse, ideoque praeceptum superioris subditos non excusare putant, quia in dubio semper eligendum, quod tutius, tutius autem est non obedire, quam repugnante conscientia obedire.

a) vid. GROTIUS I. B. et P. Lib. II. Cap. XXVI. §. III. et IV.

b) d. Ciu. Dei Lib. I. Cap. XXIV.

§. LXI.

Haec de sententia GROTII, quae mea quidem sententia minus accurate probata atque posita est, quia *primo* Et nostra hac de re sententia. subditi saepe rem non ita intelligunt, vt de iustitia praecepti rite possint iudicare, *deinde* pro imperantibus in dubio militat praesumptio, eum non sine iusta et vrgente causa aliquid praecipere, *tandem* summum periculum rei publicae immineret, si subditis libertas relinquenda esset iudicandi, vtrum parendum nec ne. Quibus ex causis distingo an iniustitia praecepti sit satis clara et manifesta, an tantum dubia. *Priore casu* superioris praeceptum subditos non excusare inde manifestum est, quia Deo magis obediendum quam hominibus, ideoque hoc in casu id, quod male factum, etiam ad voluntatem subditorum referendum esse (§. 10. obs. 12.). Quod satis est ad probandum: eiusmodi factum etiam subditis moraliter atque iuste imputandum esse. *Posteriore casu* parendum esse, ideoque superioris praeceptum subditos plane excusare, ea, quae sequitur, argumentatione euinco. In dubio semper eligendum est, quod probabiliter optimum. Si iniustitia superioris praecepti sit dubia, iustitia eiusmodi praecepti erit probabilis (quod ex iis patet, quae in commate posuimus). Hoc itaque in casu subditis parendum est. Qui id facit, ad quod faciendum obligatus,

tus, in eius potestate non situm fuit, oppositum agere, (§. 1. obs. 16.). Ergo et hoc in casu non est in potestate subditorum, ut agant contra superioris praeceptum. Ex quo patet, eiusmodi factum subditis moraliter atque iuste non imputandum esse, ideoque praeceptum superioris hoc in casu subditos excusare. Et quae sunt reliqua.

OBSERVATIO XLVI.

Ad §. 212.

DE

SPECIE FACTI.

§. I.

*Species
quid.*

Species a philosophis sumitur pro imagine naturali, seu similitudine naturali, hancque ab *effigie* distinguunt, quae sit imago artificiosa. Qua ex causa res eiusdem speciei vocantur, quae per naturam sunt similes. Porro dicitur: hominem generare hominem secundum speciem, non secundum formam, id est, non transfundere suam formam seu essentiam in aliam, nec retinendo simul eam, nec amittendo, sed hunc hominem hunc hominem efficere sibi naturaliter similem. a)

a) vid. RODOLPHI GOELENII *Lex. philos. voc. Species.*

§. II.

*Species
facti quid.*

Quare, quum similitudo naturalis sit eiusmodi characterum, qui obuiam rem, qua talem, constituunt identitatis; manifestum erit, *speciem facti* significare eiusmodi characterum, qui obuium factum, qua tale, constituunt, enumerationem.

§. III.

*Quae vel
completa
vel incompleta vel*

Enumeratio characterum, qui obuiam rem, qua talem, constituunt, dat eiusdem rei *notionem distinctam*. Species itaque facti distinctam de facto nobis exhibere debet notio-

tio-

tionem (§. 2.). Ex quo patet, ad speciem facti adcommo-
danda esse ea, quae philosophia rationalis de distincta no-
tione praescribit. Ideoque speciem facti diuidendam esse
in *completam* et *incompletam*, & completam in *determinatam*
atque *abundantem*. *Completa* nimirum est *species facti*, quae
omnes enumerat characteres, qui obuium factum, qua tale,
constituunt. *Incompleta*, quae non omnes enumerat chara-
cteres, per quas obuium factum est tale, quod est. *Deter-*
minata, quae non plures enumerat characteres, quam qui
ad obuii facti qualitatem cognoscendam *necessarii*. Quae
vero plures enumerat *abundans* vocatur.

*determina-
ta vel
abundans.*

§. IV.

An species facti debeat esse completa atque determi-
nata ea docebunt, quae in philosophia rationali de notione
completa atque determinata demonstrata sunt *a)*. Hoc itaque
loco nil superest, quam ut in ea inquiramus principia, quorum
ope cognoscendum, an species facti, quae obueniens est,
completa atque determinata vocari queat. Huius rei ratio-
ne pono regulam, quae sequitur. *Species facti an sit com-*
pleta et determinata, hoc cognoscendum est ex fine, cur sit for-
mata. Veritatem regulae argumentatio, quae sequitur, cor-
roborabit. Sapiens non agit sine fine (§. 229.) I. N.). — Sa-
pientiae ergo repugnabit, sine fine speciem facti formare.
Species itaque facti, quae formatur, spectari debet ut me-
dium, ad finem quendam obtinendum. Media ad finem
quendam proposita an sint sufficientia, an insufficientia,
an abundantia, hoc ex fine ad quem obtinendum proposita
sunt, cognosci debet (quod ex ipsa mediolorum notione ma-
nifestum est). Ergo et ex fine, cur species facti sit formata,
iudicari debet, an sit completa atque determinata.

*An sit
completa et
determina-
ta ex quo
iudicand-
um.*

a) vid. introd. in artem inueniendi P. I. §. 83. f.

§. V.

Speciem itaque facti completam atque determinatam
formaturus, debet

*Regulae
formandi
1) distin-
sp. facti*

R 2

1) distin-

*completam
et determi-
natum ge-
neratum po-
nuntur.*

- 1) distinctam de fine, ad quem obtinendum species facti componenda, sibi formare notionem
- 2) varia, quae obuiio facto insunt, distinguere
- 3) distincta cum fine illo conferre. Quibus factis facile ea eligere atque componere poterit, quae ad finem illum obtinendum necessaria. a)

a) *Conf: ea, quae de notionum formatione §. 92. ff. P. I. Intr. in artem inueniendi praescripta sunt.*

§. VI.

*Fines sp.
facti deter-
minantur.*

Quum finis, cui species facti componenda, det principium cognoscendi, vtrum species facti sit completa an incompleta, vtrum determinata an abundans (§. 4.); per se patet, partium nostrarum esse, varia eiusmodi finium genera determinare atque definire. Fiat hoc breuiter. Sic hoc loco sermo de specie facti mali, seu legibus repugnantis, ab altero commissi vel omitti. Hoc posito, ea, quae sequitur, determinatio erit manifesta. Finis, ad quem obtinendum species facti componatur, sit demonstratio, vt factum alterius sit tale, ex quo nobis determinatum in alterum competit ius, ideoque aut ius remouendi turbationes, aut ius puniendi.

§. VII.

*Quomodo
componen-
da, si finis
sit turbat.
remouere.*

Turbatio aut est imminens aut illata. *Ex priori* oritur ius defensionis, seu alteri mala inferendi ad nostram obtinendam securitatem. Et *ex posteriori*, ius postulandi vt alter nobis praestet damnum. Priorem itaque ob rationem speciem facti compositurus ea enumerare debet, quae demonstrant, statum alterius aut internum aut externum esse talem, vt nobis inde immineant mala. Posteriores vero ob rationem speciem facti compositurus ea exhibere debet, quae demonstrant, alterum esse damni, quod sentimus causam, ideoque existentiam huius damni rationem habere aut in ipso alterius facto, aut in alterius dolo vel culpa.

SCH. De his suo loco plura, quo de turbationibus earumque causis acturi sumus.

§. VIII.

§. VIII.

Quoad ius puniendi distinguere debemus poenam, *Et si finis sit punire.* quam quis meretur, a poena, quae debet exigi (§. 6. obs. 40.). Illius mensura sit quantitas moralitatis, qua quis delictum commisit, huius vero mensura, sit poenarum finis (§. 6. 7. l. c.). Speciem itaque facti alterius eum in finem, ut ius suum puniendi demonstrare posset, compositurus, priori ratione ea enumerare debet, quae quantitatem moralitatis, quae facto alterius inest, perspicuam faciunt: posteriori vero ratione, ea, quae finem poenae obuiio in casu necessario obfinendum demonstrant. vid. §. 8. ff. l. c.

OBSERVATIO XLVII.

Ad §. 243.

DE

NATURA LIBELLI

§. I.

Varias esse vocis *libelli* acceptiones a iurium doctoribus satis monitum est *a)*. Sumitur nimirum 1) pro tabulis *Ratio instituti.* fideicommissariis *b)* 2. pro libello recusatorio, qui a litigantibus iudicis suspecti recusandi causa exhibetur *c)* 3. pro epistola assertoria, quam vulgo credentiam seu certificationem vocamus: cum superior pro subdito vel etiam alio fidem faciat. *d)* 4. pro scripto denunciatorio *e)* 5. pro litteris dimissoriis, quae vocantur libelli apostoli *f)* 6. pro libello appellatorio, qui appellationis ergo a litigatoribus proponitur *g)* 7. pro oratione consultatoria ab imperatore senatui proposita *h)* 8. pro litteris, quas maritus uxori repudii causa mittit. *i)* 9. pro scheda, qua quis rem ab alio amissam se inuenisse confitetur. *k)* 10. pro epistola definitionem causae principalis continente *l)* 11. pro scriptura, qua alicui famosum aliquod crimen obiicitur *m)* 12. pro libello actionis, *Eine Klage, Klag-Libel*, quae significatio proprie huius est

R 3

loci.

loci. *Requisita* huius alia sunt *naturalia*, quae ex ipsa libelli notione fluunt, alia *accidentalibus* quae per leges ciuiles seu consuetudines adesse debent. De illis hoc loco erit sermo.

- a) vide inter alios BURCHARDI HENRICI TILEMANNI *Diff. de libello Ienae 1676. hab.*
- b) L. 1. pr. ff. de tab. exhib. L. 22. C. de fideic.
- c) L. 16. C. de iud.
- d) L. 4. §. 1. ff. de Public. et vectig.
- e) L. 2. C. de ann. except. L. 7. C. de accus.
- f) vid. ff. de libell. dimiss.
- g) L. 1. §. ult. ff. de appell. L. 2. C. eadem.
- h) L. 20. §. 6. ff. de hered. petit.
- i) L. 7. ff. de diuort.
- k) L. 43. §. 8. ff. de furt.
- l) L. 9. §. 1. ff. de offic. Proc. et leg.
- m) vit. Tit. ff. de iniur. et famos. libell.

§. II.

*Libellus
quid.*

Significat itaque *libellus* hoc loco implorationem iudicis ad efficiendum, vt ius nostrum aduersus alterum persequi possimus.

SCH. Definitionem hancce vsui loquendi convenientem esse, ex eo patet, quod libellus sit verborum conceptio, futurae litis speciem exhibens a). Non- nulli quidem in ea sunt opinione, vt scriptura sit de essentia libelli, sed implorationem illam oretenus prolatam inter libellos merito referendam esse satis demonstrat BRUNNEMANNVS b)

- a) Conf. OBRECHT de concept. et form. libell. Cap. II. n. 1.
- b) in Process. ciu. Cap. V. n. 1.

§. III.

*Duo sunt
libelli essen-
tialia.*

Illam ex definitione sua sponte fluit, duo esse eiusmodi libelli essentialia, demonstrationem iuris, quod aduersus alterum persequi cupimus, et implorationem iudicis.

§. IV.

*Quoad
primum est*

Quoad primum ea, quae sequitur, ratione argumtor: Qui ius suum aduersus alterum persequi cupit, is ponit

ponit iudicium: *mibi in alterum hocce competit ius.* Hocce iudicium est conclusio, quae ex specie facti atque legibus inferitur. Est itaque libellus, quoad primum essentiale, instar syllogismi, cuius maior est axioma aliquod iuris, et minor species facti. v. g.

Ex tali facto tale mihi oritur ius

Obuium factum est tale

Ergo obuio ex facto tale mihi oritur ius.

Quo in syllogismo maior est axioma iuris, seu, vt dicunt doctores, *medium concludendi*, minor *narratio facti*, et conclusio *demonstratio iuris, quod aduersus alterum persequi cupimus.*

§. V.

Itaque naturalia libelli requisita, quod primum eius attinet essentiale, sunt vel *generalia*, vel *specialia*. Generalia sumuntur ex natura syllogismi, ideoque aut ex syllogismi forma, aut ex syllogismi *qualitate*. *Ergo requisita huius sunt vel generalia.*

§. VI.

Forma syllogismi est vel ordinaria vel cryptica. In *illa* primo loco ponitur maior, medio minor et ultimo conclusio. In *hac* aut propositiones syllogismum constituentes transponuntur, aut praemissarum altera omittitur, aut quaedam adiiciuntur, quae ad propositiones syllogismum constituentes non pertinent, sed easdem probant. (§. 288. ff. p. r. Log). Ergo libellus et forma ordinaria, et forma cryptica aut per transpositionem, aut per defectum, aut per redundantiam componi potest. *Quae autem ex forma syllogismi.*

SCH. Sic v. g. libellus forma ordinaria quoad primum nimirum essentiale compositus est.

Es ist in den Rechten gegründet, daß wir von demjenigen eine Abbitte fordern können, der uns auf öffentlichem Markte ohne einzige gegebene Ursache gröblich beschimpfet hat.

Ticius hat mich ohne einzige gegebene Ursache gestern auf öffentlichem Markte gröblich beschimpffet.

Ich habe demnach das Recht von Titius eine Abbitte zu fordern.

Ponas minorem primo et maiorem secundo loco, et habebis libellum forma extraordinaria per transpositionem compositum. Libellus forma extraordinaria per defectum compositus erit, si omiſſa propositione maiori, absurdum enim esse, hoc loco minorem omittere, ex ipsa libelli notione manifestum est, *extbymematice* conclusum v. gr:

Ich habe dem Titio 100. Thal. geborget.

Also habe ich das Recht von ihm die Wiederbezahlung dieser 100. Thal. zu fordern.

Tandem libellus forma extraordinaria per redundantiam compositus erit, in quo praemissis ea adiecta sunt, quae earum veritatem corroborant. Et quae reliqua.

§. VII.

*Aut ex
qualitate
syllogismi
oriuntur.*

Qualitas syllogismi et modum concludendi, et nexum conclusionis cum principiis spectat. *Modus concludendi*, vt ex logicis patet, debet esse *legitimus*, id est, in syllogismo, qui primam libelli partem constituit, non debent esse, nisi tres termini, praemissae non debent esse purae particulares, et quae sunt reliqua. *Nexus conclusionis cum principiis*, quod iterum ex logicis manifestum est, debet esse *perspicuus*, id est, talis, vt inde intelligere possimus, quomodo ex praemissis, quae positae sunt, actori ius, quod conclusio libelli enumerat, aduersus reum possit esse quaesitum.

§. VIII.

Vel speciale.

Specialia libelli requisita, quod primum eius adinet essentialia, tumenda sunt ex libelli differentia specifica. Quum enim libellus sit imploratio iudicis ad efficiendum, vt ius nostrum aduersus alterum persequi possimus (§. 2.); manifestum est, factum atque ius fati determinatum in libello exprimendum esse, quo iudex inde intelligere possit, quid, quale, et quantum sit implorationis obiectum.

§. IX.

§. IX.

His ex praemissis facile intelligitur, quid sit *libellus ineptus*, nimirum cui requisita illa deficiunt. *Alia* itaque est libelli ineptitudo, quae spectat requisita generalia ideoque aut formam aut qualitatem syllogismi (§. 6. 7.) *alia* quae spectat requisitam libelli speciale (§. 8.)

Libellus ineptus quid.

§. X.

Libellus, qui ea ex ratione ineptus est, quia requisitum libelli speciale deficit, in specie vocatur *generalis*. Et qui ea ex ratione ineptus est, quia nexus conclusionis cum principiis non est perspicuus, in specie vocatur *obscurus*.

Quando hic obscurus aut generalis.

§. XI.

In generali itaque libello aut species facti, aut ius, quod quis aduersus alterum persequi cupit, non satis determinate expressum est (§. 3.). Et in libello obscuro aut species facti aut conclusio non satis perspicue enumerata atque posita est (§. 7. 4.)

Quorum requisita evolvuntur.

§. XII.

Haec de primo libelli essentiali. Sequitur alterum, imploratio nimirum iudicis (§. 3.). Quum actor iudicis vi atque auctoritate ius suum aduersus alterum persequi cupiat (§. 2.); manifestum est, eiusmodi iudicis in libello implorandum esse auxilium, qui non in ea solum, quae obueniens est, causa, sed & in relatione ad reum leges cum effectu ad facta iuste adplicare potest. *Iudex* ea ratione vocatur *competens*, quia leges ad facta cum effectu adplicare potest. *Iudex* itaque ille et ratione causae et ratione rei competens esse debet.

Secundum libelli essentialiale evoluitur.

§. XIII.

Opponens in logicis vocatur, qui thesin alterius impugnat. Et rationes, quibus thesin illam impugnat, vocantur *oppositioes*.

Opponens et oppositio quid.

§. XIV.

Oppositio- nes seu ex- ceptiones aduersus li- bellum pos- sibles. Oppositiones in foro *exceptionum* acceperunt nomen. Facile itaque intelligere possumus exceptiones aduersus li- bellum posibles. Aut enim primum aut secundum libelli essentielle impugnant. (§. 3.). Inter illas referenda est exce- ptio inepti libelli (§. 9.). exceptio generalis atque obscuri libelli (§. 10. 11.) Inter has exceptio fori aut ratione caus- fæ aut ratione rei incompetentis (§. 12.) vid. §. 15. obf. 42. Sed de his hoc loco satis.

OBSERVATIO XLVIII.

Ad §. 222.

DE

IUDICE.

§. I.

Ratio in- fuisi.

Definitio, quam §. 222. I. N. de iudice formauimus, non est generalis, sed forum solummodo *imputatorium* spe- stat. Hoc loco euoluamus generaliore, indeque eas iudicis diuisiones, eaque iudicis attributa eruamus, quo- rum fons atque origo est ipsa, quam de iudice habemus, definitio.

§. II.

Definitio iudicis ge- nerals.

Per *iudicem* generatim sumtum intelligimus eum, qui ius leges ad facta aliorum adplicandi exercet. Iudex itaque generatim sumtus ius de iure respondendi exercet. (§. 7. obf. 42.).

SCH. Definitionem *vsui* loquendi conuenienter for- matam esse, iis ex diuisionibus patebit, quas inde deducam.

§. III.

Iudex est vel stricto se dictus vel arbitrar.

Leges ad facta aliorum aut cum effectu aut sine effectu adplicantur (§. 5. obf. 42.). Ergo et concipere possumus iu- dicem,

dicem, qui ius leges ad facta aliorum adplicandi cum effectu, & qui ius leges ad facta aliorum adplicandi sine effectu exercet. Ille est *iudex stricte sic dictus*, hic vero *arbiter*.

§. IV.

Iudex itaque stricte sic dictus exercet iurisdictionem *Ille exercet iurisdictionem.* (§. 6. obl. 42.), ideoque et ius de iure respondendi et imperium (§. 7. l. c.)

§. V.

Arbitrum doctores in *arbitrum compromissarium*, et *arbitratorem* diuidunt. *Arbiter compromissarius* (ein willkürlicher Schieds-Richter) est, qui ex communi partium consensu eligitur, ut finem controuersiae sententia sua, quae *laudum* vocatur, imponat, sub certae poenae stipulatione, quam pars a laudo recedens aduersae parti praestare tenetur. *Arbitrator* est *Schiedsmann*, qui a dissentientibus absque poenae illius stipulatione ad controuersiam amicabiliter componendam est electus.

SCH. Addunt non-nulli a) *arbitrum iuris*, qui, quando iudex ordinarius tamquam suspectus recusatur, ex necessitate iuris datur. Sed hic mea quidem ex sententia non est arbiter, sed iudex stricte sic dictus extraordinarius. De quo infra.

a) Conf. B. GEORG. ADAMI STRVIL. *Diff. de officio iudicis. P. I. Cap. III. len. 1665. hab.*

§. VI.

Iudex stricte sic dictus iurisdictionem exercet. (§. 4.) *Iudex stricte sic dictus* Quare, quum aliud sit *ius exercere*, aliud *ius suum exercere*; Et sic manifesta est diuisio iudicis stricte sic dicti in *ordinarium* et *extraordinarium*. Ille est, qui iurisdictionem ut ius suum habet. Hic qui iurisdictionem alterius exercet.

§. VII.

Iudex ille extraordinarius potestatem alterius iurisdictionem exercendi ab eo habere debet, cui iurdictio illa committitur. *Hic est ut mandatus vel*

proroga-
tus.

perit, ideoque aut expressa illius voluntate, aut lege qua-
dam generali. Si illud, adest notio mandati, ergo et *iudex*
vocatur *mandatarius*, et si hoc, *prorogatus*.

SCH. De iudice prorogato ius naturae seu de iusto at-
que iniusto notiones nil determinate docent, nisi quod for-
san ex principio illo generali: *ius ad finem dat ius ad me-
dia sufficientia*, inferendum. Quae de iudice mandatario di-
cenda, ex relatione mandatarii ad mandantem fiunt. De
qua suo loco plura.

§. VIII.

Ille primo
est vel na-
turalis vel
strictissime
sumtus vel
conventio-
nalis.

Iudex ordinarius habet iurisdictionem vt ius suum
(§. 6.) Ergo et ea, quae de iurisdictionis acquisitione §. 9.
obf. 42. atque de iurisdictionis extensione et obiectiua et
subiectiua §. 12. ff. l. c. diximus, ad iudicem adcommodari
possunt, ex quo non-nullae iudicis ordinarii diuisiones oriun-
tur. Ex primo nimirum concipitur, quid sit *iudex naturalis*,
iudex strictissime sumtus, et *iudex conuentionalis*. *Iudex* ni-
mirum *naturalis* seu *ipsa natura constitutus* est, qui iurisdic-
tionem habet ex lege illa naturali, quae docet, *ius ad finem*
dare ius ad media sufficientia. *Iudex strictissime sumtus*, qui
iurisdictionem habet ex superioritate. Et *iudex conuentiono-*
nalis, qui iurisdictionem habet ex pacto vid. §. 9. cit.

§. IX.

Conse-
cra-
ria.

Patet inde

1. Ex eo, quod quis sit iudex, non sequi, vt sit legisla-
tor (§. 10. obf. 42.)

2. Ex eo, quod quis sit iudex, non sequi, vt sit supe-
rior (§. 11. l. c.)

Et quae sunt reliqua.

§. X.

Secundo
vel compe-
tens vel in-
competens.

Ex altero §. 8. posito facile erit intelligendum, quid
sit *iudex ratione causae competens* et *incompetens*. Porro,
quid sit *iudex ratione personae competens*, et *incompetens*.
Iudex nimirum *ratione causae competens* est, qui habet ius,

m

in eo, qui obueniens est, casu leges ad facta cum effectu adplicandi, et *ratione causae incompetens*, qui in eo, qui obueniens est, casu leges ad facta cum effectu suo iure adplicare nequit. *Iudex* porro *ratione personae competens* est, qui habet ius leges ad facta eius, de quo obuio in casu sermo est, cum effectu adplicandi. Et *iudex ratione personae incompetens*, qui non habet ius leges ad facta eius, de quo obuio in casu sermo est, cum effectu adplicandi.

§. XI.

His ex notionibus patet, a competentia iudicis *ratione causae* ad competentiam iudicis *ratione personae*: et a competentia iudicis *ratione personae* ad competentiam iudicis *ratione causae* non valere consequentiam. *Consequario*

SCH. In characteres, ex quibus intelligendum, vtrum iudex *ratione causae* et *personae* sit competens an incompetens, suo loco inquiruri sumus. Conf. §. 12. ff. obi. 42.

§. XII.

Tandem iudex est vel *habilis* vel *inhabilis*. Huius rei *Tertio vel* notionem ea, quae sequitur, *ratione* accipe. Iudicis *strictè* *habilis vel* sic dicti officium est, leges ad facta alterius cum effectu adplicare (§. 3.), eum in finem, vt iusta *causarum* controuersarum oriatur decisio (per dem: §. 233. I. N.) Ideoque *ratione intellectus* ea iudicandi vi iisque scientiis instructus esse debet, quae necessariae sunt ad cognoscendam *causam*, id est, ad inquirendum in *veritatem* atque *qualitatem* negotii controuersi: ad distinctam de lege sibi formandam *notionem*, et ad perspicienda ea, quae in legis obuio ad factum adplicatione iusta sunt. *Ratione voluntatis* tales habere debet dispositiones, quibus solummodo ad id agendum ducitur, quod *veritati* conueniens est. Iudex, qui eiusmodi instructus est perfectionibus, vocatur *habilis*. Ea vero *ratione*, qua eiusmodi perfectionibus destitutus est, vocatur *inhabilis*. Iudex itaque *inhabilis* talis est aut quoad *intellectum* aut quoad *voluntatem*.

S 3

§. XIII.

§. XIII.

*Exceptio-
nes adver-
sus iudicem
possibiles.*

His praemissis facile erit intelligere, duo ponenda esse genera exceptionum aduersus iudicem opponendarum. Alterum exceptiones incompetentiae, alterum exceptiones inhabilitatis complectitur (§. 13. obs. 47. §. 10. et 12.). Exceptio incompetentiae aut incompetentiam ratione personae, aut incompetentiam ratione causae (§. 10.), et exceptio inhabilitatis aut inhabilitatem ratione intellectus aut inhabilitatem ratione voluntatis determinat (§. 12.).

OBSERVATIO XLIX.

Ad §. 236.

DE

SENTENTIA.

§. I.

*Sententia
quid.*

Sententia hoc loco significat declarationem, quid obuia in controuersia sit iusti atque iniusti, seu, quod idem est, pronunciationem iudicis causae controuersiae decisionem continentem.

§. II.

*Est conclusio
syllogismi.*

Qua ex definitione patet, sententiam esse conclusionem syllogismi, cuius maior est lex seu principium iuris, et minor obuium factum, cuius constitutionem species facti exhibet.

SCH. Sit syllogismus.

Posito tali facto secundum principia iuris tale ponendum est.
Obuium factum est tale

E. obuium quoad factum secundum principia iuris tale ponendum est.

Hocce in syllogismo maior est principium iuris, minor propositio ex specie facti formata, et conclusio sententia.

§. III.

§. III.

Qualitas itaque sententiae ex iis iudicari debet, quae de qualitate conclusionis logicus docet. Quare, quum conclusio sit vera, quae ex veris principiis legitime deducta, conclusio vero aut ex falsis principiis aut illegitime illata inter veras referri nequeat, nisi veritas huius alia quadam ratione corroborata sit; manifestum est, sententiam esse veram quae ex vero principio iuris veroque facto legitime illata: sententiam vero, quae aut ex falso principio iuris, aut ex falso facto, aut illegitime illata, inter veras non referendam esse sententias, nisi veritas huius alia quadam ratione sit euieta (§. 1. 2.)

§. IV.

Quicquid legibus conueniens, sensu generaliori vocatur *iustum*, et quicquid legibus non conueniens est, sensu generaliori vocatur *iniustum*. Sententia quae ex vero principio iuris veroque facto legitime illata legibus conueniens est. Recte ergo vocatur *sententia iusta*. Et sententia, quae ex falso principio iuris, aut ex falso facto, aut illegitime illata, pro tali sumi potest, quae legibus non conueniens. Ideoque *iniusta* vocatur. Vera itaque sententia est iusta, falsa vero iniusta. (§. 3.)

§. V.

Triplici itaque ratione fieri potest, vt sententia sit iniusta. Primo, si ex falso principio iuris, secundo, si illegitime, tertio, si ex propositione, quam species facti non inuoluit, aut quae ex specie facti non satis probata formatur, sit illata. Sententia quae ob primam aut ob secundam causam iniusta est, vocatur *nulla*, et sententia, quae tertiam ob causam iniusta est, vocatur *iniqua*. Ex his facile erit intelligere, cur sententia, quae contra ius in thesi consideratum formata, *nulla*, et quae contra ius in hypothesis pronunciata *iniqua* a doctoribus sit vocata.

§. VI.

§. VI.

Inde fundamenta exceptionum aduersus sententiam ponuntur.

Notum est ex logicis, opponentis esse, in primis dispicere, num forte syllogismi forma vitio quodam laboret, et ubi nihil in forma vitii haeret, num in altera praemissarum aliquid, quod falsum est, latitet. Exceptiones aduersus sententiam sunt oppositiones (§. 13. obs. 47.). Qui itaque aduersus sententiam exceptiones quasdam opponere cupit, is recte agit, si primo discipit, num sententia ex principiis, quae sumta sunt, legitime illata, et deinde num maior seu principium iuris sit verum, & minor seu factum ex specie facti sit rite illatum satisque probatum (§. 3.).

§. VII.

Earumque genera explicuntur.

Quare, quum sententia, quae illegitime aut *ex falso* principio iuris illata, sit nulla, et sententia, quae *ex falso* aut non satis probato facto illata sit iniqua (§. 5.); manifestum est, duo esse genera exceptionum aduersus sententiam opponendarum, quorum primum *nullitate* et alterum *iniquitate sententiae* constituitur (§. 6.). Nullitatem itaque aduersus sententiam oppositurus aut formam syllogismi esse illegitimam, aut maiorem seu principium iuris, ex quo alter argumentatus est, esse falsum, probare debet.

§. VIII.

Ponitur elegans quaestio et respondetur.

Elegans hic quaestio non est praetermittenda: *An iudex secundum acta et probata praecise, an vero secundum conscientiam iudicare debeat.* Varias hac in re doctorum sunt opiniones. Quidam affirmatiuam, quidam negatiuam sustinent. Accipe meam hac de re sententiam breuiter. Iudicis, qua talis, officium est, iustam ferre sententiam. Iusta vero lata est sententia, quae ex vero principio iuris et ex facto satis probato legitime illata (§. 4.) Iudex itaque secundum acta et probata praecise iudicans id facit, quod per officium iudicis, qua talis, fieri debet. Si itaque tale iudicium sit contra conscientiam, causa huius erit, quia principium iuris, quod maioris loco ponitur, et quod in foro receptum naturali repugnat aequitati. Hoc vero posito,

sito, quaestio illa spectat doctrinam de potestate mutandi leges, easque secundum aequitatem corrigendi. Eiusmodi vero potestas ex idea iudicis, qua talis, non sequitur (§.9. obs. 48.) Conf. §.60. ff. obs. 47.

SCH. De iudice, qui litem suam facit, eo loco dicturi sumus, quo doctrina de causa damni sumus euoluturi.

OBSERVATIO L.

Ad §. 252.

DE

EGOISMO MORALI.

§. I.

Quemadmodum eum, qui non nisi sui, quatenus nempe anima est, existentiam realem admittit, adeoque entia cetera, de quibus cogitat, non nisi pro ideis suis habet, *egoistam* vocant metaphysici *a*): ita *egoistam* significatione morali sumtum vocamus eum, qui, non alia officia, quam quae sui ad perfectionem ducunt, obseruanda esse, putat. Hunc merito *egoistam* vocamus. In ea enim est persuasione, omnia esse propter se ipsum.

SCH. Huncce ad egoismum moralem omnes accedunt, in quorum ore est *EVPHEMI* dictum *b*), nihil iniustum esse, id est, officii erga alios repugnans, quod vtile, adeoque iusta humanae rationi ea esse, quae par necessitas indicit, caeterum quae fieri possunt, ea fieri a validioribus, ab infirmioribus tolerari. Commodiorem huius turbae aduocatum *CARNEADE* Cyrenaeo, nouae academiae tertiae post *PLATONEM* & *ARCESILAM* conditore, acutissimo & eloquentissimo inter Graecos philosopho dari non posse. censet *GROTIUS* *c*). Persuadere enim conabatur, iustitiam, id est, officia erga alios suo cum incommodo obseruare, esse stultitiam, adeoque iustitiam per se non esse expetendam, sed ob adhaerentem illi utilitatem suam. Politici statum ciuitatis publicum, & iura

DARIES OBS. L. N. T. II.

T

maiestas

maiestatica delineantes egoismum illum moralem vocant *Machiauellinum*.

a) vid. *Per-III. de WOLF in Psychol. rat. §. 38.*

b) *I. B. & P. Proleg. §. 3.*

c) *I. c. §. V. & XVIII. Conf. CICERO Cap. III. de Republ.*

§. II.

Natura finis explicatur.

Egoismum illum moralem rectae rationi minime consentaneum esse, probaturus, *primo* in naturam finis atque mediorum, & *deinde* in diuersos inquirere debeo effectus, qui inde eueniunt, si id, quod medium sit, pro fine, & id, quod finis sit, pro medio a nobis habeatur. Fiat id breuiter. Notum est, philosophis inter finem & usum hoc esse discriminis, quod finis est causa, propter quam principaliter efficiens agit: usus vero, ad quem res minus principaliter est ordinata. Ita finis vini principalis, propter quem a Deo creatum est, est alimentum: usus est sanatio vulneris: & finis gladii, ad quem ab artifice fabricatus est, est pugna: usus incisio arboris, vel sectio panis. Sunt verba KECKERMANNI. a) Ex quibus patet, *finem actionis* esse id, quod *actio ex intentione agentis efficiat*, seu cuius gratia est actus seu negotium.

a) vid. *Systematis Systematum Lib I. Tom. II. Cap. I. p. m. II.*

§. III.

Qui semper inuoluit defectum.

Qua ex definitione colligimus: *finem nos in eo non possumus ponere, in quo nullus est defectus*. Quum enim finis sit id, quod actio ex intentione agentis efficiat (§. 2.); manifestum est, finem ante non existere, quam actio, cuius sit finis, existens facta. Quicquid non existit, existere tamen potest, id deficit. In eo itaque nos non possumus ponere finem, in quo nullus est defectus.

§. IV.

Conseffaria

Si itaque eum in finem agamus, vt id, quod adest, conferuetur; consequens erit, ea deficere, quae ad illud conferuandum necessaria. Porro, si eum in finem agamus, vt id, quod

quod adest, augeatur atque amplificetur; consequens erit, augmentum illud atque amplificationem defecisse. (§. 3.)

SCH. Idem est, quod canon philosophorum inuoluit, finem esse primum in intentione, & vltimum in executione. Porro inde patet, causam mouentem a finali in hoc differre, quod causa mouens eo tempore, quo sit mouens, possit esse existens, causa vero finalis, eo tempore, quo sit finalis, non existat nisi in ideis. Sic v. g. nexus rerum, qui obueniens est, me mouet, ad determinatae cuiusdam rei cognitionem mihi acquirendam, futura vero illa adquisitio est finis.

§. V.

Qui ad finem quendam obtinendum agit, is finem illius sumit, vt principium, ex quo, vtrum ea, quae adsunt, & quae ad agenda obueniunt, sibi sint bona an mala, colligit. Finis est principium cognoscendi vtrum aliquid sit bonum an malum. Qui enim ad determinatum quendam finem obtinendum agit, eius ex intentione finis ille existens fiat (§. 2.). Id nobis bonum iudicamus, quod ei, quod volumus, conueniens, & malum, quod ei, quod volumus, repugnat (§. 17. I. N.). Qui itaque ad finem quendam obtinendum agit, is finem illum sumit vt principium cognoscendi, vtrum ea, quae obueniunt, sibi sint bona an mala.

SCH. Sic in republica bonum iudicamus, quod fini ciuitatis conueniens, & malum, quod fini ciuitatis repugnat.

§. VI.

Quicquid ea ex ratione agimus, vt finis, quem posuimus, existens fieri possit, id vocatur *medium*, seu, quod idem est, quod rationem existentiae finis contineat. Medium quid.

§. VII.

Ex quo facile patet, fieri posse, vt alio respectu sit medium, quod alio respectu est finis. Quod certo respectu finis esse potest. Qui enim ea ex ratione aliquid facit existens, quia sit medium ad finem quendam obtinendum, eius ex intentione actio medium illud efficiat.

T 2

Quare,

Quare, quum id, quod actio ex intentione agentis efficiat, sit finis (§. 2.); sequitur, fieri posse, vt alio respectu id sit medium, quod alio respectu est finis.

§. VIII.

*Finium sub-
ordinatio.*

Iam facile ostendi poterit, quid sit *subordinare fines*, & quid sit *finis intermedius* atque *ultimus*. Per *finium subordinationem* intelligimus eiusmodi finium connexionem, qua alter fiat ratio existentiae alterius.

SCH. Sic finem collegii subordinat fini reipublicae, qui finem collegii eo dirigit, vt inde finis reipublicae fiat existens.

§. IX.

*Finis inter-
medius &
ultimus.*

In finium itaque subordinatione alter finis est medium alterius (§. 6.). Finis, qui est medium alterius, vocatur *intermedius*. Et qui non fit medium alterius, vocatur *ultimus*.

§. X.

*Medium
non semper
est finis.*

Quicquid est medium, id non semper est finis. Quum enim medium sit, quod rationem existentiae finis contineat (§. 6.), id vero, quod rationem existentiae finis continet, possit esse existens, licet non ex intentione agentis existens facta; manifestum est, media non semper inter fines esse referenda (§. 2.).

SCH. Sic saepissime ea, quae existunt, licet non ex intentione nostra existentia facta, eo dirigimus, vt finis, quem posuimus, fieri possit existens. Sumimus itaque vt medium, quod, qua tale, non est finis.

§. XI.

Consuetudina.

Ex quo patet *primo*: media, quae sunt fines intermedii, esse species mediorum, medium vero esse genus, quod duas continet species, quarum *altera*, ea inuoluit media, quae fines intermedii esse possunt, *altera*, ea inuoluit media, quae inter fines intermedios referri nequeunt. Et *secundo*: ex eo, quod

quod media, quae sunt fines intermedii, denotent defectum eius, in quo ut fines ponuntur, (§. 3.) non sequi, omne medium inuoluere defectum. *Tertio:* aliud esse, aliquid existens facere, quod sit medium ad finem obtinendum, aliud, id quod existit, eo dirigere, vt finis, quem posuimus, inde existens fieri possit.

§. XII.

Id, quod nobis dat rationem ad aliquid agendum, non semper est finis. Per se enim patet, id, quod iam existit, nobis ad agendum dare rationem. Sed id, quod iam existit, non est finis actionum (§. 2.). Manifestum ergo est, id quod nobis ad agendum dat rationem, non semper esse finem.

Idem ea, quae sequitur, argumentatione corroboro. Idea perfectionis nobis dat rationem ad agendum (§. 17. I. N.). Intuitus itaque eius, qui perfecta ratione agit, in nobis excitare potest conatum, ad illum in agendo illa ratione imitandum. Perfecta itaque agendi ratio, quam in altero obseruamus, nobis ad agendum dat rationem, licet non sit finis (§. 2.).

SCH. Sumas contrarium, & concedes, obligationem esse finem legis, quod manifeste falsum est.

§. XIII.

Non-nulli *finem intentionis a fine consecutionis* distinguunt. a) *Finem*, quem definiuimus, vocant *finem intentionis*, & id, quod praeter intentionem agentis primariam sequitur, vocant *finem consecutionis*. Sic *laus comitatur virtutem* non semper vt finis intentionis sed vt finis consecutionis.

a) vid. ANDR. REYHERVS in *Synopsi Philosophiae* p. 36. Edit. IV.

§. XIV.

Sed diuisio illa, non est resolutio generis in species, *Hic non est sed resolutio aequiuoci in sua aequiuocata.* Germani distinguunt *de quo hoc*

loco est sermo.

guunt den Endzweck oder die Absicht der Handlung von der Folge. Finis intentionis est die Absicht. Finis consecutionis die Folge. Nos sermonem facimus de fine intentionis. Finem consecutionis, qui cum fine intentionis conueniens est, non auersamur, licet non sit id, quod actio nostra, nostra ex intentione, efficiat.

§. XV.

Et ab illone distinguendus.

Haec bene distinguenda esse, ex eo quoque patet, *quia virtuti conueniens esse potest, ex fine consecutionis rationem ad aliquid agendum sumere, virtuti vero repugnans id, quod est finis consecutionis, sumere vt finem intentionis.* Caius suis perfectionibus etiam alios perficit, sequitur inde honor Caii. Caius hocce ex honore sumit rationes ad suis perfectionibus etiam alios perficiendos, & regulis perfectionum viuit conuenienter. Caius huncce honorem spectat vt finem intentionis, & vocatur, honoris cupidus, qui non ea agit ratione, quae perfecta est. Sed de hoc suo loco plura.

§. XVI.

Finis an melior sit medio.

Haec, quae explicata sunt, ut opinor, *sufficiunt, ad naturam medii atque finis distincte perspiciendam.* Inquiramus in relationem medii ad finem ea ratione, qua ad scopum, quem obseruationi obuia posuimus, ducit. Primo itaque de regula: *finis melior est mediis ad finem.* Haec mea ex sententia non vniuersaliter vera est. Sumitur haec regula a nonnullis philosophis ad decidendas controuersas & morales & politicas. Operae itaque pretium erit, in hanc rem accuratius inquirere. Primo itaque audiamus regulae defensores, & deinde meam hac de re sententiam.

§. XVII.

Sententia veterum hac de re.

Sit defensorum interpres acutissimus DANIEL STALD, qui hac de regula ea, quae sequitur, ratione loquutus est: *Finis melior est mediis ad finem, vel quod eodem recidit: propter quod aliquid expetitur, melius est eo, quod propter ipsum expetitur, ut sanitas medicamentis, victoria praelio, portus nauis*

navigatione melior est. *Οἱ χαρίοντες καὶ πρακτικοὶ* ait, ARISTOTELES, honores appetunt propter virtutem, vt nimirum se ipsos probos & virtute praeditos esse probent. Virtus igitur ex eorum sententia est melior, & per consequens summum bonum in honore ab illis constitui nequit.

a) in regulis philosophicis P. I. Disp. VIII. Reg. II.

§. XVIII.

Ratio autem, *pergit*, regulae potest assignari haec. Quicquid appetibile est, bonum est, vt passim ARISTOTELES, cum appetibile vel sit ratio formalis boni, vel tanquam proprium *πάθος* eam sequatur. Ergo quod magis est appetibile, est magis bonum, iuxta illud: *sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis*. At finis est magis appetibilis, quam media, quia propter ipsum media appetuntur. Sed propter quod vnumquodque tale est, illud magis tale est.

§. XIX.

Porro. Sed obiicitur *primo*: sunt, qui bonarum litterarum studiis incumbunt, aut in bello egregie rem gerunt, aliasue praestantissimas functiones obeunt, nullam aliam ob causam, quam vt inde ditescant, aut ad summas dignitates euehantur, qui fines certe mediis illis deteriores sunt.

§. XX.

Secundo. Serrae finis est sectio, oculi videre, equus expetitur ad iter, seruus ad expedienda negotia domestica. Hos fines, tanquam actiones aut motus, mediis illis, tanquam substantiis, praestantiores esse, absurdum est.

§. XXI.

Tertio. Imo ipsius hominis finis est aliqua operatio, quandoquidem quorum est aliqua operatio aut functio, eorum finis consistit in illa functione. Sed quae operatio hominis ipso homine sit nobilior?

§. XXII.

§. XXII.

quarta.

Quarto: Sol & luna a Deo creata sunt, vt diuidant diem & noctem, vt sint in signa, & illuminent terram, quae omnia illis sunt longe ignobiliora.

§. XXIII.

Responsio ad primam.

Porro. Ad *primum* respondet SVAREZ, caussam finalem perfectiorem esse mediis, si ordo in finem sit rectus, & iuxta institutionem naturae; posse autem ordinari res perfectiores, etiam ipsum DEVM ad imperfectiores, sed illum ordinem esse peruersum, & a recta ratione, & ab eo, quod naturae rerum postulant, alienum. Quae responsio ad mentem ARISTOTELIS a), vbi disputans, bona animi praestantiora esse bonis corporis & fortunae, inter alia hoc vtitur argumento, quod haec natura expetibilia sint propter illa, & omnes bene sanae mentis homines expetere haec debeant propter illa, & non illa propter haec. Quod argumentum nostra regula niti euidens est.

a) Cap. I. Lib. VII. Pol.

§. XXIV.

huius continuationis.

Responderi quoque, *pergit*, aliter potest, nempe quomodo quilibet finis dicitur bonum, eo modo etiam accipiendum esse, cum dicitur finis melior iis, quae ad finem destinantur. At cum dicitur, finem esse bonum, tum id, quod reuera huiusmodi est, tum, quod apparet, esse intelligitur, secundum regulam: *omnis finis est bonum quid.* Sic ergo dicendum, finem esse meliorem iis, quae ad finem aut reuera, aut ratione illorum, qui ea ad finem referunt, quatenus scilicet isti melius quidem expetunt propter deterius, quod tamen pro meliori habent; sicut illi, qui rerum scientiae vacant, aut in bello praeclaram nauant operam propter diuitias aut honores, diuitias & honores dubio procul potiores esse censent.

§. XXV.

§. XXV.

Quantum *ad secundum* dicitur aliquid melius vel *τιμωτέρα* - *Responsio ad*
τερον, bifariam, *απλῶς, καὶ ἡμῖν*, absolute, siue in se & sua na- *secundam.*
 tura, & deinde nobis, siue respectu nostri, quia nobis est
 conuenientius. v. gr. Lupus natura sua praestat pane, quia
 lupus est substantia animata, sensu praedita; sed nobis est
 panis lupō melior. Et ARISTOTELES a), vbi illa distinctio-
 ne utitur, docet, animam non natura tantum esse meliorem,
 quam corpus aut fortunam, sed & nobis. Sufficit, finem
 esse meliorem quam media nobis, licet media in se sint prae-
 stantiora. Et hoc modo se habent illa, quae in argumento
 efferuntur. Quo pertinet, quod scribit ARISTOTELES b)
nemo, inquit, *velit visum habere ea lege, ut non videat, sed*
conuincat & oculos claudat. Idem de auditu caeterisque di-
 cendum. Proinde quorum usus & habitus est, melius & opta-
 bilius eorum usus est habitu.

a) L. VII. Cap. I. Pol.

b) L. I. Magn. Mor. Cap. III.

§. XXVI.

Ad *tertium* ex sententia quorundam responderi posset, *ad tertiam.*
 cum hominis finis aliqua eius operatio esse dicitur, finem
 tum quoque esse nobilius quid ipso homine, non vt opera-
 tio per se & seorsim sumitur, sed vt simul comprehenditur
 subiectum, nempe homo, ex quo tanquam fine *cui*, & opera-
 tione tanquam finem *cuius*, vnus integer coalescit finis, qui
 est homo operans vel hominem operari. Quae responsio
 etiam quadrat in illud de oculo, qui nobilior est actu vi-
 dendi, quatenus tamen oculus eo destinatus est, vt ipsum
 animal videat, atque ita finis ille & visionem, & animal, cui
 illa bono est, complectitur, finis ille nobilior est oculo.

§. XXVII.

Sed quid si aliter ita respondeamus, nempe, aliud est *huius conti-*
 medium, vel id quod appetitur propter finem ab aliquo, *mutatio.*

DARIES OBS. I. N. T. II.

V

aliud

aliud est agens primum, vel id, quod appetit aliquid. Regula finem eo, quod aliquid eius gratia appetit, melius esse dicit. Homo est id, cuius est aliquis finis, & quod finem appetit, ut scientiam aut aliam aliquam ἐνέργειαν, non id, quod propter finem appetitur.

§. XXVIII.

porro consi-
quatur.

Sunt tamen, *pergit*, & viri eruditissimi, qui id quoque, quod appetitur, eo quod appetit, melius esse posse afferunt. Cum enim non inconueniens sit, aliquid diuerso respectu tum nobilius, tum ignobilius esse, hominem e. g. tanquam substantiam, simpliciter & absolute nobiliorem scientia aliisque eius operationibus tanquam accidentibus, esse profertentes, secundum quid tamen ignobiliorem esse statuunt. Habet enim homo in se aliquid, quod est ratio appetendi aliquam ἐνέργειαν v. g. actum sciendi. Illud est potentia ad scientiam, vel quod potentia est sciens, quod est ignobilius quid scientia ipsa, sicut homo potentia est ignobilior homine actu. Id igitur, quod appetitur, nobilius est ipso appetente, quoad id, quod appetenti est ratio appetitus, *sed* vero est potentia.

§. XXIX.

Responsio ad
quartum.

Ad *quartum* respondetur: Finis solis & lunae, aliorumque corporum coelestium, est mundus hic inferior, ut ipse *AVERROES a)* ait, quod *EX ARISTOTELE b)* desumi posse videtur, & imprimis homo, tum quia is inter res sublunares citra controuersiam est nobilissima, tum, quia aliae illarum ad ipsum tanquam ad finem referuntur, quod innuit *ARISTOTELES c)*. At si nullum aliorum, quae sub coelo continentur, praestantius est coelo, certe non negandum videtur, hominem ipsi praestare. *AVGVSTINVS d)* scribere non dubitat, muscam soli esse praefendam. Quod si solem & lunam cum illuminatione, distinctione temporum, & signis, quae praestant, comparemus, dicimus & haec meliora esse quam illa, non absolute, sed nobis vel mundo huic inferiori, propter quem facta sunt.

a) Com-

- a) *Comment. XVII. Lib. I. de celo.*
 b) *Meteor. L. I. Cap. II.*
 c) *L. II. Pbyf. 24. & L. I. Pol. Cap. VIII.*
 d) *de duob. anim. contr. Manich.*

§. XXX.

Hactenus STALIVS. Nunc examinanda erunt ea, quae in argumentationibus, quibus ad corroborandam theſin vſus est, & in reſponſionibus ad ea, quae in contrarium adducta ſunt, latent, & ſatis patebunt principia, ex quibus ea, quae hac de re ſentio, legitime fluunt. *Bonum ſubſtantive ſumptum a bono adiective ſumpto diſtingui debet.* *Primo* patet ex iis, quae dicta ſunt, vſui loquendi eſſe conueniens, diſtinguere *bonum abſolute ſumptum a bono relative ſumpto, ſeu bonum ſubſtantive ſumptum a bono adiective ſumpto.* Illud eſt ſubſtantia, quatenus tales habet determinationes, quae nil remouent de iis, quae per naturam ſeu notionem ſubſtantiae poſſunt poni. Hoc eſt accidens, vel operatio, quatenus nil remouet de iis, quae per notionem eius ad quod refertur, poſſunt poni. Conſ. ea, quae obſeruatione X. de perfectione & imperfectione a nobis dicta ſunt.

SCH. Sic homo eſt bonum ſubſtantive ſumptum, quatenus tales habet determinationes, quae nil remouent de iis, quae per notionem entis rationalis poſſunt poni. Et eruditio Caii eſt bonum adiective ſumptum, quatenus nil remouet de iis, quae per eſſentiam Caii poſſunt poni.

§. XXXI.

Deinde notandum eſt, fieri non poſſe, vt vnum altero melius vocetur, niſi ad commune aliquid relata, quod ea, quae poſſunt, docet. Hocce theorema, ea, quae ſequitur, argumentatione corroboro. Ponamus A eſſe melius B. Ergo bonitas ipſius A maior erit bonitate ipſius B. Sed vnum altero; maius vocare idem eſt, ac rationem quantitatum ponere (§. 23. Math. vniu.). Qui rationem quantitatum ponit, iſ ſumit commune aliquid, ad quod quantitates illas refert (§. 25. 41. Math. vniu.). Ergo & A melius vocari nequit altero B,

nisi bonitates illorum ad commune aliquid relatae. Quare, quum aliquid ea ex ratione bonum sit, quatenus nil remouet de iis, quae per notionem eius, quod sumitur, possunt poni (§. 30.); manifestum est, fieri non posse, vt vnum altero melius vocetur, nisi ad commune aliquid, quod ea, quae poni possunt, docet relata.

SCH. I. Sic Caius ea ex ratione melior est Titio, quia Caius tales habet determinaciones, quae de iis, quae per notionem hominis possunt poni, minus remouent, quam determinaciones, quae Titio insunt. Porro medium A melius vocari nequit medio B, nisi quatenus ad eundem referuntur finem C, & determinaciones ipsius A minus de iis remouent, quae per notionem ipsius C possunt poni, quam determinaciones alterius B. Tandem finis A ea ex ratione melior vocatur sine B, quia minus de iis remouet, quae per notionem finis possunt poni, quam ea, quae fini B insunt.

SCH. II. Ex quo patet, lupum meliorem esse pane, quatenus referuntur ad notionem substantiae, fieri vero posse, vt panis sit melior lupo, quatenus ad nostram referuntur conseruationem. Et quae reliqua.

§. XXXII.

*Quod ad
relationem
medii ad finem
adcom-
modatur.*

His praemissis, facile erit perspicere veritatem eorum, quae sequuntur: primo: *Medium quod ad finem obtinendum ducit, est bonum; fieri tamen non potest, vt, qua tale, melius sine, aut finis melior medio vocetur.* Ponamus medium ad finem, quem sumimus, obtinendum ducere; consequens erit, medium illud non remouere ea, quae per notionem finis, quem sumimus, possunt poni. Medium itaque illud in relatione ad finem, quem posuimus, est bonum (§. 30.). Quum vero medium, qua tale, & finis, ad quem ducit, non ad commune aliquid referantur, quod ea, quae poni possunt, docet, sed finis, qui sumitur sit terminus, ad quem medium illud, qua tale, refertur; manifestum est, sine ideis loqui, qui medium illud melius sine, aut finem meliorem medio vocat (§. 31.).

SCH.

SCH. Ponamus, Caium tribus thaleris adquirere rem A. Quis inde concludet, rem A meliorem esse tribus thaleris. Tres thaleri habent quantitatem. Res A habet quantitatem. Est hoc sufficiens ad dicendum, illam quantitatem maiorem vel minorem esse hacce quantitate?

§. XXXIII.

Secundo: Id, quod per notionem finis, rationi conuenientis potest poni, est imperfectionis remotio. Quum enim finis, ad quem obtinendum agi potest, semper inuoluat defectum eius, in quo finis ponitur (§. 3.); sequitur, per notionem finis nil posse poni, nisi remotionem defectus, ideoque aut remotionem defectus perfectionis aut imperfectionis. Si illud, finis, qui sumitur, rationi erit repugnans (§. 106. I. N.); manifestum itaque est, id quod per notionem finis rationi conuenientis ponendum, esse imperfectionis remotionem.

*Notio finis
ponit im-
perfectionis
remotionem*

SCH. I. Sunt, qui *finem indigentiae* distinguunt a *sine perfectionis*. Hisce theorema a nobis demonstratum non vniuersaliter verum erit, sed illud solummodo de sine indigentiae, non vero de sine perfectionis valere docebunt. Sed harum erit partium explicare, quid sit finis perfectionis, si nimirum finis significet die Absicht, den Endzweck, non vero terminum, seu die Folge. Mihi eiusmodi finis perfectionis est terminus sine notione. Audiamus hac de re STEPHANVM BLOZ, sic ille a): Dicunt, nimirum qui finem mundi esse in Deo negant: *Omnia quaecunque propter aliud sunt, illi propter quod sunt, sunt aliquod bonum*: ideoque videntur omnia haec, quae propter Deum sunt, afferre Deo bonum aliquod; quemadmodum etiam omnia sunt propter hominem, quia illi bonum siue commodum aliquod afferunt: At quid Deo ex creaturis resultat commodi? Resp. cum SCALIGERO b): *ambigua significatione sumitur illa propositio, cum dicimus omnia esse propter hominem, & homo cum reliquis creaturis propter Deum: quia ut esset, & ut bene esset opus his habuit. Deus autem non ita: Imo Deo opus habet homo, ut sit & ut bene sit.* Distinguendum igitur inter *finem indigentiae & finem perfectionis*. Homo est

finis

finis indigentiae aliarum creaturarum, quia ad sui commodum indiget aliis: Deus autem est finis perfectionis a quo omnia accipiunt perfectionem, indeque ad illum sese referunt.

a) in Theol. nat. Disp. XI. §. 35.

b) Exerc. CCL. f. I.

SCH. II. Sed primo, nego, ex eo, quod se aliquid ad aliud refert, sequi, hoc esse illius finem, nimirum die Absicht, sermo non est de termino. Fœcunditas terrae se refert ad solem. Sed quis inde inferre poterit, solem esse finem fœcunditatis terrae. Deinde notum est, diuisiones, quae non ex conceptu generis concipiendae, fundamento destitutas esse. Euoluas, quaeso, definitionem de fine, quam ipsi sumunt dissentientes, nimirum id, propter quod causa efficiens agit, & ostendas, quomodo hac ex definitione, quae ut conceptus generis sumitur, ea finium species, quae perfectionis vocatur finis, concipienda. Salua itaque manebit res mea, & manifestum erit, finem illum perfectionis non denotare finem, qui significat den Endzweck, sed finem, qui idem est, quod terminus.

§. XXXIV.

Inde quaeritur in finium bonitate concipiatur.

Ex quo tertio patet, finem A meliorem esse sine B, si A plurimum imperfectionum inuoluit remotionem quam B, ideoque finem optimum esse, qui in omnium imperfectionum remotione, quae possibilis est, ponitur. Quum enim id, quod per notionem finis ponitur, sit imperfectionis remotio (§. 33.), & id, quod obueniens est, ea ex ratione bonum sit, quia nil de iis remouet, quae per notionem eius, ad quod refertur, possunt poni (§. 30.); manifestum est, quantitatem, quae finis bonitati inest, consistere in multitudine perfectionum, quae eiusmodi sine remouentur. Finis itaque A ea ex ratione melior est sine B, quia plurimum inuoluit imperfectionum remotionem quam B. Q. e. p.

Optimum est, quo non datur melius. Is itaque finis est optimus, quo melior non est possibilis. Quare, quum quantitas bonitatis, quae fini inest, consistat in imperfectionum multi-

multitudine, quarum remotioem eiusmodi finis inuoluit (per dem. in. 1.); sequitur, eum finem esse optimum, qui in omnium imperfectionum remotioem, quae possibilis est, ponitur. Q. e. a.

§. XXXV.

His praemissis facile erit respondere ad argumentationem, qua finem meliorem esse mediis corroborant dissentientes, de qua §. 18. Primo nego principium, quod sumitur: *propter quod unum quodque tale est, id magis tale est* (§. 31.). Deinde nego, *finem magis appetibilem esse quam media* (§. 32.). Medium enim ea ex ratione appetimus, quia ad finem, quem posuimus, ducit. Quis vero inde inferre poterit, appetitum finis maiorem esse appetitu medii. Sed causa, quae appetitum medii excitat, sit appetitus finis. Effectus vero non maior est causa. Dicis, in collisione mediorum cum fine, finis medio praefertur. Ergo finis magis appetitur quam medium. Ergo finis melior est medio. Sed nego consequentiam. Finis medio praefertur non ob quantitatem bonitatis, sed quia finis est ratio, ob quam appetimus medium. Posita itaque finis cum medio collisione, ratio appetitus in relatione ad medium cessat. Medium itaque non appetimus, non quia est bonum minus fine, sed quia posita illa collisione cessat esse medium. Et quae reliqua.

Respondetur ad argumentationem quae finem meliorem esse medio defendat.

§. XXXVI.

Quicquid ut medium, ad finem quendam obtinendum sumimus, id, si cum fine nostra saltem ex opinione collidat, vitamus. Quicquid enim ut medium ad finem obtinendum sumimus, id ea ex ratione nobis bonum iudicamus, quia ad finem illum obtinendum ducit (§. 5.). Ponamus medium illud cum fine collidere; consequens erit, causam cessare, cur illud nobis bonum iudicauerimus. Posita illa collisione medium illud fini, quem posuimus, repugnat. Finem volumus. Ergo vitamus id, quod ante ut medium a nobis sumtum est.

Media in collisione cum fine vitamus.

§. XXXVII.

§. XXXVII.

Magni interest, utrum aliquid pro medio an pro fine habeatur.

Ex quo satis patet, magni interesse, utrum aliquid pro medio an pro fine a nobis habeatur. Sumas A ut medium, quod ad finem B obtinendum ducat, & B, si cum A collidatur, ipsi A præferendum esse, iudicabis. Sumas A ut finem, ad quem obtinendum B ut medium ducat, & A, si cum B collidatur, ipsi B præferendum esse iudicabis (§. 36.). Magni itaque interest, utrum A pro fine, an pro medio a nobis habeatur.

SCH. Sic v. g. qui acquisitionem facultatum externarum ut medium sumit, quod ad Titii ducit salutem, is in collisione eiusmodi acquisitionis cum salute Titii hancce præfert. E contrario, is acquisitionem facultatum externarum illa in collisione præfert, qui Titii salutem sumit ut medium, quod illam ad acquisitionem ducit.

§. XXXVIII.

Egoista sumit officia erga alios ut media.

Egoista moralis officia erga alios observanda spectat solummodo ut media, quae sui ad perfectionem ducant. Quum enim egoista significatione morali sumtus, non alia officia quam quae sui ad perfectionem ducunt, observanda esse putet (§. 1.); manifestum est, finem omnium actionum egoistae morali sui ipsius esse perfectionem (§. 2.). Si itaque ad alios perficiendos, aliorumque perfectiones conservandas agat, hoc ea solum ex ratione faciet, quia sic medium, quod sui ad perfectionem ducat (§. 6.). Officia ergo erga alios observanda spectat solummodo ut media, quae sui ad perfectionem ducunt.

§. XXXIX.

Ergo officia erga se ipsum præferri.

Sequitur inde, egoistam moralem in collisione officiorum erga se ipsum & erga alios officia erga se officiis erga alios semper præferre (§. 36 - 38.).

§. XL.

Egoista non agit ex fine optimo.

Egoista moralis, qua talis, non agit ex fine optimo. Quum enim egoista moralis finem, ob quem agit, in sui ipsius imperfe-

perfectionum remotione ponat (§. 38.); sequitur, finem actionum, quem egoista moralis sumit, non esse omnium imperfectionum remotiorem, quae possibilis est. Manifestum inde est, egoistam moralem, qua talem, non agere ex fine optimo (§. 34.).

§. XLI.

Ex quibus patet, *egoismum moralem sanae rationi atque sapientiae repugnare*. Quum enim sana ratio iubeat, ut regulis perfectionum conuenienter viuamus (§. 2. obs. 33.); regulae vero perfectionum iubeant, ut bonum maius minori praeferramus (§. 93. Cor. 2. IN.); manifestum est eum, qui non agit ex fine optimo, non ea agere ratione, quam sana iubet ratio. Porro sapiens agit ex fine bono (§. 229. IN.). Sed finis non optimus in relatione ad finem optimum non est finis bonus (§. 140. IN.) Ergo sapientiae repugnat, non agere ex fine optimo. Egoista moralis, qua talis, non agit ex fine optimo (§. 40.). Manifestum itaque est, egoismum moralem & sanae rationi & sapientiae repugnare.

§. XLII.

Dissentientes ea, quae sequitur, ratione argumentantur: amor a se ipso incipit. Amor itaque sui ipsius est ratio, quae amorem erga alios excitat. Si ratio sit in collisione cum eo, quod inde sequitur, id praefendum erit, ad quod ratio illa ducit. Ergo & in collisione amoris sui ipsius cum amore erga alios amor sui ipsius praeferrari debet, seu, quod idem est, in collisione officiorum erga se ipsum & erga alios, officia erga se ipsum praeferranda sunt. Egoista itaque moralis iis, quae sana iubet ratio, conuenienter viuit.

§. XLIII.

Respondeo: Amorem a se ipso incipere concedo, nego vero, quae inde illata sunt. Haec enim ex falsa regulae interpretatione fluunt. Argumentatio, quae regulam illam

corroborat, docet, hunc esse regulae sensum: Primi, quos sentimus, stimuli naturales nos ducunt ad nostram conseruationem, nostrasque augendas perfectiones. Sed quem in finem? hunc non stimuli naturales, sed sana docet ratio, id-eoque ad finem optimum obtinendum. Sed quis est finis ille optimus? sana ratio respondet, omnium imperfectio-num remotio, quae modo possibilis (§. 34.). Amor itaque a se ipso incipit, non eo sensu, vt sit finis omnium officio-rum, sed eo sensu, vt sit initium in perfecta agendi ratione, & medium, quod nos ducit, ad regulis perfectionum conuenienter viuendum.

§. XLIV.

*obislio se-
cunda*

Dicunt alii: Ex eo, quod regulis perfectionum conuenienter viuamus, sequitur quies animi. Hanc quaeramus. Ergo & inde patet, rationi atque sapientiae conuenienter viuere, qui omnium officiorum finem in se ipso ponit.

§. XLV.

Responso

Respondeo: Ex eo, quod regulis perfectionum conuenienter viuamus, quietem animi sequi, concedo, nego vero consequentiam. Quid est quies animi? Notum est, sapientes per quietem animi intelligere eiusmodi statum hominum, quo cum conuictione dicere possunt, nullum perfectionis defectum suis in actionibus ad libertatem relatis habere rationem sufficientem *a*). Qua ex notione patet, quietem animi nobis ad perfectionibus conuenienter viuendum dare rationem, & quietem animi esse finem actionis perfectionibus conuenientis, quem dicunt, consecutionis (§. 13.). Quis vero inde inferre poterit, quietem animi esse finem intentionis, de quo hoc loco sermo est (§. 12. 14.). Porro, quum veri finis natura consistat in imperfectio-num remotio-ne (§. 33.); manifestum est, quietem animi esse regulam eligendi finem, non vero finem.

a) vid. die philosophische Sittenlehre §. 46. ff.

§. XLVI.

§. XLVI.

Addamus quaedam de usu doctrinae. *Primum* docent ^{usus doctri-}
 ea, quae P V F E N D O R F verbis, quae sequuntur, monuit a) ^{nae pri-}
 „cum certum sit, saepe numero multorum vitam seruari non ^{ms}
 „posse, nisi pro iis alii probabili sese vitae periculo expo-
 „nant; id quoque constat, ex iussu imperantis legitimi pos-
 „se alicui iniungi obligationem, vt eiusmodi periculum de-
 „clinari ipsi non liceat, ni grauissimas subire poenas velit.
 „Quo fundamento obligatio militum nititur. Egregie so-
 „CRATES apud PLATONEM: *Quo quisque in loco vel se*
 „*ipsum constituit, arbitratus id optimum esse, vel a superiore*
 „*subicitur consistere, in eo permanere oportet, periculumque sub-*
 „*ire, neque mortem, neque aliud quidquam magis, quam tur-*
 „*pitudinem formidantem.* Sed neque in ipsa ratione natura-
 „li, neque in diuinis litteris, quae vitam pro fratribus pro-
 „fundere iubent, quidquam repugnare videtur, quo minus
 „etiam citra tam rigidum imperium vltro quis probabili sese
 „vitae periculo pro aliis exponere queat; modo spes aliqua
 „sit, istud in aliorum salutem cessurum, & hi digni sunt, qui
 „tam care redimantur. Nam id stolidum fuerit, alteri peri-
 „turo sese frustra comitem addere, aut egregium virum pro
 „homine nauci iugulari. Vnde etiam nos licitum putamus,
 „vt quis pro altero, praesertim innocente ac praestanti vi-
 „ro, vadem sese constituat, aut ad securitatem salutis multo-
 „rum obsidem se dedat, sub periculo mortis subeundae, si
 „reus se non stiterit, aut pactum non fuerit seruatum.

a) IN & G. Tom. I. lib. II. Cap. IV.

§. XLVII.

Praeclara illa sunt, quae P V F E N D O R F I V S exposuit. ^{buius con-}
 Sed sumas egoismum moralem rationi non repugnare, ^{tinnatio}
 omnia fundamento erunt destituta. Si enim secundum ius
 naturae officia erga nos officiis erga alios, quatenus colli-
 duntur, semper sint praeferenda; iuri etiam naturali erit re-
 pugnans, sese probabili vitae periculo pro aliis exponere,

X 2

aliis

aliis iniungere obligationem, ut eiusmodi periculo sese exponant. Ex quibus porro erit consequens, obligationem militum, qua talium, fundamento iuri naturali conueniente minime niti. E contrario sumas, egoismum moralem rationi repugnare, & erit consequens, in collisione officiorum erga nos ipsos & erga alios id praefendum esse, quod maiorum imperfectionum efficit remotionem. Si itaque maiores imperfectiones eo remoueantur, quo nos pro aliis probabili vitae periculo exponimus, quam sui ipsius conseruatione; ius quoque naturae nobis, ad periculum illud praefendum, iniungit obligationem. Ea itaque, quae PVFENDORFIVS bene monuit, fundamento, quod iuri naturali conueniens est, non destituta sunt; si ea rationi conuenientia sunt, quae de egoismo morali demonstraui.

§. XLVIII.

usus secundus

Porro nostra de egoismo morali doctrina usum praestat in corroborandis iis, quae GROTIUS *de lege de non resistendo superioribus* bene monuit *). Hancce legem de non resistendo superioribus esse iuris naturalis, eamque quoque nos in grauissimo & certissimo discrimine obligare, suo demonstraturi sumus loco. Sed sumas, egoismum moralem rationi conuenientem esse, & facile perspicias, legem illam de non resistendo superioribus fundamento, quod aequitati naturali conueniens est, destitutum esse. Sumas vero nostram de egoismo morali doctrinam, & facile intelliges, legem illam rationi esse conuenientem, quia eiusmodi in casu non resistendo maiorum imperfectionum ponitur remotio quam resistendo.

a) I. B. & P. Lib. I. Cap. IV.

§. XLIX.

usus tertius

Tandem nostra de egoismo morali doctrina sanctissimae quoque nostrae religionis dogmatibus fundamentalibus maxime conueniens est. Inter dogmata enim illa merito id refertur, quod docet, CHRISTVM nobis reliquisse exemplum,

plum, quod sequamur. Iam vero CHRISTVS salutem generis humani suae praetulit vitae. Suo itaque exemplo docuit, egoismum, moralem sanae rationis repugnare principiis. Non nulli dicunt, hocce CHRISTI exemplum sublimius aliquid habere, quod *ad obedientiam passivam*, qua DEO satisfecit, non vero *ad obedientiam activam*, qua leges observavit, pertinet, nostrarum vero partium esse, ut obedientiam CHRISTI activam, non vero, ut obedientiam passivam imitemur. Sed salva erit res mea. Concedo exceptionem illam, quam CHRISTVS in collisione fecit, ad obedientiam passivam pertinere, sed hoc etiam loco valebit, unius positionem non inoluere alterius exclusionem. Pertinet simul ad obedientiam activam, inuoluit enim observationem legis de vitando egoismo morali. Enim tertium eumque sublimiorem huius legis usum.

§. L.

Lex de vitando egoismo morali docet, leges, quae officia Conclusio
erga nos ipsos praescribunt, esse leges minus fundamentales. generalis

Quum enim lex illa de vitando egoismo morali officia erga nos ipsos observanda ea solum ratione praescribat, qua sint media ad obtinendum finem optimum, qui est omnium imperfectionum remotio, quae possibilis est (§. 38. 40. 34.) manifestum est, legem illam de vitando egoismo morali leges, quae officia erga nos praescribunt, ut tales delineare, quae determinant actiones, quae ad scopum quendam obtinendum conducunt. Eiusmodi leges vocantur minus fundamentales (§. 47. Obs. 19.). Ex lege itaque de vitando egoismo morali patet, leges, quae officia erga nos ipsos praescribunt, esse leges minus fundamentales.

SCH. Lex: *Conserua te ipsum inter leges fundamenta-*
les Sch. §. 47. obs. 19. a nobis refertur. Et §. 264. Cor. IN
demonstrauimus, nullum corpori animali maiorem morte acci-
dere posse imperfectionem. Manifestum itaque est, illis in lo-
cis sermonem solummodo esse de officiis erga nos separatim

spectatis, non vero de officiis erga nos, quatenus cum reliquis officiis, quae debemus, connexa.

OBSERVATIO LI.

Ad §. 266.

DE

STATV NECESSITATIS.

§. I.

Ratio infiniti

Bene monuit CICERO *a)*, duplicem esse necessitatem, simplicem seu absolutam, cui nulla vi resisti potest, quae neque mutari neque leniri potest; & necessitudinem cum adiunctione. Hanc iterum esse triplicem, ad honestatem, ad incolumitatem, ad commoditatem. Inquiramus in eiusmodi necessitatum naturas, regulasque posita necessitate observandas, quo doctrina de iure & favore necessitatis clara perspicuaque possit euadere.

a) Conf. RUFENDORF IN G. Lib. III. Cap. VI. §. I.

§. II.

Status necessitatis quis

Quum id per nos necessario fiat, cuius oppositum per nos est impossibile; manifestum est, nos in *statu necessitatis* vivere, si vnicus solummodo agendi modus per nos possibilis est.

§. III.

qui est vel necessitatis simplicis, vel cum adiunctione.

Notum est ex metaphysicis, impossibilitatem esse vel simpliciter, vel secundum quid seu certa solum sub conditione talem. Ex quo patet, duo status necessitatis concipienda esse genera. Posito nimirum necessitatis statu, aut simpliciter per nos impossibile est, vt alia, quam determinata quadam ratione, agamus, aut id per nos solummodo certa sub conditione impossibile est. Si illud, *status ille erit necessitatis simplicis*, & si hoc, *status necessitatis hypotheticae seu cum adiunctione*.

SCH.

SCH. Sic, qui vi quadam, cui nulla ratione resistere potest, ad agendum determinatur, in statu simplicis necessitatis viuit. Inter eiusmodi status is quoque referri potest, quo simpliciter impossibile est, vt quis id praestet, ad quod praestandum obligatus fuit. Id quod illustrari potest solutione pecuniae mutuo sumptae, si nulla ratione eiusmodi pecuniae adquisitio in debitoris potestate fuerit sita.

§. IV.

In statu simplicis necessitatis, qua tali, nulla possibilis est electio. Huius vero possibilitas in statu necessitatis cum adiunctione potest poni. Primum ea, quae sequitur, argumentatione euinco. Quo in statu non plures agendi rationes per nos fieri possunt, eo quoque in statu nulla electio per nos possibilis est (§. 49. I.N.) Sed in statu simplicis necessitatis, qua tali, plures agendi rationes per nos fieri nequeunt (§. 3.). Ergo & in statu simplicis necessitatis, qua tali, nulla possibilis est electio. Q. e. p.

In hac non vero in illa valet electio

Alterum argumentum, quod sequitur, probat. Vbi plures agendi rationes possibiles sunt, ibi quoque electio possibilis est (§. 49. I.N.). Sed in statu necessitatis cum adiunctione plures agendi rationes per nos possibiles sunt (§. 3.). Ergo & in eiusmodi statu, qua tali, possibilis est electio. Q. e. a.

§. V.

Hisce ex principiis legitime sequitur, in statu simplicis necessitatis, qua tali, omnes cessare leges morales: in statu vero necessitatis cum adiunctione quarundam legum moralium obseruationem possibilem esse (§. 38. obf. 19.). In statu itaque necessitatis simplicis sine omni limitatione valet regula: *necessitas non habet legem*, quae vero in statu necessitatis cum adiunctione non valet, nisi restricta quadam significatione.

Ergo & in illo non vero in hoc cessant leges morales.

§. VI.

Officia, quae nobis aliisque debemus, aut spectant con-

Tres status obseruationis necessitatis

cum adiun-
tione spe-
cies poni
possunt.

servationem bonorum, quae nobis aut per naturam competunt, aut quae factis adquisuimus, aut virium nostrarum amplificationem, aut tandem decorum. In statu itaque necessitatis cum adiunctione determinata agendi ratione nobis impossibilis est, aut sub conditione officiorum, quae conseruationem, aut sub conditione officiorum, quae amplificationem virium, aut sub conditione officiorum, quae decorum spectant. Si primum, status necessitatis erit talis cum adiunctione ad incolumitatem, si secundum ad commoditatem, & si tertium ad honestatem. CICERONI enim officia honesti eadem sunt, quae hodie officia decori vocantur.

§. VII.

Quaenam
ex hisce fit
extrema
necessitas.

Status necessitatis cum adiunctione ad incolumitatem a doctoribus vocatur *summa* seu *extrema necessitas*. GROTIUS huncce statum vocat *grauissimum & certissimum discrimen*. a).
a) vid. I. B. & P. Lib. I. Cap. IV. §. VII.

§. VIII.

Status ne-
cessitatis re-
latiue spe-
ctari debet

Hisce ex notionibus patet primo, statum necessitatis, qui in concreto ponitur, non absolute, sed relative concipiendum esse, nimirum in relatione ad subiectum, sub cuius incolumitate commoditate vel honestate aliquid nobis est impossibile. Sic extrema necessitas reipublicae ab extrema necessitate Principis distinguitur. Illa se refert ad incolumitatem reipublicae, haec ad incolumitatem principis.

SCH. Hoc usum praestat in explicando pacto, quo Princeps se obligat, vt ne in statu quidem necessitatis extremae sine statuum consensu cum extraneis foedus velit facere. Regulae enim, quae interpretationis praescribunt modum, docent, hoc de statu extremae necessitatis, quae se refert ad rempublicam, non de statu extremae necessitatis, quae se refert ad Principem, intelligendum esse.

§. IX.

& inuoluit
legum colli-
sionem.

Deinde ex dictis patet, in statu necessitatis cum adiunctione esse legum collisionem (§. 3. & §. 2. obs. 28.). Quae itaque

itaque obf. XXVIII. de collisione legum generatim, obf. XXIX. de collisione legum naturalium, obf. XXX. de collisione legum positivarum cum naturalibus, & obf. XXXI. de collisione legum positivarum inter se evoluta sunt, ad quaeriones, quae in statu necessitatis ponuntur, adcommo-
dari possunt.

§. X.

Satis, vt opinor, in locis illis citatis demonstratum est, in legum quoque collisione certas obseruandas esse regulas ab eo, qui iusta agere iniustaque vitare cupit. Regula itaque: *necessitas non habet legem*, quatenus sine restrictione sumitur, spectat solummodo necessitatem simplicem. Quatenus vero spectat statum necessitatis cum adiunctione, hic est regulae sensus: in statu necessitatis altera lex, quae in se obligatoria, vim obligandi amittit.

*Explicatio
regulae: ne-
cessitas non
habet legem*

SCH. Non sine commodo erit, hac de re ea euoluere, quae B. GLAFEY verbis, quae sequuntur, monuit a): Gleichwie man in dem Fall, da zwey Befehle dergestalt zusammen lieffen, daß, wenn das eine befolget werden soll, das andere nothwendig hindangesehet werden muß, nicht sagen kan, daß alle beyde Befehle Ihre Verbindlichkeit verliehren und auffhören, hienächst auch die Fälle der Noth dennoch Ihre gewisse Regeln und Vorschriften der Vernunft haben, wornach sich ein Gerechtigkeit liebender Mensch in vorfallenden Begebenheiten zu richten hat: So fällt gar deutlich in die Augen, daß die gemeine Regel: Noth hat kein Befehle, entweder ganz und gar ohne Grund seyn müsse, oder doch anders nicht verstanden werden könne, als daß im Fall der Noth ein höherer und stärkerer Befehl ein sonst verbindliches Befehle unbesolgt zu lassen gebiethe. Es haben also die Churfürsten des Reichs, die Kayserliche Majestät in Dero Wahl-Capitulation hin und wieder bey verschiedenen Fällen dergestalt vinculiren lassen, daß dieselben in gewissen Vorfällen mit keinerley Noth, wie sie Nahmen haben mag, sich zu entschuldigen versprechen müssen.

DARIES OBS. I. N. T. II.

Y

wel

welches nimmermehr geschehen konte, und wider alle Vernunft kauffen würde, wenn der *Casus necessitatis* allemal excipirt bliebe, und gar keine Vorschrift litte.

a) Im Recht der Vernunft *Cap. V. §. 121. 122.*

§. XI.

Regula prima in statu necessitatis observanda a non-nullis posita

Sed quoniam sunt regulae, quas in statu necessitatis cum adiunctione observandas sana praescribit ratio? Ea, quae locis in citatis de legum collisione demonstravimus, respondebunt. In non-nullis dissentit B. GLAEEY. Operae pretium est, sententiam dissentientis evolvere, & ad eandem respondere. Prima, quam hac de re doctissimus dissentiens ponit, regula haec est a): *Daß ich meine Conseruation über- all, denen Pflichten gegen andere Menschen, wenn beyde nicht zugleich von mir beobachtet werden können, vorzuziehen habe, es sey denn, daß mir mein Oberherr mein Leben dem Staat zum Besten zu wagen, gebieth, auf welchen Fall ich demselben vermöge meiner, ex nexu reipublicae herfließenden Ob- liegenheit, zu gehorsamen, schuldig seyn würde.* Rationes, quibus thesin hancce corroborare cupit sunt b) *prima*, quia DEVS atque natura nos ad sui ipsius conseruationem obligat: *secunda*, quia officia erga nos officis erga alios non sunt subordinata, ideoque obligationes erga alios non sunt vehementiores obligationibus erga nos.

a) l. c. §. 104.

b) *vid. Cap. IV. §. 2. und folgende.*

§. XII.

remitter

Quum vero nostra hac de re sententia huic repugnet vid. §. 19. & §. 27. obl. 29.; necesse erit, in eiusmodi rationum veritates, & an conclusio legitime inde sit illata, inquirere. Quod primam attinet rationem, eam concedo, sed nego, id inde sequi, quod inde illatum est. Non enim ponitur quaestio, an natura nos ad sui ipsius conseruationem obliget, sed an semper haec obligatio in statu extremae necessitatis obligationibus erga alios sit praesferenda. Ipse doctissimus

Stiffimus dissentiens in iis, quibus regulam illam limitat, tacite hanc nostram concedit sententiam. Si enim obligatio, quae nos ad sui ipsius ducit conseruationem, in omni statu necessitatis erit praeferenda, mandatum illud Principis erit contra ius naturae praeceptium.

§. XIII.

Quoad alteram rationem, quod officia erga nos officii erga alios non sint subordinata, ideoque obligationes erga alios non sint vehementiores obligationibus erga nos, nego huius vniuersalitem. Subordinationem illam satis, vt opinor, probaui §. 50. obs. L. Et iterum doctissimus dissentiens secundum ea, quae dixit, eandem concedere debet. Si enim per naturam impossibile sit, vt obligatio illa, quae ad sui ipsius ducit conseruationem, obligationibus erga alios subordinetur; per naturam quoque obligatio illa militum, qua regulam generatim positam limitat, erit impossibilis, ideoque mandatum illud Principis naturae repugnans. vid. §. 46. f. obs. L.

§. XIV.

Pergit à). „Was werden wir vor seltsame Schlüsse bekommen, wenn wir die Socialität, id est, ex sententia doctissimi, mi dissentientis, relationem ad genus humanum seu ad vniuersum, zur einigen Raifon der Pflichten gegen uns machen, und diese iener schlechterdings subordiniren, oder in collisione nachsetzen wollten: denn weil das socialis esto, nicht nur verträglich zu seyn erfordert, sondern auch, dies auf dem Rücken mit sich bringet, daß ein ieder sein eigenes Beste dem Wohl der Gesellschaft nachsetze: so würde folgen, daß ich bey dem Moderamine allemahl zufoerdest darauf zu sehen hätte, ob dertelige, so mich anfällt, der Societät nützlicher als ich wäre, angesehen man, im Fall die Conseruatio propria der Socialität subordiniret wäre, nicht um sein Selbst willen, sondern der Societät zu gefallen sich zu wehren schuldig seyn werde. Hieraus würde ferner das andere absurdum folgen, daß einer, wenn er nicht wüßte, daß

„daß sein Aggressor der menschlichen Gesellschaft weniger, als er
 „nütze, sich nicht wehren dürfte, weil keiner das Wohl der Socie-
 „tät in Gefahr setzen, und in contemptum legis, welches doch
 „in zweifelhaften Fällen geschiehet, agiren darf. Es würde das
 „dritte *absurdum* folgen, daß diejenigen, so Meriten gegen die
 „menschliche Gesellschaft haben, fast alles ohne Widerstand thun,
 „und andere Menschen vor Hunde halten könnten, wodurch wir
 „der Tyranny die Thür öffnen, und das Geseze der Natur, wel-
 „ches die Menschen gleich zu tractiren verlangt, kräncken wür-
 „den. Es würde ferner das vierte *absurdum* folgen, daß ich den
 „Bissen Brod aus dem Munde nehmen, und einem andern, der
 „dessen eben so bedürftig als ich wäre, wenn gleich mein Untergang
 „daraus entspringen sollte, geben müßte, weil mich die Pflichten
 „gegen andere viel stärker binden, als die Pflichten gegen mich
 „selbst. Es würde das fünfte *absurdum* folgen, daß ich mir nicht
 „das geringste Vergnügen machen könnte, woraus die menschl-
 „che Gesellschaft am Ende nicht einigen Vortheil zu erwarten
 „habe. Ja es würde das sechste *absurdum* folgen, daß 10000.
 „Mann gegen eine Armee von 50000. sich nicht wehren dürften,
 „weil an 50000. Mann der Societät mehr als an 10000. getes-
 „gen, und dieselbige durch die mehrere Anzahl stärker, mühin vor
 „die Bergewaltigungen desto sicherer zu seyn scheint. Et quae
 „sunt reliqua.

a) l. c. Cap. IV, s. 40. f.

§. XV.

quae hypo-
 thesa non
 accurate
 posita
 supponunt

Sed *primo* notandum est, eos, qui officia erga se ipsum
 socialitati subordinata esse docent, per officia socialitatis,
 mea quidem sententia, non intelligere officia erga alios, sed
 officia ad vniuersum ideoque ad finem optimum (vid. §. 34.
 obl. 50.) relata. Et hoc posito non semper officia erga nos
 officiis erga alios, nec semper officia erga alios officiis erga
 nos praeferenda esse, sed id officium in statu necessitatis ef-
 se praefereendum, quod fini optimo maxime conueniens.
 vid. §. 50. obl. 50.

§. XVI.

§. XVI.

Deinde, quoad conclusiones sumta ex hypothese illas, nego conclusiones illas inde sequi, aut eas, quae inde sequuntur, esse absurdas. *Quod primam attinet*, non perspicio, cur eiusmodi conclusio sit absurda, si modo casus recte formetur, qui est hic: *utrum in statu extremae necessitatis vita mea an mors praeferenda, si nimirum mors mea sit medium maiores imperfectiones e mundo remouendi quam vita*: si absurdum sit, ut eiusmodi in casu mortem praeferamus, quae erit iusta causa de lege de non resistendo superiori, de obligatione militis, & quae reliqua. *Quoad alteram* nego eam sumta ex hypothese sequi. Posita ex subordinatione sequitur contrarium. Quum enim casus sit dubius, utrum officii erga me an officii erga alios observatio fini optimo maxime erit conueniens, nulla erit ratio officium erga me, ad quod natura me primo loco ducit, (§. 43. obs. 50.) negligendi. *Quoad tertiam* iterum nego consequentiam. Primo enim defensionem sine alterius interitu a defensione cum alterius interitu distinguere debemus. Deinde, eiusmodi homo, quem obuius in casu B. Opponens ponit, non est medium imperfectiones remouendi sed augendi. *Quoad quartam* nego consequentiam, ratio negationis eadem est, quae ad conclusionem secundam. *Quoad quintam* iterum nego consequentiam. Hoc sumta ex hypothese sequitur, ut omnis voluptas naturae sit repugnans, quae imperfectionum fieri poterit causa. Haec conclusio non est absurda. *Tandem quoad tertiam* iterum consequentiam falsam voco. Ratio huius ea est, quae est prima ad conclusionem tertiam. Porro notum est, id, quod ad finem optimum ducit, non esse hominum multitudinem, sed moralem, ut dicunt, qualitatem boni.

Et aut non legitime dilata aut non absurda sunt

§. XVII.

Altera dissentientis regula est: Gleichergestalt müssen *altera regula* die Pflichten gegen andere Menschen denen gegen mich weichen, *la. reuocatur* wenn mich ein natürlicher Fall in Noth bringt, weil die Pflichten

ten gegen andere, denen gegen mich, subordiniret sind. a). Sed hic merito notandum, rationem sumpta ex hypothese regulae non esse probatam. Fieri enim potest, ut officia erga me officiis erga alios sint subordinata. Quia & officia erga me & officia erga alios subordinata sunt fini optimo, ad quem ducat socialitatis.

a) I. c. Cap. V. §. 105.

§. XVIII.

Favor necessitatis

Sed de his satis, reliqua ex doctrina de legum collisione clara, &, ut opinor, perspicua sunt. Addamus quaedam de favore necessitatis. *Primo*, quid favor necessitatis, & *deinde*, quinam eiusmodi favoris effectus secundum ius naturae? Quemadmodum *per favorem iuris* doctores intelligunt eiusmodi iuris constitutionem, quae nos ab iis liberat, quae secundum rigorem iuris fieri debent: sic *favor necessitatis*, qui etiam a non-nullis vocatur *ius necessitatis*, est eiusmodi iuris constitutio, qua nobis factum, quo in statu necessitatis legem violavimus, minus imputandum, quam secundum rigorem iuris.

§. XIX.

huius fundamentum

Quum in statu necessitatis legum collisione obueniens sit (§. 9.); manifestum est, favoris necessitatis fundamentum secundum ius naturae eam esse regulam; quae facto legibus repugnanti ob collisionem, quae obueniens fuit, minorem ponit moralitatem, quam quae eiusmodi facto non concurrente legum collisione ponenda (§. 180. & §. 217. Cor. 2. I. N.).

§. XX.

et officia

In statu simplicis necessitatis nulla est actionis moralitas (§. 4. & §. 163. Cor. 2. I. N.). In statu necessitatis cum adiunctione actionum moralitas potest poni (§. 4. & §. 162. I. N.). Qui in eiusmodi statu actionem contra legem determinat, aut regulas, quae modum excipiendi praescribunt, obseruat, aut eas non obseruat. Si prius, actio illius non erit

erit mala nec obligationi repugnans (§. 107. & §. 91. IN.). Si posterius, actio illa erit moraliter mala ideoque sub imputatione mali (§. 217. IN.). Ex quo patet, duos esse fauoris necessitatis generatim sumti effectus, aut enim, ut cum GRO-TIO loquar *a)* nos *defendit*, aut *excusat*. *Nos defendit*, si nos ab omnibus liberat confectariis legum violationi constitutis. *Nos excusat*, si nos non quidem ab omnibus, tamen ab iis liberat confectariis, quae legum violationi secundum rigorem iuris constituta sunt.

a) I. B. & P. Lib. III. Cap. XI. §. IV.

§. XXI.

Moralis status simplicis necessitatis et status necessitatis Defensio cum adiunctione, in quo exceptio secundum leges instituta, effectus est defensio. Quum enim in statu simplicis necessitatis nulla maneat actionum moralitas (§. 20.); sequitur, eiusmodi actionem actori non posse imputari (§. 217. IN.). Moralitas itaque eiusmodi status effectus est defensio (§. 20.).
Q. e. p.

Sit porro in statu necessitatis cum adiunctione exceptio secundum leges instituta; consequens erit, actionem non esse moraliter malam (§. 91. IN.), ideoque a malis confectariis ex imputatione inferendis liberam (§. 217. IN.). Ex quo patet, moralem eiusmodi status effectum esse defensio-nem (§. 20.). Q. e. a.

§. XXII.

Status necessitatis cum adiunctione, in quo exceptio contra leges instituta, efficit excusationem ea ratione, ut huius quantitas determinetur a quantitate metus, quem status ille necessitatis in agente excitauit. Quum enim eiusmodi actio non sit sine moralitate, non tamen cum summa moralitate coniuncta (§. 162. & 180. IN.); manifestum est, actionem illam agentem non ab omnibus quidem liberare confectariis ex imputatione inferendis, tamen ab iis, quae secundum rigorem

rigorem iuris eiusmodi legum violationi in se consideratae constituta sunt. (§. 217. IN.). Efficit itaque status ille necessitatis excusationem (§. 20.). Q. e. p.

Malum, quod ut aduenturum cogitamus, excitat metum (§. 25. IN.). Ergo & in statu necessitatis cum adiunctione metus nos, ut contra legem agamus, determinat (§. 3. & 6.). Qua ex causa eiusmodi actio naturam actionis per violentiam secundum quid sic dictae accipit (§. 163. & Sch. c. §.). Ex quo immediate sequitur, quantitatem illius excusationis a quantitate metus, quem status ille necessitatis in agente excitavit, dependere (§. 162. & 163. Cor. 1. IN.). Q. e. a.

SCH. Ex quo patet, fauorem necessitatis strictissime sumtum valere solummodo in statu necessitatis cum adiunctione, in quo exceptio contra leges instituta. Quid enim significet fauor in mitiganda imputatione, ubi nulla imputatio ad malum habet locum.

§. XXIII.

An qualitas
metu hoc
loco spe-
ctanda

Non - nulli quidem cum THOMASIO a) in ea sunt sententia, ut metus, qui eiusmodi excusationem efficiat, ex parte inferentis iniustus, & ex parte patientis iustus esse debeat, id est, ut metus sine iure sit iniectus & non sine causa sufficiente excitatus. Sed ex eo, quod in imputatione non quaeritur, quid factum, sed quo animo aliquid factum sit (§. 217. IN) manifestum est, illud non spectandum esse in quaestione de excusatione, sed de excusationis quantitate.

a) in Iurispr. diu. Lib. I. Cap. I.

§. XXIV.

ponitur de-
binis

Alii ad hanc accedunt sententiam, qua metus in iudicio imputatorio non excusat, quia quod metu agimus, cum deliberatione ideoque cum moralitate agimus. Sic hac de re Celeberrimus MULLERVS a) „was der Mensch aus Furcht „thut, das thut er aus Ueberlegung der Gefahr, oder eines künftigen „bevorstehenden Uebels, das sich also, weil es künftig ist, nicht „anders

„anders als durch Ueberlegung denken läßt: und was der Mensch
 „aus Ueberlegung thut, das thut er aus dem Grunde der Bewe-
 „gungs-Ursachen: wo diese sind, da ist eine Wahl: und wo man
 „wehlet, da ist Freyheit: also thut der Mensch alles, was er aus
 „Furcht angetrieben thut wahrhaftig freywillig und willkürlich;
 „welches man auch a posteriori daher erkennen kan, daß es Ihm
 „möglich ist, das was er aus Furcht thut z. E. wenn er in Lebens-
 „Gefahr schiehet, auch nicht, und an dessen Stelle das Gegentheil
 „zu thun z. E. in der Lebens-Gefahr Stand zu halten, und sich
 „bis auf den letzten Bluts-Tropffen zu wehren. Thut demnach
 „der Mensch das, was er aus Furcht thut, freywillig: so kan die
 „Furcht kein wahrhaftiger Zwang seyn: indem eine freywillige
 „That, die doch erzwungen sey, sich selbst widerspricht. Dabe-
 „ro irret meines Erachtens PUFFENDORF b) da er die Regel,
 „quae quis coacte patitur, aut agit, imputari nequeunt, als
 „so erkläret: Coactum autem habetur, non solum, quan-
 „do principium motus est in alio, qui per vim alterius ab-
 „horrentis & renitentis membra ad aliquid agendum aut pa-
 „tiendum applicat, sed etiam quando quis intentato vi-
 „tae periculo aut alio grauissimo malo, ab altero com-
 „pellitur ad suscipiendam executionem facinoris quod
 „ipse alias vehementer auersatur, ita tamen, vt non ipse
 „sed aliter ille eius facinoris autor haberi velit. So viel will
 „sich gar gern einräumen, daß wenn ein Mensch dasjenige lieber
 „und willig thut, wozu er sonst, wenn er nicht wollte, gleich iezo
 „gewiß wird gezwungen werden; und da er also durch den Wider-
 „stand sich nur mehrere vergebliche Noth machen würde, solche an
 „sich selbst zwar freywillige That dennoch dem Zwange, als wel-
 „cher, wenn die That unterlassen würde, unmittelbar darauf er-
 „folgen würde, ziemlich nahe komme, z. E. wenn eine belagerte
 „Festung, die nun so weit bezwungen ist, daß sie der Feind ohn-
 „fehlbar mit Sturm erobern wird; sich lieber freywillig ergiebt,
 „wenn SOCRATES, dem seine Richter gewiß nicht am Leben las-
 „sen werden, den Gift-Becher willig austrinckt; wenn ein Dieb
 „willig zum Galgen gehet, dahin man Ihn sonst durch wahrhaf-
 „tigen Zwang schleppen wird. Allein es ist dem ungeachtet noch
 D A R I E S O B S. I. N. T. II. Z „ein

„ein großer Unterschied unter einem wahrhaftigen Zwange, und
 „einer solchen willkürlichen Zuorkommung derselben: dieweil in
 „jenen nichts willkürliches ist, und er also schlechterdings nicht
 „zugerechnet werden kann; da hingegen dem Zwange durch selbst
 „eigene That zuorkommen, allerdings seiner Natur nach eine will-
 „kürliche That ist: immassen es in unserer Freyheit stehet, den
 „Zwang abzuwarten, oder Ihm durch willkürliches Thun zu-
 „vor zu kommen, und bald das ein, bald das andere, besser seyn
 „kann; da denn, nachdem der nach reifer Ueberlegung gefasste Ent-
 „schluß, dem Zwange entweder durch freywillige Bequemung zu-
 „vor zu kommen, oder Ihm lieber abzuwarten, den Befehlen ge-
 „mäs ist, oder nicht, er allerdings entweder zu Lobe oder zu Tadel
 „gereicht, indem man in gedachter Ueberlegung und Entschliessung
 „so wohl treffen als fehlen können, welche Beschaffenheit der Na-
 „tur des Zwanges gänzlich widerspricht. Kan nun ein willkürli-
 „ches Thun und Lassen, durch welches man einem bevorstehenden
 „wahrhaften Zwange zuorkommt, noch nicht einmahl vor einen
 „recht eigentlichen Zwang geachtet werden, wenn auch das will-
 „kürliche Thun und Lassen eben denjenigen Effect herstellt, der
 „durch den bevorstehenden Zwang bewircket werden soll, z. E.
 „wenn eine Festung sich dem Feind ergibt, der gleich iesz im
 „Begriff ist, sie mit Gewalt hinweg zu nehmen; so wird es viel-
 „weniger vor einen Zwang geachtet werden können, wenn das will-
 „kürliche Thun und Lassen, durch welches man einer bevorste-
 „henden Gewaltthätigkeit zuorkommt, einen ganz andern Effect
 „herstellt, als der durch die Gewaltthätigkeit hergestellt werden
 „soll, nemlich (wie Puffendorf den Fall setzet) quando quis in-
 „tentato vitae periculo, aut alio grauisimo malo, ab altero
 „compellitur ad suscipiendam executionem facinoris, quod
 „alias quantumuis vehementer auerfatur: Denn da stehet es
 „ja völlig bey der freyen Wahl des Bedroheten, zu welchem von
 „beyden unterschiedenen Effecten er es wolte kommen lassen, und
 „in seiner freyen Ueberlegung, welches von beyden gerechter oder
 „klüger sey. Dahero kan ein solcher Zufall keinesweges ein Zwang
 „seyn, wie Puffendorf meinet. Es thut auch nichts zur Sache,
 „quod non ipse agens, sed alter ille, eius facinoris autor
 „haberi

„haberi velit: indem es bey der Zurechnung menschlicher Thaten
 „nicht darauf ankommt, wovon der Urheber derselben gehalten
 „werden wolle, oder nicht wolle, sondern darauf, wer es durch
 „sein willkührliches Thun und Lassen in der That sey. Aus wel-
 „chem allen denn erhellet, daß auch die allerhärtesten Bedrohun-
 „gen kein wahrhafter Zwang sind; und daß also die aus Furcht
 „begangenen Thaten eben so wenig aufhören, willkührliche Tha-
 „ten, und also in so weit der Zurechnung fähig zu seyn, als die
 „aus Antrieb anderer Affecten begangen werden: indem, wie im
 „vorhergehenden erwiesen, kein Bewegungs Grund, und also
 „auch keiner, den die Furcht an die Hand giebt, die Freywillig-
 „keit einer That aufhebet, und sie zu einer gezwungenen macht.
 „Insgemein suchet man die Frage, ob das, was man aus
 „Furcht angetrieben thut, zugerechnet werde, dadurch zu entschei-
 „den, daß man einen Unterschied macht, ob die Furcht gerecht,
 „und den Regeln der Klugheit gemäs sey, oder nicht, an metus
 „sic iustus, & talis, qui cadat in virum constantem, nec ne.
 „Aber eben hiedurch muß man ja wohl einräumen, daß, da sol-
 „chermaßen es eine gerechte und unrechtmäßige, eine kluge und al-
 „bere Furcht giebt, also das, was aus Furcht gethan wird, eine
 „freywillige That seyn müsse; indem Gerechtigkeit und Klugheit
 „in keinen andern als freywilligen Thaten vorkommen kan, und
 „daß es also aus dem, was aus Furcht gethan wird, in Ansehung
 „der Zurechnung, just eben die Bewandniß habe, die es mit der
 „Zurechnung aller anderer moralischer Thaten, die nicht aus
 „Furcht, sondern andern Bewegungs Ursachen begangen wer-
 „den, hat. Dasjenige aber, was denen im Sinne gelegen, die
 „in denen aus Furcht unternommenen Thaten eine Ausnahme von
 „den gemeinen Regeln der Zurechnung gesucht, ist das Recht der
 „Noth, als nach welchem freylich eine That, die den ersten An-
 „blick nach den Gesezen zuwider zu seyn scheint, dennoch nach
 „Beschaffenheit der Umstände, vor kein Verbrechen zu rechnen:
 „aber nicht wegen der Furcht, und als ob das, was desfalls ge-
 „than wird, nicht freywillig gethan würde; sonderu weil der End-
 „zweck und folglich der wahre Grund eines Gesezes, in Betrach-
 „tung der Umstände auf dergleichen Fall sich nicht ziehen läßt, die

„Zurechnung aber zu Lobe und Tadel sich auf die Uebereinstimmung oder nicht Uebereinstimmung einer That mit den Gesetzen gründet. Et quae sunt reliqua.

- a) D. AVGVST. FRIDERICVS MVLLEVS in der Einleitung zur Philosophie *solidissime conscripta Part. III. Cap. V. §. 1.* conf. hac de re GLAFEY Recht der Vernunft Cap. I. §. 117. §.
- b) I. N. & G. Lib. I. Cap. V. §. 9.

§. XXV.

et respon-
detur

Sed respondeo *primo*, distinguendum esse metum, qui dat statum necessitatis simplicis a metu, qui dat statum necessitatis cum adiunctione. Illum ab omni imputatione liberare ipse celeberrimus dissentiens ob ius necessitatis concedit. Quod vero metum, qui dat statum necessitatis cum adiunctione attinet, concedo, eum, qui eiusmodi ex metu contra leges agit, ideoque exceptionem legibus repugnantem facit, cum moralitate agere, adeoque eiusmodi factum sub mali esse imputatione. Sed quid inde, hoc non est, quod sententiae nostrae repugnat. Illi, qui eiusmodi metum excusare docent, non ea sunt in persuasione, ut metus ille, defendat, ideoque ab imputatione liberet. Sed haec est illorum sententia, ut eiusmodi metus aliqua ratione excuset, id est, ut factum ob eiusmodi metum minus imputandum, quam metu illo cessante. Sed haec pro scopo satis.

OBSERVATIO LII.

Ad §. 320.

AN ET QUOMODO

NOBIS COMPETAT IUS ALIOS AD OFFICIA INNOXIAE UTILITATIS PRAESTANDA COGENDI.

§. I.

Ratio in-
quis

Ponitur quaestio a doctoribus: utrum officia innoxiae utilitatis inter officia humanitatis atque amoris referenda, quorum ratione nobis non competit ius alterum, ut ea praestet,

stet, cogendi, an inter ea referenda, quorum ratione nobis ius cogendi ipsa concedit natura? Maximi momenti est haec quaestio, ab ea enim dependent controuersiae de vsu fluminum, decisiones quaestionum: an vicinis possimus denegare transitum per nostras terras & regiones? an extraneis possimus denegare ius morandi in territorio nostro? an aduenis expulsis habitatio concedenda? an solum sterile concedendum aduenis id postulantibus? an omnibus concedendum ius aequo pretio sibi emendi necessaria? an natura nobis det feruitatem in alieno territorio? an gens genti negare possit societatem matrimonii? an populus cum populo pacisci possit, ut populus certi generis fructus sibi soli vendat? et quae sunt reliquae. Horum causa, de quibus suo loco, hac in obseruatione euoluturi sumus *primo* notionem officii innoxiae utilitatis, *deinde* exposituri sumus GROTII hac de re sententiam, porro quae circa argumentationes, quibus GROTIUS vsus est, monenda, & *tandem* in veritatem huius rei accuratius inquisituri sumus.

§. II.

Per officia innoxiae utilitatis intelligunt doctores ea, quae sine nostro detrimento in alterius utilitatem praestare possimus. Secundum regulam: quod tibi non nocet & alteri prodest, ad id es obligatus. e. g. erranti monstrare viam, pati ut vicinus lumen de lumine meo accendat.

SCH. I. GRONOVIVS a) innoxiam vocat utilitatem, per quam meum commodum, sine damno alterius, quaero. Inde actio pauperis aduersus diuitem, qui flores suos, vnde pauperis apes mella legebant, veneno infecit.

SCH. II. Bene TESMARVS b) hac de re ea monuit, quae sequuntur: Nullum quidem beneficium danti debet esse noxium: dabo egenti, sed ut ipse non egeam. Accidit tamen plerumque, ut liberalitas nostra, licet non diminuatur, attamen, ut ita loquar, arodat patrimonium nostrum. De tali vero liberalitate sermo hic non est, sed de eiusmodi, quae acci-

accipienti quidem valde utilis est, danti vero minime molesta & noxia, adeoque liberalitatis nomen non meretur.

a) in notis ad GROTIJ Lib. II. Cap. II. §. XI.

b) in notis ad I. C. GROTIJ.

§. III.

GROTIJ
hac de re
sententia

Quaeritur: an nobis competat ius alios, ut eiusmodi nobis praestent officia, cogendi? GROTIJVS respondet affirmando a), putans eiusmodi officia prius postulanda esse: & si negentur, vindicari posse vi atque coactione. Ad thesin hancce corroborandam GROTIJVS sumit, omnia primo fuisse in communione, ideoque cuilibet fuisse ius rebus mundi suam ad conseruationem suamque vtilitatem vrendi. Deinde aucto genere humano, ortoque iustitiae & amoris defectu fieri non potuisse, ut res omnibus sufficerent, si singulis liber earum vsus fuisset concessus. Qua ex causa pacto quodam aut expresso, ut per diuisionem; aut tacito, ut per occupationem res factas esse proprias. Hisce ex principiis infert. Cessante ratione illius pacti, cessare rerum proprietates, ideoque cessante ratione illius pacti nobis ex primaeva communione ius aliquod in res alienas superesse, Quoad officia innoxiae vtilitatis cessare rationem illius pacti. Ideoque horum ratione nobis ex primaeva communione ius aliquod in res alienas superesse. Nobis ergo competere ius ea, quae per officia innoxiae vtilitatis fieri possunt, ab aliis prius postulandi; & si negentur, vi atque coactione vindicandi. *Quicquid*, inquit CICERO b) *sine detrimento possit commodari, id tribuatur vel ignota. Ex quo sunt illa communia: non prohibere aquam profluentem: pati ab igne ignem capere, si quis velit; consilium fidele deliberanti dare, quae sunt iis vtilia, qui accipiunt: danti non molesta.*

a) I. R. & P. Lib. II. Cap. II.

b) Lib. I. offic. 16.

§. IV.

Hocce, quo GROTIJVS vtitur, argumentum examine-
mus.

quae ex-
aminatur

mus. Primaenam illam, quam GROTIUS sumit rerum communionem, nec argumentis historicis, nec philosophicis probandam nego. Sacra historia non docet, DEVM hominibus collectivè sumtis concessisse dominium rerum, sed ius occupandi, ideoque dominium introducendi. Id quod ex concessione post creationem *a*), & ex concessione post diluuium patet *b*). De quo infra in obseruatione de origine dominiorum plura dicturi sumus. Hoc negato manifestum est, res non pacto nec expresso, nec tacito proprias esse factas, ideoque in decidendis controuersis de iure circa res non spectandam esse eiusmodi pacti rationem. Quae cum ita sint, pactum illud merito inter fictiones referimus. Quare, quum fictio non determinet id, quod iure fieri potest, sequitur, argumentationem, qua GROTIUS vsus est, non esse sufficientem ad probandum, nobis per naturam competere ius alios cogendi, vt nobis innoxiae praestent utilitatis officia. Necessè itaque erit, in rem illam accuratius inquirere. Fiat id breuiter, pro scopo tamen satis.

a) Gen. I, 29.

b) Gen. IX, 2.

§. V.

Quemadmodum obligatio & circa committenda, & circa omittenda versari potest: ita & duo concipere possumus officiorum innoxiae utilitatis genera. *Primum* ea inuoluit, quae ad commodationem vis nostrae in alterius utilitatem sine detrimento nostro facimus. *Aalterum* ea inuoluit, quae in alterius utilitatem sine detrimento nostro patimur, ideoque quae in alterius utilitatem non ad commodationem vis nostrae, sed non-resistendo facimus. *Illa* breuitatis & perspicuitatis causa officia innoxiae utilitatis actiua, & haec, officia innoxiae utilitatis passiuu vocabo. *Illa* quoque officia innoxiae utilitatis affirmatiua & haec negatiua, vocari possunt.

Officia innoxiae utilitatis sunt vel actiua, vel passiuu

SCH. Sic v. g. consilium fidele deliberanti dare. Alteri vendere, quod non nobis, sed illi vtile est, sunt officia innoxiae utilitatis actiua. Non prohibere aquam profluentem,

tem, si hoc sine detrimento nostro fieri possit: pati ab igne ignem capere: vicinis non denegare transitum per nostras terras, quatenus hoc sine detrimento nostro fieri potest, flores suos, vnde aliorum apes mella legunt, veneno non inficere, sunt officia innoxiae utilitatis passiva.

§. VI.

Quoad illa extra casum necessitatis ius cogendi nobis non competit.

Officia innoxiae utilitatis activa sunt officia humanitatis seu amoris, ad quae praestanda alios, nisi status necessitatis id permittat, secundum naturam iure cogere non possumus. Qui officium innoxiae utilitatis activum nobis praestat, is vires suas ea ratione, qua id sine detrimento suo fieri potest, in nostram adcommodat utilitatem (§. 5.). Officia itaque illa, si secundum naturam spectentur, sunt officia humanitatis atque amoris (§. 253. 305. ff.). Q. e. p.

Ponamus, nobis secundum naturam, etiam extra casum necessitatis, competere ius alios, vt officia innoxiae utilitatis activa nobis praestent, cogendi; consequens erit, nobis secundum naturam etiam extra casum necessitatis competere ius alios cogendi, vt suas vires ad nostra augenda commoda adcommodent (§. 5.). Quare, quum hoc principio §. 518. IN demonstrato repugnet; manifestum est, eiusmodi ius cogendi nobis extra statum necessitatis non competere. Q. e. a.

Fieri tandem posse, vt eiusmodi ius cogendi nobis in casu necessitatis competat, ex ea manifestum est regula, qua ius ad finem dat ius ad media sufficientia; & ex iis, quae de legum collisione atque statu necessitatis supra demonstrauimus.

§. VII.

Principium generale ex quo fuit nobis ius alius cogendi non competere.

Quicquid sine virium alterius adcommodatione, & sine damno alterius facere possumus, nec officiis erga nos ipsos repugnat, ad id faciendum nobis per ipsam naturam competit ius. Probo hanc thesin argumentatione, quae sequitur. Quicquid saluis legibus naturalibus per nos fieri potest, ad id

id faciendum nobis per ipsam naturam competit ius (§. 150. 151. IN.). Quicquid nec officiis erga nos ipsos, nec officiis erga alios repugnat, id per nos salvis legibus naturalibus fieri potest (quod per se patet.). Ergo nobis per ipsam naturam competit ius ad omne faciendum, quod nec officiis erga nos, nec officiis erga alios repugnat. Quicquid sine damno alterius facere possumus, id non repugnat officiis erga alios perfectis (§. 330. & 325. Cor. 2.): & quicquid sine virium alterius adcommodatione facere possumus, id non repugnat officiis erga alios imperfectis (§. 321. IN.). Nobis itaque per ipsam naturam competit ius ad id faciendum, quod officiis erga nos non repugnat, & quod sine virium alterius adcommodatione, atque sine damno alterius facere possumus.

§. VIII.

Qua ex thesi colligimus: *nobis per naturam competere quod ad officium ab altero postulandi, ut ea fieri permittat, quae sunt officii innoxiae utilitatis passivi.* Quicquid enim est officii innoxiae utilitatis passivi, quod alter nobis debet, id facere possumus sine virium alterius adcommodatione (§. 5.), sine damno alterius, & sine violatione officiorum erga nos ipsos (§. 2.). Sed quicquid illa ratione facere possumus, ad id faciendum nobis per naturam competit ius (§. 7.). Ergo & nobis per naturam competit ius ab altero postulandi, ut ea fieri permittat, quae sunt officii innoxiae utilitatis passivi.

§. IX.

Officia innoxiae utilitatis passiva non sunt officia amoris, sed officia necessitatis. Quodcumque enim officium est tale, illa sunt iuris necessitatis, ut eius violatio inuoluet laesionem alterius, id officium non est amoris, sed necessitatis (§. 326. IN.). Enimvero officium, quod est tale, ut eius violatio inuoluet positionem impediendi, quo minus alter ius suum possit exercere, id est tale, ut eius violatio inuoluet laesionem alterius (§. 329. IN.). Ergo illud officium non est amoris, sed necessitatis.

Qui alteri negat officium innoxiae vtilitatis passiuum, is impedit, quo minus alter ius suum possit exercere (§. 8.). Officium itaque innoxiae vtilitatis passiuum non est officium amoris, sed officium necessitatis.

§. X.

*Conclusio
generalis*

Ex quibus patet, in canone, quod tibi non nocet, & alteri prodest, ad id es obligatus, sermonem esse de obligatione imperfecta, quatenus spectantur officia innoxiae vtilitatis actiua, (§. 6.), de obligatione vero perfecta, quatenus spectantur officia innoxiae vtilitatis passiuua (§. 9.).

SCH. Antiquissimae quidem Gentes saepissime & iis constituerunt poenas, qui officia innoxiae vtilitatis actiua negarunt. Sic v. g. apud Athenienses viam non monstrans, diris deuouebatur, iuxta verbum:

- - - Nescis in Dirarum carmine
Hoc esse, ni quis rectam monstrasset viam
Ignem ni accensit, si quis aquas infecerit.

Sed hoc loco sermo non est de iis, quae sunt ex instituto gentium, sed de iis, quae sunt iuris naturalis.

§. XI.

*quae sententias
dis-sensientium
limitat*

His praemissis, facile erit perspicere, nec vniuersaliter verum esse, quod GROTIUS de officiis innoxiae vtilitatis docet, nimirum nobis per naturam competere ius illa, si negentur, vi atque coactione vindicandi. vid. §. 3. Nec vniuersaliter verum esse, quod alii, v. g. GLASSY *a*), HERTIVS *b*), & qui sunt reliqui, hisce de officiis ponunt, nimirum officia illa esse officia amoris, ad quae praestanda alios extra casum necessitatis iure, quatenus res secundum naturam spectatur, cogere non possumus. Sed accedendum esse ad sententiam GROTII, si sermo sit de officiis innoxiae vtilitatis passiuis (§. 9.), & ad sententiam GLASSEY, HERTII, reliquorumque, si sermo sit de officiis innoxiae vtilitatis actiuis (§. 6.).

SCH.

SCH. a) Es ist, inquit, a) eine Pflicht der Liebe, daß ich dasjenige, was ich auf keine Weise gebrauchen kann, und wodurch mir nichts abgeht, einen andern nicht mißgönne, oder neidischer und leichtsinniger Weise versage. Es heißen dieses officia innoxiae utilitatis, und werden von der Vernunft gar theuer anbefohlen, von denen Menschen aber vielfältig hinten angefehrt.

a) l. c. Lib. III. Cap. IV. §. 59. 60.

b) Diff. de Socialitate primo IN principio Sect. III. §. XII & XV, vid. Vol. I. opusc. p. 84. f.

§. XII.

Quoad argumenta, quibus HERTIVS thesin suam corroborare voluit, quaedam addamus: „Quod vero, inquit, eadem, nimirum officia innoxiae utilitatis, diximus, perfectum ius haut tribuere, ex ratione non vna intelligitur. „Nam socialitas quidem talia vt honesta dicat, ac profecto eidem repugnaret, abnuerem & inuitum eo adigere. Ple- „rique enim omnes beneficium accipere volunt: dare non „volunt: quod id sit utilitatibus contrarium. Deinde magis „gloriosum est, ea hominum pudori relinquere. Quo respexit SENECA Lib. III. de benefic. c. 7. Non est, inquit, gloriosa res gratum esse, nisi tutum esset ingratum fuisse, quasi dicat, repensationis spem beneficentiam deflorare. „Accedit in statu naturali aequalitas hominum, & facultas de rebus suis, prout ex vsu videbitur, statuendi, vt adeo sine turba humani generis huiusmodi officium petenti aduersus denegantem & propriis commodis intentum coactio concedi non posse videatur, praesertim cum quod hisce modus debetur sit incertum. Quae ratio etiam efficit, solam naturae ἀπεροχλήν perfectum ius haut tribuere, nisi alterius factum accedat, consensus scilicet expressus vel tacitus.

Argumenta
HERTII
ad contra-
rium corre-
borandum

§. XIII.

Quoad primum argumentum nego consequentiam, eiusmodi nimirum ius cogendi socialitati repugnare. Verum qui-

responsio ad
argumentum pri-
mum

quidem est, plerosque omnes beneficia velle accipere, dare non velle. Sed quid inde? Plerosque omnes volunt pacta seruari: pacta vero seruare non volunt. Sequitur inde, nobis per naturam non competere ius alios, vt pacta nobis seruent, cogendi?

§. XIV.

ad secundum

Quoad alterum argumentum, iterum nego consequentiam. Gloriosum quoque est, τὸ seruare pactum pudori hominum relinquere, id est, gloriosum saepe est, ius suum cogendi remittere, sed inde non sequitur, nobis eiusmodi ius cogendi per naturam non competere.

§. XV.

ad tertium, praesertim quoad membrum primum

In tertio, quo vsus est HERTIVS, argumento tria latent bene distinguenda. *Primum*, officia innoxiae vtilitatis inter ea referre, quae iure necessitatis alteri debemus, naturali hominum aequalitati repugnare. Hoc, si sermo sit de officiis innoxiae vtilitatis actiuis, concedo. Si vero sermo sit de officiis innoxiae vtilitatis passiuis, nego. *Rationem* huius sumo ex ipsa, quam de naturali hominum aequalitate habemus, notione. Quum enim aequalitas hominum naturalis negationem subiectionis solummodo inuoluat, ideoque negationem iuris de viribus alterius suum in commodum disponendi; manifestum est, id aequalitati hominum naturali non repugnare, ex quo non sequitur, nobis competere ius de viribus alterius nostrum in commodum disponendi. Sed ex eo, quod officia innoxiae vtilitatis passua inter ea referimus officia, quae alteri ex iure necessitatis debemus, non sequitur, nobis competere ius de viribus alterius nostrum in commodum disponendi (§. 5. & §.). Aequalitati itaque naturali non repugnat, officia innoxiae vtilitatis passua inter ea referre officia, quae alteri ex iure necessitatis debemus.

§. XVI.

Quoad

Secundum, facultatem de rebus suis, prout ex vsu videtur,

debitur, statuendi, negare, officia illa innoxiae utilitatis esse iuris necessitatis. Sed & huius, si sermo sit de officiis innoxiae utilitatis passivis, nego consequentiam. Concedo, ex eo, quod aliquid ad $\tau\theta$ nostrum pertineat, sequi, nobis per naturam competere facultatem de re illa, prout ex usu videbitur, statuendi, ideoque ius alios ab eiusmodi rei usu excludendi. Sed quae est ratio argumentationis? estne commodum nostrum, in quod id, quod ad $\tau\theta$ nostrum pertinet, dirigendum. Quare, quum quoad officia innoxiae utilitatis passiva ratio illa cesset (§. 5. 7.): et quum cessante ratione id quoque cesset, quod per eam constituitur; manifestum est, saluo illo principio id quoque valere, quod de officiis innoxiae utilitatis passivis demonstraui.

§. XVII.

Tertium, sine turba humani generis huiusmodi officium petenti aduersus denegantem & propriis commodis intentum coactionem concedi non posse, praesertim, cum quod hisce modis debetur sit incertum. Sed respondeo: aut est sermo de turba, quae sine iure fit, aut de turba, quae fit cum iure. Si prius, manifestum est, id sumi, de quo quaestio ponitur, hoc vero regulis cogitandi non est conueniens. Si posterius, nego eiusmodi turbas legibus naturalibus repugnare. Circumstantiae quoque, quae obueniunt, id, quod hisce modis debetur, satis determinabunt (§. 5. ff.).

§. XVIII.

Tandem hac de re mouetur quaestio: *an officia innoxiae utilitatis prius, quam vindicantur, postulanda?* GROTIUS respondet affirmando a). Res quoad officia innoxiae utilitatis actiua in promptu est. Quod vero officia innoxiae utilitatis passiva attinet adducamus rationem. Ex iis, quae de officiis innoxiae utilitatis passivis demonstraui, manifestum est, nobis non competere ius alterum cogendi, ut permittat ea fieri, quae per eiusmodi officia fieri possunt,

nisi de eo certi sumus, ut id sine alterius detrimento fieri possit, (§. 2. 7. & 8.). Sed id nobis non potest esse certum, nisi officium illud a nobis prius sit postulatum, hoc enim ratio, cur negetur, demonstrare debet? Ergo manifestum est, qua ex ratione officia illa prius, quam vindicantur, postulanda.

a) I. B. & P. Lib. II. Cap. II. §. 13. n. 3.

OBSERVATIO LIII.

Ad §. 321.

DE

ACTIONE INGRATI.

§. I.

Ratio infi-
anti

Demonstrauimus, gratum benefactori exhibere animum, inter officia amoris, quorum ratione nobis non competit ius cogendi, referendum esse. Vnde facile deciditur quaestio: an derur actio ingrati? id est, an ingratus animus poenam admittat? Disputat de ea *singulari dissertatione* IOH. HENR. BOECLERVS ad illustranda ea, quae GROTIVS de lege, qua ingrati datur actio, monuit, a), & ex veteribus SENECA b). Vt Auditorum satisfiat voluntati, integrum BOECLERI dissertationem communicabo, eamque notis, quae ad rem pertinent, breuiter illustrabo.

a) I. B. & P. Lib. II. Cap. XX. §. 20. n. 2.

b) Lib. III. de benef. Cap. VII.

§. II.

Slane con-
trouersiae

Duplex, inquit, est huius loci disputatio: primo ut de lege, quae est; deinde, ut de lege, quae esse potest, aut debet. In prima quaestione, quando, an sit lex aduersus ingratos, disputatur, iterum ordine incedendum est, ut videamus: an natura, an mos gentium, an ius civile ingratos emendationi & poenae subiecerit.

§. III.

§. III.

Nota: Recte distinguit Autor celeberrimus inter legem quae est, & quae esse potest & debet. Alia enim est quae factio, alia quaestio iustitiae. Haec inquit in id, quod rationi conueniens est. Ideoque hoc loco quaerendum est, an & quomodo ingratos poenae subiicere sit rationi conueniens.

§. IV.

De natura, pergit, videtur dubitare GROTIVS, quando statuit: puniendos non esse actus oppositos virtutibus, quarum natura coactionem omnem repudiat; in quo genere sunt, misericordia, liberalitas, gratiae relatio. Non enim de iure civili tantum loqui GROTIVM, facile intelliget, qui propositum operis, & disquisitionis huius contextum animaduertit. Sed, si iure naturae praecipiente continetur gratia; eiusdem iuris auctoritate ingrati damnabuntur. CICERO a) disertis verbis: *Ac naturae quidem ius est, quod nobis non opinio, sed quaedam insita vis afferat. Ut religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, obseruantiam, veritatem.* Et mox gratiam describit, quae in memoria ex remuneratione officiorum, & honorum, & amicitiarum, obseruantiam teneat. HIROGLES, cum de grato in parentes animo agit, naturae in ea re parendum, elegantibus verbis indicat. *Qui grato animo ista faciet, non virtutis modo legem custodit, sed quod natura iubet officium, implere pro virili parte studet.* Quod longe melius iudicant, & interpretantur, qui gratum in parentes animum, etiam diuina voce, non inscriptum modo mentibus, sed tabulis aeternam legem continentibus denuo promulgatum norunt. PHILO IVDAEVUS b) *ingratos duo apud tribunalia, maxime naturalia, damnari ostendit; impietatis quidem apud diuinum, quod vitae post DEVM auctores non venerantur; inhumanitatis apud humanum, quod nihil ab iis quisquam sperauerit, qui negligunt eos, quibus par gratia referri non potest.* Ex hoc iure naturae quae proficiscitur actio, iudicem habet DEVM; actores non eos tantum, qui ab ingrat

tis

tis atrociter laesi sunt, sed ipsam quoque ingratorum hominum conscientiam; patronos nullos.

a) 2. de inuent. 22.

b) de decalogo p. 760.

§. V.

Nota prima

Nota prima. Hac in meditatione, ut cum THOMASIO a) opinor, non-nulla hic distincta confunduntur. *Primo* ingratitude *simplex*, a *praegnante* distingui debet. *Simplex* denegat solum officia humanitatis. *Praegnans* insuper beneficium laedit. *Simplex* vel denegat officia humanitatis vulgaria, vel beneficia. Illa *eminens* vocatur, & haec *vulgaris*. GROTIUS loquitur de simplici ingratitude. Quod vero praegnantem attinet, haec omnino praebet causam belli, ideoque in ciuitate actionem, quia inuoluit laesionem, Oritur itaque hocce ius belli atque haec actio non ex ingratitude, sed ex laesione. Ingratitudo illa ob maiorem moralitatis gradum actionem iam competentem aggrauat (§. 175. IN.). Ut in actione iniuriarum, si quis parentes, patronos iniuria affecerit.

a) in *Iurispr. diuina*. Lib. II. Cap. VI. §. 53. ff.

§. VI.

Nota secunda

Nota secunda. Quod porro argumentationem illam attinet: *Si iure naturae praecipiente continetur GRATIA; eiusdem iuris auctoritate ingrati damnabuntur, ideoque ingratus animus poenam admittet.* Notandum est, duo esse poenarum genera, quae malis constitui possunt actionibus. *Alterum* inuoluit eas, quae sunt media alios ad aliquid faciendum vel omittendum cogendi: *alterum* inuoluit eas, quae quidem non cogunt ad aliquid faciendum vel omittendum, mala tamen agentibus ob moralem legum violationem infliguntur. *Illae* ad forum externum, cuius fundamentum est, neminem laedas. *Hae* vero ad forum conscientiae pertinent. SENECA dari actionem ingrati negans, & quem BOECLERVS oppugnauit, loquitur de prioris, non vero de posterioris

rioris generis poena, BOECLERI vero argumentatio valere solum potest de poena posterioris generis. Id quod ipsa rei natura demonstrat. Qua ex causa duo pono bene distinguenda. *Primo: an quis ut gratum benefactori exhibeat animum possit cogi? & deinde, an ingrati ob ingratitude iure naturali poenae posterioris nimirum generis subiecti sint?* Primum negavit SENECA, & idem ego nego. Ratio est, quia eiusmodi grati animi actio decretum voluntatis supponit, quod non est sub coactione. (§. 43. IN.). Alterum argumentatio Boecleriana affirmat, & argumentatio, quae sequitur, corroborat. Vbi est lex moralis, ibi poena quoque locum habere potest, legem moraliter violanti constituenda (§. 119. Cor. 2. IN.). Ipsa natura ponit legem moralem: *gratum benefactori exhibe animum* (§. 318. IN.). Ergo & secundum ius naturae poena locum habere potest, eiusmodi legis violatori constituenda. Sed fortasse dixerit quispiam, hocce theorema officia grati animi inter officia necessitatis referre, cum tamen sint officia humanitatis. Hi vero sci- ant, ex eo, quod legis violationi poena constituta sit, non sequi, legem illam ad leges perfectas pertinere. Id inde solummodo sequitur, si poena legis violationi constituta sit posterioris generis poena, non vero, si sit poena prioris generis, de qua, ut notauimus, hoc loco est sermo.

§. VII.

Sed & gentium, *pergit*, quaecunque aliquem ciuili- An ius gen-
tium ingra-
tos poenae
subiicit.
ris gustum habuerunt, iudicio, dissolubile nec ferendum vi-
sum est ingrati animi vitium. Praeclare testatur CICERO a):
*Quae autem natio non comitatem, benignitatem, non gratum
animum & beneficii memorem diligit? quae superbos, quae ma-
lesticos, quae crudeles, quae ingratos non aspernatur, non odit?*
IULIANVS Imperator in encomio EVSEBIAE: *Neque enim
minus, quam alia crimina, ingratum animum odio prosequi-
mur, ac exprobramus hominibus, cum accepto beneficio, ingra-
tos se erga bene meritos praebent.* Neque alienum est, ab hu-
ius loci sententia, quod SENECA b) fatetur, *urbes quoque
urbibus,*

DARIES OBS. I. N. T. II.

Bb

urbibus, quae praestiterunt, exprobrare, & in maiores collatu, a posteris exigere. Apud hoc tribunal, quod excellentiore significandi genere *humanum* dixeris, sicut prius illud *diuinum*, accusat fama, vel sermonibus, vel literis prodita: patrociniū reorum non aliis suscipientibus, quam qui pudore omni abiecto, suam alienamque infamiam amare ferio didicerunt.

a) I. de LL. II.

b) de benef. III. 6.

§. VIII.

Nota:

Nota. Vera sunt, quae monuit *Dissentiens*, sed sententiae GROTII, ad quam accedo, non repugnantia. Ex illis enim gentium moribus non sequitur, ius introductum esse alios ad gratum benefactori exhibendum animum cogendi, de quo obuia in controuersia est quaestio. Sed poenas gentium moribus ingratis constitutas esse poenas posterioris generis, de quibus §. 6. diximus. Illi itaque gentium mores nostram sententiam non infringunt, sed corroborant.

§. IX.

*An in ciuile
le ponit in-
grati actio-
nem?*

Ciuile, porro, tribunal superest. De quo ante omnia, vt diximus, quaeritur, an fuerit certis in ciuitatibus lex prodita aduersus ingratos? Respondet SENECA a): *Excepta Macedonum gente, non est in vlla data aduersus ingratum actio.* At LVCIANVS b) in *Abdicato* aduersum pronuntiat. *Equidem leges actionem ingrati dant, contra eos, qui benefactoribus non referunt gratiam.* Quem locum, qui de Macedonum legibus tantum velit exaudire, magno se onere obligabit tuendae suae sententiae. Iam, cum in *Declamationibus* veterum mentio sit, apud SENECAM & alios, legis, *ingrati sit actio*; quae lex ad vnam & solam aliquam ciuitatem non videtur referre posse, nisi quod ad leges Atticas saepe respiciunt Rhetores; SENECA iterum exceperit hanc orationem, & in *Scholis* ista fingi a declamatoribus, non reperiri in vita, dixerit; vnde & ita quaerit c): *an haec lex, quae in scholis exercetur,*

ercesur, etiam in ciuitate ponenda sit, qua ingrati datur actio. Sed neque hic SENECAM auctorem sequerem, quin existimarem, apud CICERONEM, SENECAM, QUINTILIANVM, ARISTOTELEM, non poni exempla nisi *verarum legum*, quae reuera aliqua in ciuitate, praesertim Graeciae, (inde enim latini fere exempla arcessunt) latae fuerint. Libenter patiar me doceri, si diuersum idoneo testimonio ostendi potest. De *rogationibus* interim non loquor: quas interdum, vt & suasorias alias, ingenio Rhetoris fingi, non ex historia vitae desumi, satis constat. Consignauit & GREGORIUS THOLOSANVS d) exempla, quae ex iure ciuili romano, & aliarum gentium huc pertinent. Vbi nec illud ommittendum est: quod nulla gens cultior fuit, quin, etiam cum actio legibus non erat prodita, iudicis officio ingrati animi crimina subiecta cuperet.

a) de ben. sic. III. cap. VI.

b) Tom. I. p. 450.

c) l. c.

d) Syntagm. Iur. viii. 39. c. 16.

§. X.

Nota. Concedo dissentienti, a permultis generibus ingrati positam esse actionem, & non vrgeo probationem. *Nota* Nego tamen, inde aliquid sequi sententiae G R O T I I atque SENECAE repugnans. Eiusmodi enim actio poni potest ad aggravandam actionem iam competentem, poni quoque potest ad exigendam posterioris generis poenam, de qua §. 6. ingratum constitutam. Qua de re non disputant. Qui doctorum, quos laudauit, sententiam infringere cupit, is probare debet, a gentibus quibusdam ingratitudini prioris generis poenam, de qua §. 6. dixi, constitutam esse.

§. XI.

Quando autem, pergit, *an lex aduersus ingratos ferenda sit*, disputatur: parum vtique profecit longa SENECAE a) *an ferenda.* sus ingratos oratio, quae id dissuadet. Ingratum enim hac vna re definiuit,

B b 2

niuit,

niuit, si non redderet beneficium. Et est sane boniviri, de referenda gratia serio cogitare; neque acceptorum beneficiorum vnquam obliuisci. Sed hoc genus ingrati animi non spectatur praecipue, cum de lege, quae ingratos coërceat agitur. Cessant ergo omnes illae quaestiones, de tempore, & facultate referendae gratiae, de aestimatione & comparatione beneficiorum, de dubitatione iudicis in definiendo beneficio. Non enim dubia, sed certa & humani generis sententia, definita beneficia spectantur: neque tam, non reddita, non fideli memoria custodita; quam maleficio pensata, legi subiiciuntur. Aduersus ingratum, qui laedit eum, a quo indubio beneficio fuit affectus, lex paratur. Aduersus dissimulatores & inficiatores beneficiorum, qui sine proposito laedendi scilicet tales esse non possunt, seueritas iudicis quaeritur. Clara haec sunt, & exposita in omnium conspectu. Si quid boni mores praeterea damnant, etiam si nulla lege praescripta sit actio, iudicis officium in republica latius patet, neque vllam morum partem labare sinit.

a) de benef. Lib. III. Cap. VI. usque ad XVIII.

§. XII.

Nota: Hoc, quod accurate atque eleganter dictum, satis id demonstrat, quod supra monui, BOECLERVM sententiam GROTHI atque SENECAE, ad quam accedo, non refutasse. *Primo* enim docet, doctorum, quos laudavi, sententiam esse, non dari actionem simplicis ingratitude, quae nimirum quis, ad officia humanitatis aut ad beneficia benefactori praestanda possit cogi. (§. 5.) *Deinde*, BOECLERI sententiam esse, defendere actionem ingratitude praegnantis, qua quis ob laesiones benefactori illatas, aut ob animum benefactori laedendi, maiori afficiendus est poena, quam laesio illa vel animus laedendi in se spectatus meretur: porro actionem ingrati, ad ingratum, poena posterioris generis, de quo §. 6. afficiendum: Haec, quae monui sufficiunt, ad demonstrandum doctores, quos laudavi, verbis solum, non ipsa re, dissentire, & ad ea perspicienda, eaque, qua fieri debet, ratione

ratione limitanda, quae ROECLERVS in iis, quae sequuntur, solide atque eleganter exposuit.

§. XIII.

Sic enim pergit. Quin lege prodi possint ac debeant, quae ex iustitia debentur, nulla est dubitatio. Iustitiae autem manus esse, gratum animum, magno consensu tota antiquitas docet. Nec aliunde CICERO a) necessitatem referendae gratiae deducit: qua nullum officium maius esse statuit. Igitur ARISTOTELES b) maximis & foedissimis iniuriis accenset, quae ab illo, qui beneficio affectus est, inferuntur benefactori: *Non simplex enim est iniuria in bene meritis; & quod offendit eos iniuria auctor, & quod gratiam iis non refert.* Apud XENOPONTEM, Persarum iudicio ingrati puniuntur, tanquam homines, qui nec DEOS, nec parentes, nec patriam, nec amicos curare norint, id est, ab omni iustitia plurimum alieni. Quam enim partem iustitiae curaret is, qui pro bona gratia malam rependit? Quem enim benignitas ex fero humanum reddere non potuit, quod aliud hunc ex omnibus rebus unquam emendauerit? ut recte ratiocinatur GREGORIVS NAZIANZENSIS. Quod si alia loquendi ratio placet, neque iustitiae hoc proprium munus, sed alterius virtutis videatur, nemo tamen negauerit, legibus praecipere posse, quae vlla virtus praecipit c). Quoque maior est virtutis cuiusdam cum iustitia affinitas, eo clarius apparet legislationis materies. Accedat consensus plerarumque gentium, ipsiusque naturae vox, quae manifestam iniquitatem indicat, iudicatque: an dubitationi locus supererit, quin in legem ire possit, res ad continendam societatem non civilem modo, sed humanam, tam necessaria?

a) L. 1. offic. 15.

b) Rhetor. 1.

c) conf. GROTIUS I. B. & P. Lib. I. Cap. XXV. 3.

§. XIV.

Nota: Duo hoc loco praesertim probanda veniunt. *Nota*

Bb 3

Pri-

Primum iustitiae munus esse gratum animum. *Alterum* laedere benefactorem maiorem habere moralitatem mali, quam alia quaedam laesio. *Illud* & ex notione iustitiae & ex scopo iustitiae manifestum est. Ex illa argumentor: iustitia est benignitas secundum legem sapientiae administrata (§. 235. IN.). Quicquid itaque administratio benignitatis secundum legem sapientiae iubet, id est munus iustitiae. Eiusmodi administrationem benignitatis gratum erga benefactorem animum iubere, ipsis ex notionibus, quas de grato animo, de benignitate atque sapientia habemus, manifestum est (§. 235. & §. 290. IN.). Satis itaque ex iustitiae notione patet, gratum animum inter iustitiae munera esse referendum. Ex *scopo iustitiae* ea, quae sequitur ratione, argumentor: *Scopus* iustitiae est leges observare (§. 231. IN.). Quare, quum ipsa natura nobis ponat legem, qua gratum benefactori exhibere debemus animum (§. 318. IN.); sequitur, iustitiam quoque nobis officium illud iniungere.

§. XV.

*Nota se-
cunda*

Nota secunda. Alterum nimirum laedere benefactorem maiorem habere moralitatem mali, quam alia quaedam laesio, qua talis, argumentatio, quae sequitur, corroborat. Quo magis actio libera, quae mala, composita est, eo maiorem quoque habet moralitatem mali (§. 175. Cor. 2. IN.). Et quo plura agens habuit motiva ad actionem malam, quam fecit, omittendam, eo maiorem quoque actio illa habet mali moralitatem (§. 175. Cor. 5. IN.). Sed & illud & hoc in relatione actionis, qua quis benefactorem laedit, ad aliam quandam laesionem, qua talem, locum habet (§. 318. Cor. 1. IN.). Ergo & manifestum est, laedere benefactorem maiorem habere moralitatem mali, quam alia quaedam laesio, qua talis.

§. XVI.

*Illud per
consuetudinem
probatum*

Sicut autem, *pergit*, feliciter egerunt ciuitates, ubi ingratos posita lex coercuit: ita saeculi mala non modice auferuntur impunitate huius criminis, quo non est aliud humanae

nae

nae societati inimicius. Frustra nobis SENECA a) occenta-
 uerit: *maiores fore ingratos, si nulla detur actio, maiore au-
 tem defectu datum iri beneficia. Nec expedire notum omnibus
 fieri, quam multi ingrati sint; ne ipsa multitudo pudorem mi-
 nuat.* At ille delictus fingitur, non monstratur. In quibus-
 dam beneficiis nihil licet iudicio beneficientium, quod in-
 parentum exemplo agnouit SENECA. Sic praeceptor de
 omnibus discipulis bene meretur; non licet, huic dare, illi
 negare beneficium. Qui sanctissimis christianae religionis le-
 gibus viuunt, si vident, indigere beneficio alium, vindice,
 ultore opus habere, non deliberant aut diuinant, quo inge-
 nio sit laturus beneficium, an grati ingratiue habiturus. Ne-
 que cuiquam sua benignitas a sincero profecta animo fraudi
 esse debet. Male porro metuitur, ne detegat lex multitudi-
 nem peccantium & inultam praestet. Lex sui ipsius vindex
 est, cuius defectu non ingratos tantum multiplicari, sed
 plurium exempla scelerum pullulascere, nimis quam certum
 est. Imperitum dixero reipublicae, & moris humani, & fae-
 culi, qui non videt, pauciora fore alia crimina, si paucio-
 res ingrati fuerint: vnusque legis aduersus ingratos muni-
 mento, ceteris suam auctoritatem duraturam.

a) l. c. Lib. III. Cap. XVI.

§. XVII.

Magis intelliguntur ista, si quae apud Rhetores de & per exem-
 pla. exem-
 plum pri-
 mum actione ingrati disputantur, paululum excutiantur. Anno-
 tauit SENECA a) hanc controuersiam: *Torta a tyranno
 vxor, nunquid de tyrannicidio sciret, perseuerauit negare.
 Postea maritus eius tyrannum occidit: illam sterilitatis nomine
 dimisit, intra quinquennium non parientem. Agit illa ingrati.
 Pro vxore, compendio dicuntur illa HISPONIS COR-
 NELII: Duplici beneficio vxori suae obligatus erat maritus:
 & quod non est occisus, & quod occidit. Fastidit sterilem, qui
 fecit. Sterilitas enim vel adhuc incerta est, & tum valent
 illa: non respondet ad propositum, nec ad certum diem foecun-
 ditas: vel ita colligitur; non potest parere mulier, quia torta
 est;*

est; & tum bene respondetur marito: *imputat tibi, quod publicata est, imputat tibi, quod torta est, imputat tibi, quod sterilis est.* Quamquam de sterilitate accuratius **BVTEO** egit: primum: *non omnes posse dimitti, si quinquennio non peperissent; deinde, hanc non posse dimitti.* - - *Aliquod, inquit, tempus impune a legibus miseriae faciunt.* Non dico, *quia torta est, sed hoc adhuc propter aequitatis tractationem reserua.* Sed non peperit, *quia tu, (maritum alloquitur) maxima in cogitatione occupatus, nihil de liberis cogitasti.* Neque de nihilo fuit sententia **ALBVTII SILI:** qua ingratum notat maritum, cum uxorem tam bene meritam repudiat: *Res tuas tibi habe. Iniicere debuit manum, & ipsum inter res suas trahere. Nihil amplius patri debes, quam uxori. Mibi crede, maius fuit, tyrannicidium pati, quam facere.*

¶ l. c. Lib. II. 13.

§. XVIII.

Huius analiſis

Callido autem oratori, quam viro bono magis conueniunt, vsuque & consuetudine fori, vbi nihil non excogitatur aut arripitur ad defendendam etiam malam causam, non honestate actionis ac boni moris disciplina aestimari debent, quae ad negandum, dissimulandum, extenuandum beneficium pertinent. Talia sunt illa **LATRONIS:** *Etiamsi scisti de tyrannicidio viri, nec indicasti, non est beneficium scelus non facere.* Et **GALLIONIS** aliorumque quaestiones: *An inter viros & uxores data beneficia ingrati lege teneantur. Non est beneficium, sed officium, facere quod debeas: ut, si filius patri se dicat beneficium dare.* Et **FABIANI,** qui alio quidem instituto se ab importunitate **CESTII** remouit, sed in uxorem tyrannicidae iniquus fuit in illis: cum introducit maritum ita agentem: *se & cogitasse tyrannicidium, & uxori indicasse, & illam tum quidem fecisse, quod probam foeminam facere oportuit; nunc peccare, quod putet beneficium esse recte facere.* Et; *si beneficium putas te dedisse, quod tyrannicidium non prodidisti: ego prior dedi, qui tibi tyrannicidium credidi.* Neque enim **L. VINICIO** de hoc **FABIANI** colore dixerō,
uxorem

uxorem mutam effici. Si olim de tyrannicidio cogitavi, honestior sum vetus tyrannicida, & non priuatis, sed publicis malis ad ultionem impulsus. Si, cum cogitarem, non celavi uxorem, facilius persuadebo, me malum hodie maritum non esse, cui semper tam deditus fui. Ad ultimum hoc consequar; si quid audierat, tacuit, non beneficium est, sed fides. Fides est, facere commissa: sed in fide beneficium, quod torta tacuit, quod instrumenta saeuitiae, quibus etiam virorum animi franguntur, sustinuit, nec virum prodidit. Est officium, facere quod debes. Sed officii sensum dolor expugnat, & immanis crudelitas. Quis est, qui nolit ignoscere mulieri, saeuissimis cruciatibus exagitatae, si victa doloribus, falsa esset tyrannicidio viri? coecus & surdus ad omnem honesti aestimationem fuerit, cui illustratus tormentis gratus ac beneficus animus, adhuc in obscuro positus, & quaerendus videtur. Et quae illa importuna philosophia: in officio non esse gratiam? Quicquid liberi erga parentes faciunt reuerentia, amore, obsequio, opera, officio ea omnia tribuuntur: sed officio nimirum, quod totum grati animi descriptione continetur. Intelligitur grati animi honestas comparatione eorum, qui negligunt; demonstratur inter impedimenta & obstacula; illuminatur temporibus, locis & casibus. Dic eadem opera; non est virtus, scelus non facere. At, cum ad scelus vocant illecebrae, inuitant praemia, trahunt minae; virtus est, abstinuisset placitis bonis; non spe, non metu ad peccandum, impulsus esse. Quid porro sibi vult, qui dicit: prior dedi beneficium, credendo tuae fidei tyrannicidio? An statim, qui de alterius fide praeclare sentit, beneficium ei dedit? & quid simile habet commissum sponte arcanum, cum silentio inter tormenta inuictis? Etiam sic laudas vxorem, & te accusas. Quam pulcre enim beneficiis responderit illa, fateris: & quam iniquus ratiocinator gratiae sis, contra communem hominum sensum comparans diuersa, imputans minora, vltro manifestas. Corrumpis imo beneficium, quod tu figuras, fidem, neque pateris homines credere, te vquam vxori deditum fuisse, cui post tanta virtutis experi-

menta & in te merita, non modo non deditus, sed infestus esse potuisti.

§. XIX.

*Anal. fo-
cunda*

At latro tibi iterum patronus adest, vt dicas: *Etiā si dedit beneficium, recepit. Occidi tyrannum; libertatem mihi, tibi vltionem reddidi plenissimam: persecutus sum nefarium hostem, illic occidi, vbi torserat. Dices, me reipublicae causa fecisse, & tu reipublicae causa tacuisti.* Imo tu, si rempublicam amares, beneficium reipublicae ab vxore datum amasses, grate habuisses, magis eo laetatus esses, quam si tibi datum foret. Sed profecto & reipublicae & tibi datum est. Tibi datum est, vt posset reipublicae dari. Et, quanto fuit magis arduum, quod vxor tibi & reipublicae dedit, quam quod reipublicae dedisse te ais? Ad tyrannum occidendum conuerso, occasio, facultas, instrumenta perficiendi operis, spes successus, praemia, animos & vires addiderunt. Hinc omnia aduersa & infesta; nec praeter animum, quicquam liberum. Quanto facilius est, facere caedem, quam pati omni caede tristiora? Praeterea, cuius est illa hominis vox, qui sic agat: dedisti quidem beneficium, dira & acerba sustinendo mea causa; sed dum auctor eius acerbitalis mea opera iacet, nulla ultra beneficii tui, quod recepisti, aestimatio, nulla memoria? Quia vniuersam gratiae rationem in compendium mittis, & cum ciuibus tuis omnibus & singulis, imo cum ipsa ciuitate & patria sic contendis: Liberaui vos omnes a tyrannide; eademque opera, quicquid beneficiorum vobis debui persolui: nemo posthac a me vllam publice priuatimque gratiam expectet aut recipiat. Cessent semel et simul omnia necessitudinis pristinae nomina: vniusque virtute facti cuncta officii in posterum vincula aboleantur.

§. XX.

serua

Illud prorsus a fide faciendum est, cum inducitur maritus: *ne scisti quidem tyrannicidium, non enim tibi indicauit, nec tam magnum consilium, virilibus quoque animis graue,*

graue, commisi muliebri garrulitati: quae id solum potest tacere, quod nescit. Recte enim a FABIANO & VINICIO respondetur huic instituto: *Dixerit, cogitasse quidem se de tyrannicidio ante tormenta, sed uxori non indicasse: augebit uxoris beneficium. Liberior enim potuit tyrannicidium indicare, quod illi commissum non erat. Potuit enim vxor, etiam non indicante marito, tam magni consilii molitionem deprehendere.* CESTII quoque calor, quem pro viro introduxit, nihil habet fani: *Quo tempore vxor torta est, nihil adhuc de tyrannicidio cogitabam; postea cogitavi, & haec ipsa cogitandi causa fuit, uxoris ultio. Virumque secutum est, ut illa marito insolentiam imputare non posset, maritus illi tyrannicidium posset.* Leuiter excussus hic calor, euanescit; siue facti fidem spectemus, siue causae utilitatem. In fide facti, & serie negotii utique apparet, & aliquid de tyrannicidio cogitatum, de quo tyrannus usque eo suspicatus est, ut torqueret. Ita parum inter se congruentia dixit CESTIVS: sed & contra rationem & utilitatem causae. *Si dixerit enim, post tormenta se de tyrannicidio cogitasse, tum tyrannicidium uxori melius deberi meruit, si torta tyrannicidam fecit, quam si tacuisset.* Maximam scilicet gloriae, qua tantopere gaudebat, partem vxori debuisse: ingratiq; animi crimine deuto se per repudium alligasset. In his, quae ex licentia potius caussidicorum, quam ex vero & bono pro ingrato marito allata sunt. HISPO ROMANVS, iudice ipse SENECA, maligne & accusatorie: *Nihil, inquit, ego isti narraueram: ista, ut erat necesse aliquid ex vultu, aliquid ex nocturnis vigiliis suspicata est. Vnde manauerit sermo, scistis. Videtis, quo veniat tyrannus, non ad amicum meum, non ad seruum: sed ad istam, quae nihil negotii habuisset, si tacuisset. Tua enim causa tacuisti: sciebas te perituram, si confessa esses tyrannicidium.* Fecit maritum ipso tyranno crudeliorem, qui post silentium tormentis impenetrabile, garrulitatis arguit vxorem, & ne tyranni quidem testimonium reueretur.

§. XXI.

*conclusio
ex dictis*

Non caret ratione oratoria PASSIENI sententia, qui putabat, recte facturam, si haec mulier iniusti repudii ageret, non ingrati. ALBVTIVS autem decentissime prius egit iniusti repudii, deinde ingrati. Vt enim crimina geminantur, ita amplificatio in primis valida est, si accedentis vitii turpitudine, in partem actionis transferatur. Sic iniuria parentibus, praecceptoribus, hospitibus facta, praeter nomen proprium, ingrati animi crimine, vbique terrarum gentiumque notari consuevit. a). Honestissima autem est in hac caussa POLLIONIS ASIRII ratio, qui nunquam tentandam esse iudicabat illam quaestionem, qua negamus, nos beneficium accepisse. Perit, inquit, tota caussa, nisi in hoc vicit. Apparet enim, ingratum esse, qui ne fatetur quidem, se accepisse beneficium. Veritatem huius sententiae, grauiter adstruit Declamator alius b), cum praecipit: Et in totum hoc seruare in omnibus controuersis, quae ingrati lege continentur, debemus, ut hi qui rei sunt, in ipsa actione ingrati non sint. Raro valde interueniunt controuersiae, in quibus hoc quaeratur, an is, qui ingrati reus est, acceperit beneficium: Pleraque diuertunt eo, ut quaestiones habeant: an, quisquis acceperit beneficium, & non reddiderit, ingratus sit? an omnia, quaecumque exigebantur, praestare debuerit? an potuerit? Sed de his quaestionibus postea. De facienda controuersia ipsius beneficii, praeclare & solide philosophantur, quos laudauimus: neque comparari huic grauitati possunt, quae GALLIO & ATTICVS VIPSANIJS de consuetudine fori, & causidicorum artibus annotant.

a) vid. quae supra §. 15. notauimus.

b) QVINTIL. declam. 333.

§. XXII.

*Exemplum
secundum*

Vidimus exemplum actionis ingrati. Vbi haud dubium fuit rei crimen: neque vlla honesta defensione velandum. Ponamus aliud, quod haud aequae reum premit, ex declamationibus FABIO QVINTILIANO attributis a). Leges: Patronum optare liceat. Et; ingrati sit actio. Controuersia: Adolescentem diues pauperem impensis suis Athenas misit.

*fit. Redit ille disertus. Detulit divitem quidam reum proditi-
 tionis, & optavit patronum pauperem illum, qui diuitis im-
 pensis profecerat. Egit pauper, non tenuit. Accusatur a di-
 vite ingrati. In hac causa, si liberum fuisset adolescenti, ad-
 vocationis officium praestare actori, aut denegare, non pa-
 rum suspicionis in eum trahi potuisset. Nunc legis auctori-
 tate patronus optatur. Vnde postea: Habebat ius optandi
 patronum, & hanc leges dederunt potestatem. Et Lex optandi
 patronum ius dabat: me delator optauerat. Doce, quid faci-
 am. Delator ius habet. Contra omnem meam deprecationem
 publica auctoritas nititur — non igitur obicere debes, in quod
 coactus sum. Annon & causa excusat patrociniū? proditi-
 tio enim, etiam in parente abominanda, & vindicanda est.
 Advocationem negare contra reum proditiōis non debui, fortior
 aliquis diceret. Oportebat non deesse legibus vocem, oportebat
 esse aliquem, qui in summis reipublicae, ut tum videbatur, pe-
 riculis, excuteret veritatem. Itaque, si argumenta proditiō-
 nis insignia fuerunt, excusari potuit suspectum actoris pa-
 trociniū, etiam si liberum fuisset, denegare. Sin dubia &
 suspecta indicia criminis, nec sincera voluntas deferentis,
 merito beneficii memoria retrahere adolescentem debuit ab
 accusatione bene meriti. Sed moratus est in primis sermo
 Rhetoris, qui praemittitur: Intelligitis huic adolescenti cum
 summo respectu diuitis agendum: ita demum enim videbitur, id
 quod fecit necessitate fecisse, si de illa queretur. — Ergo,
 quod ad meum consilium pertinet, hic inuitus egit: ea, quae di-
 cenda accepit, pertulit. In tractatione ergo ipsa, statim ab
 initio, maximum se beneficium accepisse, quod sibi consumma-
 re studia contigisset, fatetur; fortunam accusat, cuius pote-
 state factum sit, ut mallet omnem usum loquendi perdidisse,
 quam cum homine de se optime merito iam bis consistere. Sub-
 inde: accepi beneficium, quantum maximum dare parentes libe-
 ris possunt — huius liberalitate, huius opibus, peregrina stu-
 dia, clarissima exempla, otium, quo plurimum studiis confertur,
 cum consecutus — accepi pecuniam, vditum, spem futuram
 in posterum vitae — — accepi beneficium, ne illud quidem*

infraciabor, non reddidi. Non tamen continuo sequitur, ut ingrati lege teneatur, qui acceptum beneficium nondum compensauerit. Alioqui nemo est, qui non calumniae genus possit incidere. Describitur, postea necessitas, de qua dictum est; moderatio in actione, vocis, vultus, nihil asperum, extra causam, propositum grati in posterum animi, & confessio debiti.

a) serm. 333.

§. XXIII.

Exemplum
tertium

Ponitur & illud actionis, de qua agimus, exemplum: CIMON ingratus CALLIAE, apud SENECAM. Leges: *Adulterum cum adultera qui deprehenderit, dum utrumque interficiat, sine fraude sit. Et, ingrati sit actio.* Thema: MILTIADES peculatus damnatus, in carcere alligatus decessit. CIMON filius eius cum sepeliret, vicarium se pro corpore patris dedit. CALLIAS diues, sordide natus, redemit eum a republica, & pecuniam soluit; eique filiam suam collocauit. Quam ille deprehensam in adulterio, deprecante patre occidit. Ingrati reus est. Leges verae sunt: exemplum fictum. In hac controuersia merito ille color & GALLIONI & LATRONI & MONTANO placuit, ut nihil in CALLIAM diceretur contumeliose, & redemptorem, & socerum, & infelicem. Vnde non CESTII tantum improba est sententia, qui multa in avarum, & in foeneratorem, & mensularium, & lenonem dixit, dum vult illud probare, reddidisse CIMONEM beneficium, quod talem socerum habere sustinuit: sed & IVNIVS BASSVS ferri nequit, cum pro CIMONE dicit: CALLIAE filiam uxorem duxi. Hanc tibi pater iniuriam feci, dum ingratus esse nolo. Beneficium porro CALLIAE maligne interpretantur, qui disputant ex persona CIMONIS: ut audiui esse, qui pecuniam numeret, miratus sum, fuisse in ciuitate nostra quemquam, qui CIMONEM redimere quam MILTIADEM maluisset. Ego ne patrem quidem meum, nisi innocens fuisset, redemissem. Et qui illas quaestiones fecit: an h. sua causa fecit hoc CALLIAS, ut redimeret CIMONEM, an sit beneficium. Et qui illas: an acceperit beneficium CIMO? deinde, an teneatur is, qui beneficium acce-

acceperit, quod non petiuit? Nam HISPONIS ROMANI stolidè dura est quaestio: *An retulerit gratiam hoc ipso, quod occidit.* Figura tolerabiliore, sed non satis proba. MONTANVS VOTIENS quaesuit, *an gratiam retulerit CIMON CALLIAE.* Tuli, inquit, *filiam tuam uxorem, filia tua MILTIADIS minus facta est.* Non putas beneficium, habere communes cum MILTIADE nepotes?

§. XXIV.

Loci huius controuersiae sunt vel *pragmatici* vel *pathetici*: quorum illi ad *ius*, hi ad *aequitatem* pertinent. In pragmatico genere CIMON vincit hac ratione, quod ingratus non censetur, qui beneficio se ad patientiam rei inhonestae obligari nec putat, nec patitur. Quo pertinet illud MONTANI: *Certe beneficium reddam, cum tam honestum desideraueris, quam dedisti. Ego adulteros dimittam? quid aliud facerem, si alligatas haberem manus?* Et, ARELLII FVSCI: *Ferrum a lege mihi traditum, ad vindictam pudicitiae proiiciam?* Et ex QVINTILIANO a): *non potest videri saeuitia, non crudelitas, quae per leges venit: occidere adulterum licet cum adultera.* In pathetica tractatione illam aequitatis quaestionem pro CIMONE LATRO mouit: *an, si affectu & indignatione ablatas, non fuit in sua potestate, ignoscendum illi sit?* Contra CIMONEM pro CALLIA pragmaticum est, si dicatur: diuersam esse rationem eius, quod lex iubet, & quod permittit. Non oportere statim fieri, quod licet facere. Permisit tibi, CIMON, lex uxorem interficere, non praecepit. Quo minus uteris ea licentia, memoria beneficii, preces soceri, ipseque conspectus & interuentus eius, te morabantur: si quid humani in te esset. Tunc non donares patri filiam, qui tibi & libertatem & vitam, in vinculis morituro, donauit? Non petitur a te stuprorum patientia. Potuisti abigere tuo matrimonio, quam male iunctam expertus es. Satis existimationi tuae consuluisses. Carnificis officium occupare, etiam si lex indulget, furor est, non ratio: quid, in oculis parentis filiam interficere? benefici-
um

Quo in exemplo loci pragmatici a pathetici distinguuntur

um maleficio rependere? beneficii auctorem viuum, videntem, praesentem, deprecantem negligere, reiicere, laedere? Nam in pathetico genere, omnia aequitatis, & miserationis nomina & momenta SIMONEM pro GALLIA interpellant.

a) Declam. 277.

§. XXV.

In contro-
uersis illa
importunius
motorum
exponitur
primum

Iam antea dictum est, quaedam in hac controuersia, importunius mota esse. In quo genere fuit illa CALLIONIS quaestio: *An teneatur is, qui beneficium accepit, quod non petiuit? Non rogavi, inquit, te, dedisti istud iactationi tuae, putasti ad gloriam tuam pertinere.* Crebra sed improba ingratorum cantilena. Quaedam non rogantur, desperatione impetrandi: quaedam dubitatione, vnde rogandum sit: neque ab ignotis, nullaue familiaritate perspectis facile beneficia petuntur: quibusdam desideriis, quo minus proferantur, ista obstat rei magnitudo. Quis ingentem pecuniae summam, libertatem, vitam ab eo postulare ausit, quem nullo vsu habuit amicum? Quis in vinculis focerum quaerit, cui prius oneri, quam vsui sit; Quaedam miseriae includunt vocem, non laxant. Tunc, quod gloriosissimum est in beneficio, in contrarium vertes, praeuenisse preces inopis, spectasse necessitatem, non expectasse vocem? Ita honestissimae voluntatis gratiam perdet, qui humanitatis priorem, quam hominis rationem deduxit? *Gratis* a) esse debent, *beneficia parata, facilia & occurrentia, ubi nulla mora fuit, nisi in accipientis verecundia.* Optimum est, *antecedere desiderium cuiusque proximum, sequi. Illud melius occupare, antequam rogemur. Quia cum homini probo ad rogandum os concurrat & suffundatur rubor, qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus suum.* Ita ille, qui beneficium docet dare & accipere. Et mox: *ideo diuinanda cuiusque voluntas, & cum intellecta est, necessitate grauissima rogandi liberanda est.* Qui hoc fecit, ille, quod in beneficiendo summum est, fecit. *Quam fuerit itaque nequam, qui neget beneficium datum, quod non petenti datum est? At enimvero, inquit, iactationi suae hoc dedis, qui mibi*

mibi benefecisse voluit videri? O te ingratum, qui beneficio manifesto affectus, adiutus, subleuatus, de beneficii auctore male opinaris, nefarie suspicaris? Quod si plane tibi de eius ambitione constaret, aequissimum erat, ut quantum tu accepisses, reputares, non quam bene ille dedisset. Auferetur ex vita hominum res pulcerrima, benefaciendi studium, si liceat in alienis beneficiis curiosum esse, & maligne interpretari animum beneficientis. Quid enim erit, quod non vellicare possit malignitas? Scilicet, cum de accipiendo beneficio agitur, tum vero sine anxia deliberatione omnibus in promptu fuerit illud Poëtae: b)

Abs quouis homine, cum est opus, beneficium accipere gaudeas.

At ubi de habenda gratia quaeritur, in PLATONIS rempublicam credo eatur, & sapientum regulae conquirantur, an beneficium recte atque ordine datum sit, an nihil in dantis animo aut arte desiderari possit. Dummodo constet, eos, qui ita dubitant, nullo modo recte accepisse beneficium; prauumque in se ipsos exemplum statuere. Qui minus enim accipiendi, quam dandi beneficii regula & ratio sit?

a) SENECA de benefic. Lib. II. Cap. I. & II.

b) TERENTII Adelpb. 2. 3. I.

§. XXVI.

Nec melioris notae est, illud effugium, in quo NIGRI atque SEBRVTIDII ingenium desudauit: *Beneficium est, inquit, quod eundem totum eius causa praestatur, in quem confertur. Vbi aliquis ex eo aut sperat quid aut praeparat, non est beneficium, sed consilium. Improbe haec dicuntur: malignique & suspiciosi animi non obscurum habent specimen. Quanto verius & rectius SENECA a)? Non sum tam iniquus, inquit, ut nihil ei debeam, qui cum mihi utilis esset, fuit & sibi. Non enim exigo, ut sine respectu sui mihi consulat. Imo etiam opto, ut beneficium mihi datum, vel magis danti profuerit: dummodo id qui dabat, duos intuens delectet, & inter me seque diuiserit: li-*

DARIES OBS. L. N. T. II.

Dd

cet

cet id ipse ex maiore parte possideat, si modo me in consortium admittit, si duos cogitavit: Ingratus sum, non solum iniustus, nisi gaudeo hoc illi profuisse, quod proderat mihi. Summae malignitatis est, non vocare beneficium, nisi quod dantem aliquo incommode affecit. Subiicit memorabilia exempla, & repetit sententiam, malignae descriptioni BRVTIDII oppositam: Non sum inuidus beneficii interpres, nec desidero illud mihi tantum dari, sed & tibi. Alia quaestio est, si totum sibi praestitit alter, quod fecit, totum sibi imputauit. Sed in istud factum sit, raro ad liquidum deduci potest. Pleraque ambiguae aestimationis sunt: in quibus, si homo quidem es, humanior debet apud te valere interpretatio, vt credas, tibi quoque datum, de quo dubitatur, an sibi tantum dederit, qui fecit. Denique, si planius tecum agi vis, noli, quaeso, caussidicorum strophas sanctissimas boni moris legibus obuertere.

a) de benefic: Lib. VI. Cap. XIII.

§. XXVII.

*Exemplum
quorundam*

Sed illa quidem de CIMONE ficta est controuersia. Aliud enim traditur a NEPOTE & PLVTARCHO, in eius vita. Ex recentiore historia memorabile est, quod BAPTISTA FVLGOSIVS a) consignauit circa nuptias beneficio parandas. ROLANDVS PETRI Siciliae Regis frater, a ROBERTO Neopolitano Rege bello nauali captus tenebatur. Cumque frater eius parum de redimendo eo cogitaret (quippe qui ignauia amissam classem aegre ferret) Comiola Senensis, Messanae agens, vidua & flore aetatis, & ingenti opulentia insignis, misit, qui captiuum animum explorarent: ducturusne uxorem foret puellam, cuius liberalitate miserias carceris euaderet. Tum enim uero ROLANDVS, vt diuinitus missam opem exosculatus, prolixè polliceri coepit. Stabilito igitur per procuratores matrimonio, COMIOLA duobus auri vnciarum millibus sponsum redemit. At ille Messanam reuersus, & pactas nuptias inficiatur, neque ullam pro beneficio gratiam debere vult COMIOLAE: tanquam longe infra generis

generis regii splendorem destitutae. Conuincitur apud tribunal ecclesiasticum, amicorumque & propinquorum obiurgationibus, vt denuo animum matrimonio applicaret, adactus, in solennem congressum, velut pacti repetendi causa, venit. Ibi coram omnibus COMIOLA, cum sua beneficia commemorasset, ingratumque & perfidum eius animum notasset: ego vero, inquit, vltro nuptiis renuntio, neque, vt cum tam ignauo & ingrato homine aetatem agam, aequum existimo, atque adeo ex hoc die DEO pudicitiam meam vna cum opibus consecro. Ingrati a quouis iudice damnandus, adhuc hodie factio puellae arguitur, atque infamibus exemplis accensetur.

a) Lib. V. Cap. III.

§. XXVIII.

Similior factae de CIMONE controuersiae est historia PHILIPPI MARIAE Ducis Mediolanensis, qui fraternis odiis ad summum rerum omnium discrimen redactus, beneficio matrimonii se expediuit. *Facinus enim Canis*, Dux copiarum eius, mortem sibi imminere cernens, non aliud, inquit, O PHILIPPE, rebus tuis remedium superest, quam si me extincto, vxorem meam matrimonio tecum coniungas. Ita & gratiam militum tenebis, in quibus vnica spes; & opibus meis luculentis sane & amplis, ad constituendum tuum statum vteris. Successerunt ex voto consilia. Sed ingratus animus nullo merito mutatur. Disparem vxoris aetatem grauatus PHILIPPVS, vt scelere exiret, quod incolumitatis suae causa iniuerat foedus, ficto laesi pudoris crimine miseram percudit, peractisque iudicii imitamentis, clam interim iussit. Quid non ingratus animus designat? Sacra matrimonii, fidem coniugum, pactosque hymenaeos, impetu rumpit, & ex Principe tyrannum, ex homine bestiam facit. Te quoque, decus foeminarum AMALASYNTHA, cuius animum non arma, non astutiae inimicorum fregerunt, beneficia tua exitio dederunt. THEVDATVS erat, quem iudicio conuictum & inique rapta restituere iussum, dimise-

Dd 2

rat,

rat, et ad bonam, frugem rediturum sperauerat AMALASVNTHA. Addit clementiae munus incomparabile; mortuoque ATALARICHO filio successorem destinat. Ita & macula prioris iudicii eluetur, inquiebat; & THEVDERICI nomen, an sanguine proximus es, in te honorabitur. Sed iureiurando sanctissimo confirmabis mihi, te contentum imperii nomine, nihil de ea, quam haecenus tenui, potentia diminuturum esse. Iurat conceptissimis verbis THEVDATVS, qui nihil magis interim animo, quam iniquam ex priori offensione iracundiam flagitiosa perfidia vlcisci, agitauit. Statim enim, vt adeptus est, quae concupiuerat, cuncta: promissis contraria facit. AMALASVNTHAM carcere primum concludit, mox interficit. Accessit non minus scelus, sceleris dissimulatio: quasi nolente ipso, adeo non probante, peracta caedes foret. PROCOPIVM a) adi, diligenter ista memorantem. Quid hic obiicient Amalafunthae, ingratorum patroni? Prudentius, dicent, eligere debuit, cui beneficium daret, non debuit salutem suam homini, quem offensum sciebat, committere. Non minus flagellant THEVDATI facinus, quam virtutem AMALASVNTHAЕ laudant, qui ita cauillantur.

a) Lib. I. Gotb.

§. XXIX.

Ex diſſis
colliguntur
requisita
etiam, aduer-
sus quem in-
grati agi
possit

Quare nec inuentus est olim tam improbus caussidicus, qui vel fictae controuersiae hunc colorem inducere auderet. QVINTILIANVS a) certe, cum in actione ingrati, annotat unde moueri possint iuris cauillationes, haec tantum ponit: an is, cum quo agitur, acceperit beneficium: quod raro negandum est. Ingratus est enim, qui negat. An, quantum acceperit, reddiderit: an protinus, qui non reddiderit ingratus sit; an potuerit reddere: an id quod exigebatur, debuerit: quo animo sit. Nemo tam imprudens fuit, qui insultaret casibus humanis, & diceret: collocaſti fane beneficium, sed apud offensum. Iterum insurgent. frustra quidem in foro talia expectari, quae rei caussam inuisam, actoris honestam facerent. Sed in animis omnium, non tam certum, tribunal infidentium, quam

quam in toto orbe mores humanos arbitrantium, prudentiam eius desiderari posse ac solere, qui ingratos nec immerito suspectos beneficio affecerit. Tristem de mortalitate sententiam ferunt, qui ita iudicant: neque ratione arguunt humanos errores, sed, ut dixi, casibus humanis insultant. Quibus occinenda est grauis apologia GREGORII NAZIANZENI: cui & ipsi temere exprobratum est, quod Maximum (hic ut Iudas a praeceptore deficiens, ex intimo amico acerbissimus hostis factus erat) laudasset, prouexisset, beneficiis suis dignum iudicasset. Si ego, inquit, benignus in illum, ideo accusor, quod prauitatem eius non praeuidi, quid tandem hominis fuerit, qui pro benignitate, quam expertus est, maxima, infidias in me instruit? neque enim praeuidisse improbitatem, crimen habet (solum id DEVS potest), & nobis insuper lex praecipit, omnibus misericordiam exhibere, & patria beneuolentia religionis socios suscipere. Eum qui venit ad me, inquit Christus, non reiciam foras. Magna res mihi videbatur, Maximum a Graecorum superstitione ereptus, & sacro lauacro tinclus, & loco Herculis, Trinitatis cultum professus. Magna mihi res erat, homo virtutem capessens. Esis enim postrema satis ostenderunt, nihil etiam in primis sinceri fuisse: nobis tamen non licet ista explorare. Non cogitationibus interuenimus, non futura, nisi Deo reuelationem gratificante, scimus. Nam nos quidem faciem videmus: Animum Deus introspicit. Pia oratio, cuius vim & ipse complectitur, postquam exprobrantes introduxisset. Quid igitur? an non heu in amicis hunc habebas? annon summis eum dignabare laudibus? in responsione tum multa praeclare, tum illud: Viro fideli nihil ad habendam fidem facilius est, qui ad pietatem & probitatem, quae vel est in aliis, vel esse videtur, statim adiungi cupit, o vitium probum! Et subinde: Si peccatum hoc est, multa memini talia me peccauisse. Sed ignoscetis, Iudices, tam praeclaro peccato meo. Erat quidem ille pessimus; sed colebam eum pro bono.

a) L. VII. Instit. orat. 4.

§. XXX.

*De actione
ingrati ad-
uersus in-
gratum in
patriam*

Ceterum, cum ingrati animi vitium per omnem vitam late pateat, insignioris tamen notae hoc crimen est, quando in patriam, parentes, & qui loco parentum sunt, praecipitores, patronos, hospites committitur. Quo enim sanctionibus humanae societatis vinculis, haec nomina destinantur, eo foedius ea violari, in aperto est. Et de gratia quidem patriae debita, aut iis, in quos se patria conuertit, Principibus, luculenti in multas fori actiones transferuntur loci grauiusque fere, quae hic peccantur; appellari solent, neque tam facile est (vt hoc vnicum annotemus) inuicem patriam & Principes, ingrati arguere. Quod probe intellexit VALERIVS MAXIMVS a) in istis: *Ceterum vt senatus populique mens in modum subitae tempestatis concitata, leni querela prosequenda est: ita singulorum ingrata facta liberiore indignatione proficindenda sunt.* Factione senatus ROMVLVS, tribunitiis furoribus reliqui, quos vbi refert, conciderunt. Miserandum inter haec turbamenta publici decoris, reipublicae nomen, sui parum compotis. Multo minus ferendum est, si falsis rumoribus Principum fama aspergitur. Quibus non debuit moueri BAPTISTA FVLGOSIVS b), vt actionem ingrati aduersus IVSTINIANVM Imperatorem instrueret, quod BELISARIVM post ingentia merita, erutis oculis stipem mendicare coegerit. Quam rem alii ad exempla vertentis fortunae maluerunt referre. Sed quo auctore ista iactantur? Ioannem Tzezem frustra nominabis. Nam is non tacuit aliorum historicorum monumenta, negantium, id Belisario accidisse. Sicut iam monuit NICOLAVS ALEMANNVS in notis historicis ad Procopii aedndora. Idem, qui Ioannis Cappadocis Patricii Exconsulis casum eius generis suggerit, vnde nata haud dubie fabularum architectis occasio omnia permiscendi. Id quod Petro Crinito, & Raphaëli Volaterrano per est familiare. Sed libros tot iam censuris consillos, totque mendaciorum conuictos, mirum sit, si quis hodie securo animo velit sequi. Verum, post Giphanium, et alios, nolumus actum agere. Demenda est potius iniuria venerando nomi-
ni

ni FRIDERICI II. Imperatoris aspersa apud FVLGOSIVM c): ubi reus ingrati erga HONORIVM ceterosque Pontifices & Ecclesiam Romanam animi agitur optimus Princeps. Intorabilis est insolentiae, muneris Pontificii facere imperium: quod FRIDERICO Principum auctoritas rite detulerat; ita ut solennem caerimoniam Romanae coronationis Pontifex sine flagitio denegare non posset. Neque vlla in Ecclesiam & Ecclesiasticos iniuria a FRIDERICO orta est: Sed Pontifices, benignitatem Imperatoris singularem erga Ecclesiam, ingrati animo, modo Episcopos in eum extimularunt, modo turbas & rebelliones vndique concitarunt, ut redigerent in ordinem, quem reuereri, & obsequio demereri diuina humanaque lege tenebantur. Scilicet huius Imperatoris potentia, vires, prudentia, magnitudo animi, rerum bellicarum peritia, formidolosa fuere Romano sacerdotum senatui. Ut recte iudicat AVENTINVS, additque; *Visum est flaminibus Romanensibus imperium germanum magis florere, quam ipsis vtile foret. Placuit id contundere, atque discordia non solum debilitare, sed in cineres quoque atque fauillas redigere, & FRIDERICVM huncce a fastigio rerum humanarum deturbare.* Haec Innocentio, haec Honorio & Gregorio mens. Egit bonam causam non segniter *Petrus de Vineis.*

a) Lib. V. Cap. III.

b) Lib. V. Cap. III.

c) l. c.

§. XXXI.

De ingratis erga parentes liberis Diuinae humanaeque *adiutus in-*
literae amplissime decernunt: nobilis extat legislatio Impe- *gratum in*
ratoris IVSTINIANI a), quam interpretationes ex omni ae- *parentis*
quitate vndique repetitae suppleant. Huius loci est etiam officium τῆ ἀντιπελαργεῖν siue τῆς ἀντιπελαργώσεως seu mutuum alimentorum & sustentationis vicem exhibendi parentibus; diuina lege praeceptum: quo, iuxta interpretes Hebraeos filius tenebatur, *ut cibum & potum parenti subministraret, vii & vestitum, ex eo scilicet, quod Patris est, seu ex bonis*

bonis paternis: quibus si careret, cogendus erat filius, si ipsi bona essent, ut utrumque aleret parentem, in quantum posset. Cui tamen sanctissimo, & quod iuri divino responderet, officio derogatum voluit glossa Pharisaica, in quam inuehitur CHRISTVS Matth. XV. s. Marc. VII. 14. Ad quem locum explicandum pertinebunt, quae annotarunt praeclarissimi viri. DILHERRVS b) & SELDENVS c). SOLONIS lege, qui non alerent parentes, infamia notabantur. d) Apud SENECAM annotatur lex: liberi parentes alant, aut vinciantur. Et quae reliqua.

a) Nou. CXV. c. 9.

b) *Disput. Tom. II. Disp. III. q. 5.*

c) *de I. N. & G. iuxta discipl. Hebraeorum. VII. 2.*

d) *DIOG. LAERT. in Sol. Lib. I. controu. 1. & 7.*

§. XXXII.

Praeceptoribus non multum infra parentes deberi, nemo fuit bonus unquam, aut non barbarus, qui negaret. Magnifica prorsus, & in primis morata commendatione IULIANVS a) effert beneficium EVSEBIAE Imperatricis, a qua libros Philosophorum, Historicorum, Oratorum, Poëtarum acceperat, id est, verum ad prudentiam & virtutem comparandam praesidium: omnisque humanitatis expertem censet, qui non cupiat gratiam referri tanti muneris auctori. Quanto autem plus debetur gratiae ei, qui non libros, sed librorum intellectum vsurque praemonstrat, id est, fido praecceptorum? Sed hoc vinculo facile se ingrati expediunt scilicet. Quid enim? adolescens debui, inquit, quod debere desii, postquam eo loco constitutus sum, ut praecptorem meum queam despiciere. Tum: operae pretium ei numeravi, quid potest a me desiderare amplius? Puto non defuturos, qui per magnitudinem animi nihil desiderent amplius: praeclare imo secum agi putent, si non experiantur hostes, quos educarunt discipulos. Sed qua auctoritate possit fieri, ut lex aeterna habeatur pro temporaria, & breui circumscribatur tempore pietas, cuius causa perpetua est, parum in expedito est. Respondeat his hominibus SENECAB),

*Aduersus
ingratorum
in praec-
ptores.*

c a b), felix cetera, nisi discipulum habuisset Neronem. *Isto modo*, -inquit, *ne medico quidquam debere te, nisi mercedulam dices: nec praeceptoris, quia aliquid numeraueris, atqui omnium horum apud nos magna caritas, magna reuerentia est — Quid ergo: quare & medico & praeceptoris plus quiddam debeo, nec aduersus illos mercede defungor? Quia ex medico & praeceptore in amicum transeunt, & nos non arte, quam vendunt, obligant, sed benigna & familiari voluntate.* Ostendit deinde sollicitudinem & vnicum affectum medici, aegro suo timentis: ad exemplum Philippi apud Curtium: longe dissimilis scilicet, alterius, quo Pyrrhus utebatur, venefici Timocharis; aut impostorum, quos iterum describit SENECA c): *Multi quos anxerant morbos, & incitauerant, ut maiore gloria sanarent, non potuerunt discutere, aut cum magna miserorum vexatione vicerunt.* Progressus a medico ad praeceptorem. hic quoque distinguit vulgarem praeceptoris operam & singularem ac familiarem. *Ne praeceptorem quidem*, inquit d), *babeo, cur venerer, si me in grege discipulorum habuit: si non putavit dignum propria & peculiari cura, si nunquam in me dixerit animum: & cum in medium effunderes, quae sciebat, non didici, sed excepi.* Haec si exigentur ad normam sanctioris philosophiae, non sustinent censuram cordati iudicis: nisi comparandi meriti causa, non dissoluedi, dicta acceperis. Sequitur enim de peculiari opera: *Alter (praeceptor) rursus in docendo, & laborem & saedium tulit, praeter illa quae a praecipientibus in commune dicuntur aliqua instillauit ac tradidit, hortando bonam indolem exexit, & modo laudibus fecit animum, modo admonitionibus discussit desideriam. Tum ingenium latens, & pigrum, iniecta (vt ita dicam) manu, extraxit: nec quae sciebat maligne dispensauit, quo diutius esset necessarius, sed cupiit, si posset, vniuersa transfundere. Ingratus sum, nisi illum inter gratissimas necessitudines diligo.* Adiicit plura in hanc sententiam: quae furdus plerumque auribus occiuntur.

a) Orat. 3.

b) de benefic. Lib. VI. 15.

c) l. c. Cap. 36.

d) l. c. Lib. III. 16.

§. XXXIII.

*Aduersus
ingratum in
patronum*

Patronorum officia, etiam in foro, gratum reposcunt animum, non tantum, vbi gratuita sunt, sicut apud Romanos quodam tempore; sed etiam, vbi emolumentis aestimantur: si patronus, non suo quaestui inhiauit, sed meis commodis prospexit: ad inimicorum insidias occurrit, excubuit, timuit; nihil diligentiae, & amoris pro causa reliquum fecit, id est, si amicum se praestitit. Quare ingrati merito apud omnem posteritatem reus est Popilius Ciceronis interfector. Controuersiam ita proponit SENECA a): *Popilium parricidii reum Cicero defendit: absolutus est. Proscriptum Ciceronem ab Antonio missus occidit Popilius, & caput eius ad Antonium reuulit, accusatur de moribus.* Tanquam ingratus scilicet. Id quod amplius interpretatur VALE- RIVS MAXIMVS, facunda commemoratione sceleris, quam ita claudit: *Inualidae ad hoc monstrum sugillandum literae: quoniam qui talem Ciceronis casum satis digne deplorare possit; alius Cicero non extat.* CAPITONIS apud SENECAM ista est oratio: *Deduxi ad vos reum omnium, quos terra sustinet, nocentissimum, ingratum, impium, percussorem, vbi parricidam: nec tamen timeo, patroni viderint. Nemo a Popilio quidem, nisi post beneficium occiditur.* Quod defenderit Cicero hunc Popilium, ex historia desumptum est: quod in causa parricidii defenderit, ab ingenio declamatorum est, qui nocentiosem voluerunt reum facere, & occasionem sententiae ac figuris quaerere. Etiam si autem in priuato iudicio defensus sit, ingrati animi crimen ac inuidia non simplex in reum incumbit. *Naturale est enim, vt quod in nullo patrono oportuit, indignius sit factum in Ciceronem patronum; quae Latronis est sententia.* De manumissorum & libertorum grato ingratoque in patronos animo eiusque poena, iure ciuili Romano Graecoque abunde decretum est. Patrocini nobilioris genus, quod Romae instituit ROMVLVS, partim lege publica,

publica, partim pactione priuata, partim moribus & institutis continebatur: denique mercenaria res tota facta est, & ex formula conuentionis iudicanda. Sicut autem sancta in primis Patroni & clientis antiquitus nomina sunt: ita haud dubie inuisum fuit & animaduertendum crimen, *cliens ingratus*. Atque si LL. XII. Tab. proditum fuit, *Patronus, si clienti fraudem fecerit, sacer esto*: non immerito credas, clientis quoque in patronum fraudem seuera lege vindictam esse. Quanquam clientium infirmitas, ab iniuria potentiorum, per illam legem vindicata, non aequae ad nocendum efficax aestimari potest. Sed in hoc genere necessitudinis, cum beneficium & obseruantia utramque paginam faciant, de quibus inuicem pugnabant veteres, proditae non reperiuntur in iudicio querelae. Ingrati scilicet querela ad beneficii auctorem spectat, ac eius nomine instituitur: aggrauaturque, si is pater, aut praceptor, aut patronus, aut hospes fuerit.

a) Lib. III. Controu. 17.

§. XXXIV.

Nam & hospitii sanctimoniam, non virtus modo & humanitas, ut hodie, sed iura etiam & leges definiebant. *Aduersus ingratum in hospitium* Omnia autem lege fortius sacrauit iura hospitii Philippi Macedoniae Regis seueritas: *qui improbissimo militi, ingratiissimo hospiti, auidissimo naufrago, stigmata inscripsit, ingratum hospitem testantia*, quasi diceret interprete *SENECA* a): *Aequum est, inter fines regni mei, te literas istas oculis inscribendas, durissima fronte circumferre; ostende, quam sacra res sit mensa hospitalis; praebe in facie tua legendum istud decretum. — Magis ista constitutio sic erit rata, quam si illam in aes incidissem.*

a) de benefic. IV. 38.

§. XXXV.

Et si quidem lex aduersus ingratos in aliqua ciuitate ferenda sit, nemo suaserit, dubia aut incerta comprehendi. Nemo postulabitur ingrati, qui nondum reddidit beneficium; *Actio ingrati a quo & aduersus quem instituitur*

E c 2

cium;

*tuenda, bu-
ius ponun-
tur duo gra-
dus*

cium; qui minore mensura reddidit; qui non reddidit ei, de quo dubitari potest, an dederit beneficium. In confesso sint merita oportet: in confesso crimen ingrati animi. Quod cum multiplex sit, duabus tamen praecipue rebus certitur: vel cum dissimulatur & negatur beneficium; vel cum bene meritis dictis factisque laeditur a). Illud prius genus ingratorum, crebrum & frequens; hoc posterius, tanquam ferinae cuiusdam & inhumanae prauitatis, rarius existimavit IULIANVS, cuius sententiam exempla nouissimi temporis non affirmant, legislatorem autem potius monent, vt incrementibus vitiis modum statuatur. Praecipua scilicet legis condendae industria in eo versabitur, vt ii coërceantur, qui homines de se sine controuersia bene meritos, calumniis, maledictis, iniuriis, molitionibus inimicis ac hostilibus violant. De quibus CAROLVS PASCHALIVS b) in hunc modum differit: *insigniter ingratus is est, quem non modo tibi beneficio non adiunxisti, nec solum pro benefactis gratiam non reddis, sed maledicta, eaque insuper malefactis cumulat. Cui plus debet, hunc magis odit, ex obligato, ac debitor fit inimicus, nunquam non periniquus, irarum, minarum, ultionis plenus. Hoc deterrimum genus hominum, e quibus nihil nisi messem mali metere licet, quidam assimilant arietibus, qui altorem suum saepae cornibus incurvat. Ego potius talem dixerim esse lupum illum, de quo extat graecum epigramma, ἔ λυκὸν ἐξ ἰδίων μαζῶν τρέφω. — — Hoc genus ingratorum notat sapiens hisce verbis: Qui, inquit, reddis mala pro bonis, non rececit malum de domo eius. In dissimulatores & inficiatores beneficiorum, relinquuntur, puto, suis moribus, qui de beneficio accepto, non satis euidenter possunt conuinci. Sed qui indubitabilibus sunt beneficiis affecti, ope adiuti, liberalitate subleuati, doctrina eruditi, cura educati; hi, si inhumana impudentia velint inficiari merita, & quod plerumque sequitur, maleficii sui turpitudinem minuere; illi malo domandi fuerint.*

a) *vid. supra §. 3. ff.*

b) *in censura animi ingrati Cap. XXIX.*

§. XXXVI.

In utroque hoc genere eminent flagitii atrocitate, quibus beneficia eo usque lata sunt, dum videntur exsolui posse; ^{gradus ter-} ubi multum anteuenere; pro gratia odium redditur. Ex odio iniuria; ex iniuria nouum odium. *Proprium enim humani ingenii est, odisse quem laeseris. Hoc habent pessimum animi magna fortuna insolentes; quos laeserunt & oderunt.* Et descripsit quidem ingratorum ingenia moresque, turpitudinisque tantae notas & insignia in literas misit, eademque opera quasi suaseriam legis aduersus ingratos concinnauit doctissimus vir LILIVS GREG. GYRALDVVS *a*); omisit autem, siue reperiri non credidit, pessimum genus ingratorum, qui cum inficiari non possint manifesta hominum de ipsis praecclare meritorum beneficia, quorum tamen hostili interim odio flagrant, inuertere totam causam, & a sensu horribilis fallaciae auertere mentes aliorum conantur, ementiendo sine nomine & ex longinquo beneficia, velut in eos collata, erga quorum verissima beneficia se ingratos praebent, cum tamen nec voluerint, nec potuerint facere, quod iactant, manifesta quae rerum fide & inuictis argumentis mendacii ac vanitatis argui possint. Interea apud homines rei totius ignaros, famam ingrati animi, cuius sibi conscii sunt, obliterare, atque vltro querelam illam ferere student, quam aduersus quem in fabulis lupus orditur. Caeterum inauditae malitiae fraudem, operae pretium est victuris chartis detestari peculiari cura, qua Charites ornabuntur.

a) *Paraenes. aduersus ingratos Tom. II. oper.*

§. XXXVII.

Quum autem manifesta eiusmodi & nefaria ingrati animi crimina, lege describi atque coerceri queant, quid relinqui dubitationis potest? quod in liberis IVSTINIANVS Imperator, quem ante laudauimus, in exemplum prudenter grauiterque perfecit. Poena, vt statuatur more Perfarum in ingratos, multas ob causas, nemo suaserit, neque antiqui, vsque quaque probarunt. *Ex dictis respondetur ad quaestionem: An legem aduersus ingratos ferre, sit iustitia.* AMMIANI MARCELLINI notus est

est locus: *Leges apud Persas impendio formidatae, inter quas diritate exsuperant, latae contra ingratos, & desertores.* Ignominiam statuere notabilem, loco poenae, consultius est: ad quam delendam expiationibus quibusdam locus non praecludendus esset.

§. XXXVIII.

*Et an sit
prudentiae*

At, inquis, quin ferre aduersus ingratos leges possint, penes quos condendi iuris potestas est, nemo abnuat. An autem consultum sit hoc facere, non aequè in expedito est. Nos illam disputationem nunc ingredi non constituimus, nisi quod ex allatis haud pauca huc faciunt. Sunt exempla grauissimarum nationum: est ratio summa in rei utilitate, ad finem publicae felicitatis consequendum necessaria; cum non minus ingrati animi vitium omnes morum labe continere aut trahere credatur, quam gratus animus omnium virtutum prouentu ac necessitudine celebratur: est increfcens hoc aut illo aeuo hominum prauitas, & ingratorum multitudo; qui in aliis discunt & experiuntur, quod paulo post aduersus patriam exerceant: Sunt alia momenta, quae tempus, locus, & componendae disciplinae publicae ratio suppeditare solet. SENECAE rationibus plerisque iam responsum est *a)*, nec multum proficit sollicita illa *beneficii & debiti* distinctio. Quasi minus debeantur, quae ex lege naturae, & summa iustitiae ratione, etiam extra ciuilem formulam, debentur; quam ea, quae ciuilibus decretis sanciantur. Ut taceam, illam sententiam ad eos tantum ingratos pertinere, a quibus reposcitur beneficium, siue qui reddendi beneficii causa appellantur: cum potior de iis quaestio sit, qui pro bona gratia malam reddiderunt, beneficiumque maleficio rependerunt. Sed nec illa Stoicorum iactantia apud legislatoris aures tempestiue promulgatur, qua altiora subinde consilia, neque ex virtutum regulis, sed instituto quodam gloriae extra ordinem petendae, aestimanda in ore habent. Sicut autem, iniurias etiam maximas, ex proposito quodam sublimiore, tolerare, nemo ver-

vetatur: ita vt hoc faciat quispiam, nullus legislator, nullus iudex, quorum munus sanctissimum in prohibenda & punienda iniuria praecipue versatur, praecipere solent.

a) *conf. supra §. 4. ff. a nobis monita.*

§. XXXIX.

Denique **SENECA** a) de poena ingrati disputans. *Quid De poena ingrati ergo?* inquit, *impunitus eris ingratus?* Mox decernit ei poenam, *odium publicum, suppliciorum grauisimum; iram deorum, tormenta conscientiae, tristem & morosam vitam!* cum ex diuerso *gratus* homo aequali perpetuaque voluptate fruatur. *Comparari autem potest (ita pergit) utriusque vita, cum alter tristis sit & sollicitus, qualis esse inficiator ac fraudulentus solet; apud quem non parentum, qui debet, honor est, non educatoris, non praeceptorum: alter laetus, hilaris, occasionem referendae gratiae expectans, & ex hoc ipso affectu gaudium grande praecipiens; nec quaerens quomodo decoquat, sed quemadmodum plenius vberiusque respondeat, non solum parentibus & amicis, sed humilioribus quoque personis.* Et iam antea de crimine ingrati dixerat b): *neque absoluius illud, sed — — — tantum odio damnauimus, & inter ea reliquimus, quae ad iudices Deos mittimus.* Imitatur **GROTIUS** c) hanc sententiam, *cum talia peccata DEO vult punienda relinqui, qui & ad ea noscenda est sapientissimus, & ad expendenda aequissimus, & ad vindicanda potentissimus.* Loquitur **GROTIUS** de peccatis, *quae nec directe nec indirecte spectant ad societatem humanam, aut ad hominem alterum.* Tale autem peccatum esse ingrati animi vitium, in manifestis illis & enormibus speciminibus, quae ante designauimus, concedi nec potest, nec debet, quod & **FELDENO** obseruatum. Itaque crimina ingrati animi quatenus incertam aestimationem habent, lege non coercentur: quando autem clara sunt & indubia, in libertis, in liberis, etiam ius romanum puniuit, cum id, reipublicae interfit, & ad salutem ciuitatis pertineat. Quare & **GRASWINCKELIUS**, **GROTII** mentem ita explicat, vt omissionem

nem gratiae, non offensionem aut laesionem, intelligamus, addique: *Gratitudo aduersus parentes ac patronos etiam cogi potest, non enim in arbitrio liberorum & libertorum est, gratum esse, sicut aliorum quorumlibet.* Quae postrema, verba, comparisonem habere possunt, sententiam absolutam tueri non possunt, neque enim, accurate loquendo, dixeris: cuiusquam arbitrio relinqui, gratus velit esse, an ingratus; Si itaque GROTIVS dixerit, in suscipiendo bello non temere suadendum esse, vt aduersus ingratos suscipiatur, si nulla alia causa accesserit, reprehendi non debet voluntas, restringere bellandi licentiam conantis. Sicut nemo facile iudicauerit: hic populus aduersus libertatis suae auctores & defensores cornua erigit, insolentemque se & ingratum praebet, ergo armis petendus & ad officium redigendus est. Verum, si iniuriae aliae manifestae, quae bello iustam causam dant, accesserunt, ingrati animi vitium in suaforiis rationibus ad bellum impellere potest tam indigne laesos d).

a) de benefic. III. 17.

b) l. c. III. 6.

c) I. B. & P. Lib. II. Cap. XX. §. 20.

d) conf. a moais §. 14. ff. posita.

§. XL.

*Quid haec
de re iuris
diuini*

Qui interim legis iudicisque beneficio tueri se ab ingratu nequeunt, & ad Dei tribunal, vt ante dictum est, remittuntur, illi & ipsi; non tam vindictae studio, quam fiducia auxilii, pietatis memores, ac inter hostiles ingratorum insultus, caritatis non oblitu, ita suam causam cupiunt agere, vt emendari ingratos non euerti desiderent. Sciunt, quae ingratos poenae apud PROPHETAM a) ineuitabili oraculo denuntiantem maneat: sed mallent illas deprecari, quam imprecari. Igitur intra hos limites oratio eorum decurrit: Vides, Optime Maxime DEVS, qui ingratos odio & poena damnasti, gratos praemiis promissisque incitasti, nos hostilibus insidiis peti ab iis, quos alui-

mus,

mus, quos educauimus, neque furoris aduersum nos summi quicquam reliquum fieri; vides nostra beneficia immantibus maleficiis rependi. Non ignoras, qui omnia scis, quoties & quantum ignouerimus: candidaque & simpliciter, erroribus humanis, quae, vt res docuit, inhumanae prauitatis erant, tribuerimus. Sed in laesam toties patientiam, furor insurrexit semper acrior; neque aliud quam interitum eorum sperauit, qui tua haecenus sustentante dextera steterunt. Conserua nobis tua munera DEVS Optime: resiste occultis insidiis, retunde apertas molitiones, dissipata conatus, obiurga bella nullos habitura triumphos. Fac vt ad se, & ad te redeant, qui hominem exuerunt, & tua praeccepta conculcarunt. Nos ad veniam dandam semper erimus parati. En gregem nostrum, qui se tibi in clientelam & fidem tradidit! hunc cene tu, Patronorum Maxime, calumniis inquinari, iniuriis affligi, viuus vidensque (viuens in perpetuum, videns omnia) patieris? *Fac mecum signum in bonum; vt videant, qui oderunt me, & confundantur: quoniam tu, Domine, adiuuisti me & consolatus es me.* b) Huiusmodi preces non magis possunt vanae esse, quam certum fixumque est DEVM esse, fuisse, futurum esse gratorum patronum, ingratorum vindicem, qui suo digito scripsit legem, *Ingrati* sit actio.

a) *Psal. XLI. & LL.*

c) *Psal. LXX XVI. 17.*

OBSERVATIO LIV.

Ad §. 322.

DE

EO QUOD AD $\tau\theta$ NOSTRVM PERTINET
SPECIATIM MORALE.

§. I.

Dixi §. 277. IN, ea, quae obligationi nostrae conuenienter, seu pro arbitrio nostro ad nostram dirigere possumus felicitatem, constituere $\tau\theta$ nostrum. Est definitio nominalis

DARIES OBS. L. N. T. II.

Ff

minalis

minalis. Inquiramus in realem. Decisiones enim controuersiarum, quae de laesione damniue praestatione mouentur, iis a notionibus, quae id, quod ad *ro* nostrum pertinet, determinant, dependere manifestum est. *Primo* itaque ea, quae metaphysici hac de re generatim dicunt, euoluturi, & deinde doctrinam metaphysicorum per iuris naturalis dogmata magis determinaturi sumus, quo id, quod ad *ro* nostrum morale pertinet clarum atque perspicuum possit euadere.

§. II.

*Subiectum,
qua ratione
sit determinatum &
qua ratione
indeterminatum*

Notum est ex metaphysicis, subiectum, de quo quaestio ponitur, ea ratione determinatum esse, qua habet, ex quo responsio datam ad quaestionem fuit: eatenus vero indeterminatum esse, quatenus non habet, ex quo datam ad quaestionem fuit responsio.

SCH. Ponamus e. g. notionem de triangulo, qua sit spatium tribus lineis terminatum, porro quaestionem de angularum numero, & facile patebit, hunc posita illa notione esse determinatum. Quia enim spatium tribus lineis terminatum est, huic tres inesse debent anguli. Ponamus porro quaestionem de linearum qualitate, verum sint rectae an curuae, & patebit, hoc posita illa notione esse indeterminatum, quia non habet, ex quo hanc ad quaestionem fuit responsio. Spatium enim & tribus lineis rectis, & tribus lineis curuis terminari potest.

§. III.

*Essentia rei
est determinata*

Quaelibet res talis est, quia talem habet essentiam, & mutata rei essentia ipsa res mutata est. (§. 22. Ph. pr.). Ex quo fuit, quamlibet rem habere, ex quo fuit responsio ad quaestionem, quid sit, ideoque posita re, ipsius quoque essentiam esse determinatam. (§. 2.).

§. IV.

*Quae praeter
essentiam*

Basis eorum, quae subiecto praeter essentiam competent,

tunt, ipsa subiecti est essentia. (§. 28. & 15. Ph. pr.), sed non eadem ratione. *Alia* nimirum per subiecti essentiam determinantur. *Alia* per eiusmodi subiecti essentiam non determinantur, sed eorum determinatio per eiusmodi subiecti essentiam solummodo ponitur possibilis. Illa subiecti *naturalia*, haec vero *accidentalia* vocantur.

*an infans
aut sunt
naturalia
aut acci-
dentialia*

SCH. Sic v. g. si quaeritur, vtrum homo sit finitus an infinitus, ipsa hominis essentia habet, ex quo ad quaestionem illam fuit responsio, nimirum hominem esse finitum. Essentia itaque hominis finitudinem determinat; adeoque est hominis naturale. Si vero quaeritur, vtrum homo sit doctus an indoctus, essentia hominis non habet, ex quo responsio fuit: hominem esse doctum. Sed essentia hominis ea solum habet, per quae eruditio est possibilis. Eruditio itaque inter hominis accidentalia referri debet.

§. V.

Duo porro naturalium concipienda sunt genera. Si enim ea, quae subiecto praeter essentiam competunt, per subiecti essentiam determinantur, aut eorum opposita subiecto, salva manente eius essentia, inesse nequeunt, aut per aliorum concursum in eodem subiecto, salva manente eius essentia, alia ratione determinari possunt. Illa vocantur *essentialia consecutiva*; haec vero nomen generis seruant, & vocantur κατ' ἐξοχήν *subiecti naturalia*. Vfus loquendi patet ex iure feudali.

*Naturalium
duo
sunt genera.*

SCH. Sic v. g. tres habere angulos, est essentialia trianguli consecutivum, non enim ipsa solum essentia trianguli, qua est figura tribus lineis terminata, hoc determinat, sed & salva trianguli essentia fieri non potest, vt oppositum insit praedicatum. Porro emtionis venditionis essentia determinat ius emtori competens a venditore praestationem emtionis postulandi, salva tamen emtionis venditionis essentia fieri potest, vt emtor huic iuri renunciet. Est itaque ius illud emtionis venditionis naturale in specie sic dictum.

F f 2

§. VI.

§. VI.

*Quae ad
essentiam
referuntur*

Hisce ex notionibus fluunt regulae in adplicatione iuris naturalis ad ea, quae obueniunt, bene notandae.

Prima: *Posita re ponenda quoque sunt eius essentialia consecutiua.* (§. 5. & 2.).

Secunda: *Posita re, in dubio quoque praesumi debet, eius naturalium in specie sic dicta esse ponenda* (§. cit.).

§. VII.

*Praedicata
naturali
opposita
sunt acci-
dentialia*

Si subiecto competat praedicatum naturali eius in specie sit dicto oppositum, hocce praedicatum obuio in subiecto erit accidentale. Quicquid enim subiecto praeter essentiam competit, & tamen per essentiam non determinatur, id est eius accidentale (§. 4.). Sed praedicatum illud naturali oppositum subiecto competit praeter essentiam, & per subiecti essentiam non determinatur (§. 6.). Praedicatum itaque illud inter subiecti, quod ponitur, accidentalia referri debet.

§. VIII.

*Inde duo
accidentia-
lium genera*

Colligimus inde, duo accidentalium ponenda esse genera: *alia* enim ita comparata sunt, vt eorum opposita sunt subiecti, de quo quaestio est, naturalia in specie sic dicta; *alia* ita comparata sunt, vt ne eorum quidem opposita per subiecti essentiam determinentur. Horum itaque ratione subiecti essentia, qua talis, est indifferens.

SGH. Sic v. g. doctum esse, est hominis accidentale primi generis, oppositum enim eius, indoctum esse, per essentiam hominis, qua talem, determinatur, id est, homo naturaliter spectatus est indoctus. Porro existimatio bona est hominis accidentale posterioris generis. Essentia enim hominis, si qua talis spectatur, & ad existimationem bonam & ad existimationem malam indifferens est.

§. IX.

*Accidentia-
lia unde*

Si subiecto accidentale competat praedicatum, necesse erit,

ut aliquid, quod praedicatum illud dato in subiecto determinat, accedat. Ponamus obuio subiecto accidentale competere praedicatum, hoc erit aut accidentale prioris, aut accidentale posterioris generis. De quibus §. 8. Si prius, in locum praedicati naturalis aliud positum est, quod naturali oppositum. Aliquid itaque praeter essentiam adesse debet, quod praedicatum illud dato in subiecto determinat (§. 6.2.). Si posterius, id in subiecto determinatum est, ad quod essentia eius, in se spectata, iudifferens. Ergo & hoc in casu necesse est, aliquid praeter essentiam adesse, quod illo in subiecto obuium determinat accidentale.

§. X.

Accidentale illud aut subiecti, cui competit, perfectionem aut eiusdem imperfectionem constituit. (§. 4. obs. 10.)

*sunt aut
perfectio
aut imper-
fectio*

§. XI.

Si accidentale, quod subiecto competit, & quod eius naturali oppositum, sit eiusdem subiecti perfectio; consequens erit, naturale illud aut esse perfectionis per subiectum illud possibilis defectum, aut cum accidentali, quod sumitur, aequaliter bonum. Naturale enim illud, cui accidentale, de quo sermo est, oppositum aut est eiusdem subiecti perfectio aut non. (§. 4. obs. 10.). Si posterius, quum accidentale illud sit subiecti perfectio, erit defectus perfectionis. Si prius, naturale aut erit perfectio maior accidentali, aut minor, aut cum accidentali aequaliter bonum. Si primum, accidentale obuia in relatione non erit perfectio, quod contra hypothesein. Si medium, naturale iterum perfectionis inuoluet defectum. Ergo propositio, quae sumta, manifesta est.

*si perfectio
qualis eor-
um ad na-
turale rela-
tio*

§. XII.

Qui hic dissentiunt, argumentantur primo: Si essentia subiecti A determinet praedicatum B, oppositum ipsius B essentiae subiecti A repugnabit. Quicquid essentiae subiecti A repugnat, id cum eodem subiecto combinari nequit. Fieri

*Ponuntur
dubia*

Ff 3

itaque

itaque non potest, ut subiectum A habeat praedicatum accidentale, quod praedicato naturali per essentiam eiusdem subiecti determinato oppositum. *Deinde.* Quicquid per essentiam subiecti determinatur, id eiusdem est perfectio. Contradictionem itaque inuoluit propositio, qua affirmatur, subiecto competere praedicatum accidentale, quod est perfectio, cuius defectus per eiusdem subiecti essentiam determinatur.

§. XIII.

*Et respon-
detur ad
primum*

Sed, quod argumentum primum attinet, nego consequentiam propositionis, quae primo loco sumitur: Si essentia subiecti A determinet praedicatum B, oppositum ipsius B essentiae A repugnabit. Consequens, si legitime ex antecedente, quod sumitur, sequatur, ea, quae sequitur, ratione erit limitandum: *oppositum ipsius B essentiae subiecti A nude posita repugnabit.* Deinde & ea propositio, quae sequitur, limitari debet: *Quicquid essentiae subiecti A repugnat, id cum eodem subiecto combinari nequit.* Sermo enim est aut de eo, quod essentiae subiecti simpliciter repugnat, aut solummodo de eo, quod essentiae subiecti, quatenus nude ponitur, repugnat. Priori casu concedo propositionem, posteriori vero nego. Hac itaque limitatione sensus propositionis erit: *Essentia subiecti A nude posita non sufficiens est, ad id determinandum praedicatum, de quo quaestio ponitur.* Eiusmodi itaque praedicatum cum essentia subiecti nude posita combinare ea ex ratione contradictionum est, quia deficit, quod praedicatum hocce determinat.

SCH. Sic v. g. essentia hominis nude posita, quae limitata est, permultos inuoluit defectus atque negationes, quae exercitio aliorumque mediorum adcommodatione perfectionibus atque positionibus possunt mutari. Inter eiusmodi defectus refertur defectus eruditionis. Quae ex causa propositio: *homo per essentiam nude positam est doctus*, inuoluit contradictionem, seu, quod idem est: *eruditio essentiae hominis nude posita repugnat*, quia insufficientis est ad determinandam eruditionem.

ditionem. Accedat diligentia, quae per hominem possibilis est, & haec defectum eruditionis, qui per essentiam hominis nude positam determinatur, eruditione mutabit. Experientia itaque confirmat, quae a priori constituta sunt.

§. XIV.

Quoad alterum argumentum iterum nego veritatem propositionis, quae primo loco ponitur, nimirum subiecti perfectionem esse, quod per eius essentiam determinatur. Quam enim essentia, quae limitata est, ea ex ratione, quia limitata est, & defectus, & positiones determinare possit, defectus vero sint imperfectiones, positiones sint perfectiones (§. 2. obs. 10.); manifestum est, propositionem illam non esse vniuersaliter veram, ideoque, si sit vera, ea, quae sequitur, ratione limitandam esse: *omne positum, quod per essentiam subiecti determinatur, huius subiecti est perfectio.*

SCH. Quae in Sch. ad §. 13. euoluta sunt, ea quoque, quae hocce in commate posita, corroborabunt.

§. XV.

His praemissis, facile erit perspicere, quid sit id, quod ad τ^o nostrum pertinet, & qua ratione, aliquid ad τ^o nostrum pertinere, dicendum. *Ad τ^o suum subiecti*, de quo quaestio est, omne id pertinet, quod in eodem determinatum est. Quicquid itaque subiecti, de quo quaestio est, statum constituit, id quoque ad τ^o suum eiusdem subiecti pertinet (§. 2. Pr. IN.).

SCH. Sic pietas, eruditio, diuitiae, & quae sunt reliqua ad τ^o suum Caii pertinent, si Caius ea ratione determinatur, ut sit pius, doctus, diues. Id est, quod vulgaris loquendi vsus docet.

§. XVI.

Qui itaque aliquid ad τ^o suum obuui subiecti pertinere demonstrare cupit, is probare debet, posito illo subiecto adesse, ex quo ad quaestionem, vtrum id, de quo quaestio est, *hoc est vel connotatum, vel adquisitionum*

est, obuiò subiecto insit an non insit, fuit responsio (§. 2.). Responsio illa aut ex ipsa subiecti essentia, aut ex factis, quae accedunt, sumitur. Si illud, determinatio, quae sumitur, ad *τὸ suum subiecti connatum seu absolutum*, & si hoc, ad *τὸ suum subiecti aduersum seu hypotheticum* pertinet.

§. XVII.

Quorum
natura
evoluuntur

Colligimus inde, essentiam, atque naturalia constitueret *τὸ suum subiecti connatum* (§. 3. 4.), accidentalia vero, quae in subiecto determinata sunt, *τὸ suum aduersum* (§. 4. 9.)

§. XVIII.

Consectaria

Porro ex dictis colligimus, *primo* ex eo, quod aliquid ad *τὸ nostrum connatum* pertinet, non sequi, *idem nobis esse perfectionem* (§. 11.). *Secundo*, fieri posse, ut *τὸ nostrum aduersum* sit perfectius eo, quod *τὸ nostrum connatum* est. (§. cit.)

§. XIX.

Possibilitas
non dat id,
quod no-
strum est

Ex eo, quod certae rei *adversum per nos possibilis sit*, non sequitur, rem illam ad *τὸ nostrum connatum* pertinere. Quicquid enim non est ratio sufficiens, ex qua fuit responsio ad quaestionem, utrum res quaedam nobis competat, nec ne, ex eo quoque non sequitur, rem illam esse nostram (§. 16.). Sed id, quod certae rei *adversum per nos possibilis sit*, non est ratio sufficiens, ex qua responsio illam ad quaestionem fuit (§. 71. Ph. pr.). Ergo & ex eo, quod certae rei *adversum per nos possibilis sit*, non sequitur, rem illam ad *τὸ nostrum connatum* pertinere.

§. XX.

Quod ad
ius accom-
modatur

Quare, quum ius aliquid acquirendi nil inuoluet, nisi possibilitatem acquirendi moralem (§. 151. IN.); manifestum est, ex eo, quod nobis ius rem quandam acquirendi competat, non sequi, rem illam ad *τὸ nostrum connatum* pertinere (§. 19.), licet ius illud inter ea referendum, quae ad *τὸ nostrum connatum* pertinent.

SCH.

SCH. Sic ex eo, quod nobis ex testamento competat ius hereditatem acquirendi, non sequitur, hereditatem illam esse nostram. Porro pactum nobis dat ius a promittente, vt promissum praestet, postulandi, inde tamen non sequitur, rem promissam esse nostram. Et quae sunt reliqua, de quibus suo loco.

§. XXI.

Haec de eo, quod ad *τὸ* nostrum pertinet, generatim. ^{*τὸ nostrum morale*} Sequitur *τὸ* nostrum morale. Rem ita accipe. Quicquid in subiecto vt determinatum sumitur, aut est eius perfectio aut imperfectio (§. 4. obs. 10.). Illud dat *τὸ suum subiecti morale*. Ratio nominis est, quia morale saepe idem significat, quod bonum.

SCH. Hacce de specie eius, quod ad *τὸ* nostrum pertinet, sermo est in capite de laesione. Qua ex causa a doctoribus dicitur, ad *τὸ* suum pertinere, complexum eorum, quibus alter iam instructus est, & in quibus eius felicitas & interna & externa vertitur *a*).

a) Conf. B. KOEHLERI Exerc. I. N. Cog. §.

§. XXII.

Duo itaque probare debet, aliquid ad *τὸ* nostrum morale pertinere affirmaturus, *primum* id esse perfectionem, & ^{*Quae ad hoc demonstrandum requiruntur*} *deinde* adesse rationem sufficientem, quae eiusmodi perfectionem nostras inter determinaciones refert (§. 21. 16.).

SCH. Vsum huius sententiae doctrina de laesione suo loco explicanda docebit.

§. XXIII.

τὸ nostrum morale & connatum & acquisitum esse potest (§. 16.). Id aut essentia, aut eiusmodi perfectionibus ^{*est vel connatum vel acquisitum*} constituitur, quas ipsa subiecti essentia determinat. Hoc accidentales inuoluit perfectiones, quae determinantur ab iis, quae praeter essentiam accedunt, ideoque a factis (§. 16. 17.). Et quae sunt reliqua,

§. XXIV.

*vel verum
vel adpa-
rens*

Ponamus Caium talem ad alios habere relationem, qua de perfectionibus Caii bene aestimant. Accedunt itaque aliorum sententiae, quae Caium ea determinant ratione, qua adest, ex quo responsio fuit ad quaestiones, quae de honore Caii ponuntur. Hoc itaque posito honor atque fama ad $\tau\delta$ suum Caii pertinet. (§. 15. 21.). Ex quo patet, $\tau\delta$ nostrum morale aut ipsa re, aut aliorum opinione constitui. Illud *verum*, & hoc *apparens* vocari potest.

§. XXV.

*$\tau\delta$ nostrum
adparens
an sit per-
fectio*

*Quicquid ad $\tau\delta$ nostrum morale adparens pertinet, id per-
multarum esse potest perfectionum, quibus gaudemus, causa.*
Ponamus, aliquid ad $\tau\delta$ nostrum morale adparens pertine-
re. Ergo nobis ex aliorum opinione inest perfectio (§. 24.).
Alii itaque de nobis bene aestimant. Quare, quum, quod
ipsa loquitur experientia, eiusmodi aestimatio aliis det moti-
tia ad ea constituenda media, quae statum nostrum perfe-
ctionibus amplificare, nostrasque perfectiones conservare
possunt; manifestum est, id, quod ad $\tau\delta$ nostrum morale
pertinet, inter causas perfectionum, quibus gaudemus, re-
ferendum esse.

OBSERVATIO LV.

DE

L A E S I O N E.

§. L

*Turbatio
quid*

Iuris naturalis doctores, qui de eo, quod ad $\tau\delta$ nostrum
pertinet, sermonem faciunt, intelligunt $\tau\delta$ nostrum mo-
rale, ideoque perfectiones, quae in nobis vt determinatae
sumuntur. (§. 21. obi. 54.). Ex quo patet, *aliquem in eo,
quod ad $\tau\delta$ suum pertinet, turbare idem esse, ac rationem
continere, vt in illo perfectio, quae arte in eodem deter-
minata fuit, deficiat.* Sic me ipsum turbo, si ipse sum caus-
sa

fa eiusmodi defectus. Alter me turbat, qui sua actione eiusmodi defectum in me determinat.

SCH. Sic v. g. dicitur, homines aberratione a lege suam turbare felicitatem, quia eiusmodi aberratione se ea ratione determinant, quae defectum perfectionis ante quaesitae inuoluit, seu qua imperfectiores sunt. Porro dico, Caium, qui bona a me acquisita auferit, me turbare. Quae est ratio, quia defectum perfectionis, quae inter determinationes meas posita fuit, sentio, huiusque defectus ratio in ipsius Caii est actione.

§. II.

Eiusmodi turbatio aut moraliter possibilis est, aut non. *Hanc* doctores, qui de turbatione loquuntur, intelligunt. *Illamque* turbationem grammaticae sumtam vocant. Priori itaque casu nobis competit ius alterum turbandi. Posteriori vero casu alterum sine iure turbamus. (§. 151. IN.).

SCH. Sic qui ex iure defensionis alteri mala infert, hunc quidem turbat, (§. 1.), sed solummodo grammaticae. Id enim, quod iure facimus, per nos moraliter est possibile. Idem valet de poenis iustis. vid. §. 5. obf. 40.

§. III.

Turbationem esse iure factam, non potest praesumi, sed debet probari. Quum enim natura nude posita nos obliget, ad nos aliosque perficiendos (§. 143. IN.); turbatio vero, qua talis, sit actio, quae perfectionem destruit (§. 1.): manifestum est, naturam nude consideratam ius turbandi non ponere. Enimuero in dubio id praesumendum est, quod natura ponit. (quod ex logicis patet). Turbationem itaque iure factam esse, non potest praesumi, sed debet probari.

§. IV.

Turbatio, quae fit sine iure, a doctoribus vocatur *laesio*, ab aliis *laesio iniusta*.

SCH. Sic v. g. Cel. WOLFF: per laesionem hic intelligimus quamcunque turbationem, corruptionem, diminutionem

nem aut ablationem *iuris alieni*, siue id connatum fuerit, veluti ius conferuandi vitam, corpus, pudicitiam, libertatem, estimationem: siue adquisitum.

a) IAC. GABRIEL. in *Instit. Iurisprud. natur. P. II. Sect. I. Cap. III. §. III.*

§. V.

Confectaria

Colligimus inde *primo*, a turbatione grammaticae sumpta ad laesionem non valere consequentiam (§. 2. 4.). *Secundo*, praesumendum esse in dubio, turbationem esse laesionem (§. 3. 4.).

§. VI.

Impedimentum in adquirenda perfectione qua ratione fit laesio

Qui sine iure causa est, ut alter eam non adquisierit perfectionem, quam ad adquirendam habuit ius, is alterum laesit. Quum enim ius, quod nobis ad certam adquirendam perfectionem competit, ea ex ratione nostras inter perfectiones referendum sit, quia eiusmodi perfectionis adquisitio nobis per illud possibilis est (§. 151. IN & §. 24. Ontol.); manifestum est, efficere, ut eiusmodi perfectionis adquisitio per nos fiat impossibilis, idem esse, ac *iuris illius defectum* in nobis ponere, id est, nos turbare (§. 1.). Is itaque, qui sine iure est causa, ut alter eam non adquisierit perfectionem, quam ad adquirendam ius habuit, alterum laesit (§. 4.).

§. VII.

laesionis species diuisio prima

Colligimus inde, duplici ratione fieri posse, ut quis alterum laedat, eripiendo nimirum bono, quod habuit, & denegando bono, quod iure acquirere potuit. Principium itaque: *neminem laedas, inuoluit illud: suum cuique tribuas.*

§. VIII.

diuisio secunda

Quum porro is alterum laeserit, in quo sine iure est ratio, ut in altero perfectio, quae in eodem ante fuit determinata, deficiat (§. 1. & 4.); manifestum est, fieri posse, ut quis alterum laedat sua vi: fieri quoque posse, ut quis eam ob causam alterum laedat, quia sua voluntas seu dolus, vel

vel sua negligentia, seu culpa rationem continet de eiusmodi vis adcommodatione, qua alter sine iure turbatur. Qui dolose vel culpose agit, is agit moraliter (§. 191. 197. IN.). In obuia itaque laesionis qualitatem inquisiturus, distinguere debet casum, quo laesio moraliter agendo, a casu, quo non moraliter agendo illata.

SCH. Idem sentit *V F E N D O R F a*) Sic enim ille: caeterum, ut aliquis a nobis laedatur, fieri potest vel dolo malo destinatoque consilio, vel per solam culpam citra propositum quidem, non tamen absque negligentia, eaque vel leuiore, vel magis supina; vel denique per casum fortuitum, sic ut ista laesio recte nobis imputari nequeat, scilicet moraliter.

a) *I. N. & G. Lib. III. Cap. I. §. VI.*

§. IX.

Hac a laesionis diuisione distingui debet ea, qua laesio *diuisio ter-* est vel *mediata* vel *immediata*. *Immediata* enim alterum *laedit*, qui sua vi alterum sine iure turbat; *mediate* alterum *laedit*, qui alterum non quidem sua vi turbat, in cuius tamen dolo vel culpa ratio est, ut alter ille ab alio sit turbatus.

§. X.

His ex notionibus manifestum est, *primo*, fieri posse, *Conseſaria* ut quis alterum immediate moraliter agendo laedat, fieri quoque posse, ut alterum non moraliter agendo, tamen immediate laedat. *Deinde*, si quis alterum mediate laedat, duo distinguenda esse subiecta, quae laedunt, *alterum*, quod vim suam ad laedendum adcommodat, *alterum*, in cuius dolo vel culpa eiusmodi vis adcommodationis est ratio. Hoc moraliter agere, manifestum est ex §. 191. & §. 197. IN. Vtrum vero illud moraliter, an non moraliter agat, ex iis, quae obveniunt, circumstantiis inferendum erit.

SCH. Haec de laesionum diuisione explicata vsui loquendi conuenienter dicta esse, ex iis satis patebit, quae hac de re *B. GLAFEY a*) bene monuit: Sic enim ille: *So kann*

Gg 3

ich

ich auch einen vel mediate, vel immediate laediren. Immediate, wenn ich es selber thue, mediate aber, wenn ich durch andere Menschen, oder durch mein Vieh einen Schaden bringe. Das erste, nemlich durch andere Menschen geschieht, wenn ich 1) andere darzu Dinge, als da ist, wenn ich Emisarios ausschicke, 2) wenn ich jemanden etwas rathe, heisse, zeige und Vorschub darzu thue, wodurch einem andern ein Schaden geschieht, in welchem Falle ich *caussa moralis* heisse; 3) wenn ich meine Leuthe und Untertanen, so meiner Disciplin untergeben, nicht gehörig im Zaum halte, sondern aus Verschulden geschehen lasse, daß einem andern Schaden zugesüget wird. Das andere, nemlich da ich durch mein Vieh einen andern laedire, trägt sich zu, falls ich dasselbe nicht einsperre, oder wenn es Schaden zu thun gewohnt ist, dem andern nicht anzeige, und denselben dafür warne. Et quae reliqua.

a) Im Rechte der Vernunft *Lib. II. Cap. I. §. 60. Conf. ea, quae pbs. 45. de imputatione actionum alienarum a nobis evoluta sunt.*

§. XI.

*Diuisio
quarta*

Laesio a doctoribus quoque in internam & externam diuiditur. Cuius fundamentum est, quod sequitur. Aliquod laedere, quatenus terminus sensu latiori accipitur, idem est, ac illud sine iure ea determinare ratione, quae notioni perfectionis repugnat (§. 1. 4. 7.). Inter perfectiones, quae per legis notionem possunt poni, merito legis refertur observatio. Is itaque, qui ad legi convenienter viuendum obligatus est, legem laedit, si ea agat ratione, quae legi est repugnans. Haec est causa, quae laesionem legis a laesione hominis distinguere iubet. De illa loquitur diuisio laesionis in internam & externam. Quum enim lex, quae officia erga alios observanda praescribit, aut sit perfecta, aut imperfecta: & violatio legis perfectae alios imperfecti ores reddat, violatio vero legis imperfectae solummodo causa sit, ut alter non factus sit perfectior (§. 326. 3. o. I N.); illius legis violationem laesionem legis internam, huius vero laesionem legis externam vocarunt. Ratio nominum est in promptu.

Illä

Illa enim laesio alium hominem, quam agentem, haec vero solummodo agentem reddit imperfectiorem, ideoque illa agens alios, hac vero se ipsum turbat. (§. 1. & §. 145. IN.). Laesio itaque hominis, quatenus sermo est de homine ab agente diuerso, semper significat laesionem externam.

§. XII.

His, quae de laesione euoluta sunt, recte intellectis, non difficilis erit responsio ad non-nullas quaestiones, quae a doctoribus laesionis ratione proponi solent. *Prima*, quae ponitur, spectat fundamentum iuris laesiones vi quoque externa remouendi. CICERONI eiusmodi iuris fundamentum est conseruatio societatis. Sic enim ille a) : „Detrahere ali-
 „quid alteri, & hominem hominis incommodo suum auge-
 „re commodum, magis est contra naturam quam mors, quam
 „paupertas, quam dolor, quam caetera, quae possunt aut
 „corpori accidere, aut rebus externis, quia tollat conuictum
 „hominum & societatem. Si enim sic erimus affecti, vt pro-
 „pter suum quoque emolumentum! spoliet aut violet alte-
 „rum, disrupti necesse est eam, quae maxime est secunda
 „naturam, humani generis societatem. Vt si vnumquodque
 „membrum sensum hunc haberet, vt posse putaret se valere,
 „si proximi membri valetudinem ad se traduxisset, debilitari
 „ac interire totum corpus necesse est: Sic si vnusquisque
 „nostrum rapiat ad se commoda aliorum, detrahatque, quod
 „cuique possit, emolumentum sui gratia, societas hominum &
 „communitas euertantur necesse est.“ Idem sentit G R O-
 T I V S b) P V F E N D O R F c) T H O M A S I V S d), & qui hosce se-
 quantur,

a) de officiis Lib. III. Cap. V.

b) I. B. & P. Lib. II. Cap. XVII.

c) I. N. & G. Lib. III. Cap. I.

d) Iurisprud. diu. Lib. II. Cap. V. adde idem caput fund. I. N. & G.

§. XIII.

Vera quidem est illa ratio, sed, vt opinor, non vltima, ideoque thesin non vniuersaliter probat, sed probatae
 acqui-

aequitatem atque iustitiam confirmat. Primum, mea quidem sententia, illius iuris fundamentum est ipsa iuris expletio, quae lege: *ius ad finem dat ius ad media sufficientia*, determinatur. Argumentatio est ea, quae sequitur: Ipsa natura nos obligat, ut nos perficiamus, ideoque ut perfectiones adquisitas conseruemus, perfectionesque nostras, quantum per regulas, quae ad perfectiones ducunt, fieri potest, augeamus. (§. 254. ff. IN.). Nobis itaque per ipsam naturam competit ius ea ratione, qua perfectiones nostras conseruare augereque possumus, agendi (§. 3. obl. 36.). Ergo & nobis per ipsam naturam competit ius ad media, quae ad finem illum obtinendum sufficiunt, ideoque ius ad remouendas laesiones (§. 4. 1.). Media illa aut esse persuasoria, aut coactiua, notum est. Si itaque persuasoria illum *ad finem* non sufficiant; consequens erit, nobis per ipsam naturam competere ius mediis coactiuis eiusmodi laesiones remouendi. Iuris ergo expletione ius illud nobis adquiretur.

§. XIV.

Confessarium

Colligimus inde, quod bene notandum, nobis per naturam non competere ius laesiones mediis coactiuis remouendi, posita nimirum laesione, sed id nobis tum demum competere, si talia obuenant, ob quae media persuasoria illum ad finem obtinendum non sufficiunt. Conferantur ea, quae §. 5. obl. 37. euoluta sunt.

§. XV.

Aliquem in errorem ducere, qua ratione sit laesio

Altera quaestio: Ponamus nos ex errore quoad cognitionem boni & mali ea agere, quae perfectionem nostram destruant, alterumque nos in eiusmodi errorem induxisse: quaeritur, an propria significatione dicendum, alterum nos laesisse. Propositio secunda §. 328. IN. thesin affirmat. Nonnullorum ex sententia hoc improprie dictum est. Sed est laesio significatione propria accepta. Rem probo argumentatione, quae sequitur: Actio, qua quis alterum sine iure turbat, significatione propria est laesio (§. 4.). Sed actio, qua quis rationem continet, cur alter factus sit imperfectior, est actio,

actio, qua quis alterum sine iure turbat (§. 1. 3.). Ergo & illa actio inter laesiones referri debet. Posita vero ea, quae sumpta est, hypothese actio, qua alter nos in errorem quoad cognitionem boni & mali induxit, continet rationem, cur nos facti simus imperfectiores. Ergo & actio illa inter laesiones proprie acceptas referri debet.

SCH. Vsum thesios docebit doctrina de obligatione naturali ex conuentione turpi, suo loco explicanda. Coniungas cum eadem ea, quae de imputatione eorum, quae ab intellectu dependent *obs.* 43. euoluta atque demonstrata sunt, & nonnulla perspicias confectaria, quae non sterilia sunt.

§. XVI.

Addo tertiam. An quaelibet iuris, quod alteri competit, violatio sit laesio? Affirmaui thesin Prop. VII. §. 328. *violatio iuris alieni simpliciter positi sit laesio.* IN., secundum nonnullorum sententiam ad iura alterius perfecta restringendam. Ideoque haec sit propositio: qui iura alterius perfecta, non vero qui iura alterius imperfecta violat, is alterum laedit. Sed, quod pace dissentientium dictum sit, thesis illa sine ratione limitatur. Est vniuersaliter & sine omni restrictione vera. Notum enim est ex logicis, conclusionem non esse limitandam, nisi id per principia, ex quibus illata est, fieri debeat. Enimvero principia conclusionem illam, quae inde illata, non limitant. Ergo nec conclusio illa a nobis potest limitari. Recte dissentiens postulat probationem minoris. Sum in eo, vt probem. Quicumque nos sine iure in eo turbat, quod ad τὸ nostrum pertinet, is nos laedit (§. 4.). Sed iura nostra ad τὸ nostrum pertinent (§. 278. IN.). Qui itaque sine iure iura nostra violat, nos laedit. *Est petitio, inquis, principii, iura nostra ad τὸ nostrum pertinere, id solummodo valere, si sermo sit de iure perfecto.* Sed probes, quaeso, petitionem illam principii, & tuam sententiam a petitione illa libera. Euolvas ideam eius, quod ad τὸ nostrum pertinet *vid. obs.* 54. Euolvas sensum propositionis, mihi hocce ius imperfectum

competit. Et colligas inde, quae sequuntur. Conclusio erit thesis a nobis posita.

§. XVII.

*Continuatio
huius.*

Accedit, genus proximum iuris perfecti atque imperfecti esse ius-relativum. Si itaque thesis illa ad ius perfectum restringenda, iura quoque absoluta ab iis excludenda erunt, quae ad *τὸ* nostrum pertinent. Sed quis ad hanc accedet sententiam. vid. §. 4. ff. obs. 37. Porro notum est, quaestionem, an nobis ius competat, a quaestione, quae qualitatem iuris spectat, distinguendam esse. Ad primam respondet quaestionem, ius aliquod inter ea referens, quae ad *τὸ* nostrum pertinent, ad alterum vero, qui ius in perfectum & imperfectum distinguit. Nulla itaque est ratio, ut iura imperfecta ab iis, quae ad *τὸ* nostrum pertinent, excludamus. Et quae sunt reliqua.

§. XVIII.

*Resolutio
dubii.*

Pergit doctissimus dissentiens: Ponamus iura imperfecta ad *τὸ* nostrum pertinere, consequens erit, eum nos laedere, qui impedit, quo minus ius nostrum imperfectum possimus exercere. Ideoque eum nos laedere, qui nobis id non praestat, quod iure imperfecto ab eodem petimus. Hoc vero posito nulla erit differentia inter ius perfectum atque imperfectum. Sed respondeo: Notum est ex §. 7. obs. 37. divisionem iuris in perfectum & imperfectum non determinare obiectum, circa quod ius versatur, sed modum postulandi, ideoque fieri posse, ut idem ius, quod alia ratione est imperfectum, alia ratione inter iura cogendi sit referendum. Si itaque sermo sit de iure imperfecto, ius illud ab ea qualitate, qua sit imperfectum, distinguere debemus. His praemissis rem exemplo quodam declarabo. Ponamus Caio competere ius stipem colligendi, duo in hocce iure latent, *primum*, ius media colligendi, quae ad se ipsum conservandum sufficiunt, & *secundum*, ius medium illud, quod positum est, eligendi. Illud est ius absolutum, quod ad *τὸ* nostrum pertinet, cuius ratione hocce, quod ponitur, ius, nec per-

perfectum nec imperfectum est (§. 4. obs. 34.). Alterum determinat qualitatem iuris, qua est imperfectum, & hac ratione non ad *res* nostrum pertinet, quia in nobis non determinatum, sed huius determinatio in nobis per ea, quae sumuntur, solummodo possibilis est (§. 8. obs. 37.). Qui itaque beneficium illud denegat, is non impedit, quo minus ius nostrum possimus exercere. Alia enimabilia sunt media, quae ad id ducunt, quod per ius nostrum fieri debet. Ponamus vero nulla alia media ad finem illum obtinendumabilia esse, quam id, quod sumtum; ius nostrum media colligendi, quae ad se ipsum conseruandum sufficiunt, rem ita determinabit, vt fiat ius stipem colligendi. His itaque sub circumstantiis ius illud stipem colligendi erit nostrum. Et his positis is, qui beneficium illud denegat, nos laedet. (§. 7.). Haec rem satis illustrabunt, & thesin, quam posuimus confirmabunt.

OBSERVATIO LVI.

Ad §. 330.

DE

DAMNO EIVSQUE CAUSSA.

§. I.

Damnum GROTIUS deducit a demendo, quasi deminum; *vocis origo* & SCALIGERVS a graeco *δανάμ* quasi dapnum. Ideoque damnum secundum originem vocis patrimonii significat deminutionem *a*). Qua ex caussa ARISTOTELI *b*) *damnum est plus mali & minus boni*, seu vt cum GROTIUS loquar, *damnum est, cum quis minus habet suo c*).

a) L. 3. de damno infecto.

b) Lib. V. Cap. IV. Est.

c) I. B. & P. L. II. Cap. XVII. §. II.

§. II.

Qui minus habet suo, is percipit defectum perfectionis *damni definitio*, quae in illo ante determinata fuit (§. I. obs. 55.). De

Hh 2

imper-

imperfectione enim, quae ad τὸ nostrum pertinet, hoc loco non est sermo, quia imperfectio non est quantitas, sed quantitatis defectus. Is percipit defectum eiusmodi perfectionis, qui turbatus est (§. cit.). *Damnum* itaque *generatim sumtum* est omne malum, quod a turbatione dependet.

§. III.

Causa damni quis,

Is itaque est causa damni, in quo est ratio, cur nos simus turbati. Ex quo patet, fieri posse ut quis ipse sit causa damni, quod sentit, fieri quoque posse, ut alter eiusmodi damni sit causa. Hoc loco sit sermo de damno ab altero nobis illato.

§. IV.

Damnum & grammaticae & technice sumitur

Turbatio & grammaticae & technice sumitur (§. 2. obf. §. 7.). Ergo & damnum in grammaticae & technice sumtum diuidendum est. *Illud* est malum, quod a turbatione iure facta, *hoc* vero quod a turbatione sine iure facta dependet.

SCH. Sic mala iure puniendi illata, & quae ab eo dependent, quia alter iure suo usus est, ad *damna grammaticae* sumta pertinent. Hacce significatione damnum a doctoribus sumitur, qui de iusto commodo cum alterius damno coniuncto, sermonem faciunt. a)

a) vid. B. BECKII *Diss. de iusto commodo cum alterius damno coniuncto.* hab. Ienae 1718.

§. V.

Mala a natura illata an sint damna

Si nobis malum a cursu naturae sine determinatae cuiusdam causae concursu inferatur, id non erit damnum, nisi grammaticae sumtum. Et enim per se patet, minus conueniens esse dicere, malum, quod nobis a cursu naturae sine determinatae cuiusdam causae concursu illatum, nobis sine iure illatum esse. Manifestum itaque est, eiusmodi mala inter damna non esse referenda, nisi inter ea, quae grammaticae sumuntur. (§. 4.).

§. VI.

vocantur casus fortuiti

Eiusmodi malum a doctoribus vocatur *casus*, seu *casus fortuitus*, seu *infortunium*, ab ARISTOTELLE a) ἀτύχημα de quo

quo loquitur: si praeter id, quod praevideri poterit, damnum detur, erit ἀτύχημα, infortunium. Casus itaque fortuiti non sunt damna, nisi grammaticè sumta.

SCH. Hoc de damno valet regula: casum sentit dominus. Quia enim est casus, causa non potest determinari, quae nos sine iure turbavit. De quo suo loco.

a) Lib. I. Rhetor. Cap. XIII.

§. VII.

In commatibus, quae sequuntur, sermo sit de damno *In damno* technice sumto, quod ab altero nobis sine iure inferitur. *technice sumto iuris* Ideoque de malo, quod oritur ex laesione iniusta (§. 4. *distinguen-* *da sunt* obs. 55.). Hocce damnum perspicue euoluturus distinguere debet malum, quod ex laesione oritur, modum, quo ex laesione oritur, & laesionem, ex qua oritur.

§. VIII.

Quod primum attinet, malum nimirum, quod ex laesione oritur, iterum qualitas mali a quantitate distingui debet. *Primo ma-* *lum* Quoad qualitatem, damnum illud aut inuoluit malum corporis, aut malum animae aut malum fortunae seu status externi. Quantitatem damni notio mali determinabit. Quum enim ea ex ratione nobis aliquid sit malum, quia aliquid de iis remouet, quae per essentiam nostram possunt poni (§. 15. I N.); sequitur, damnum eo maius esse, quo plus de iis remouet quae nostram per essentiam possunt poni.

§. IX.

Ex quo colligimus, ut is, qui quantitatem damni illati determinare cupit, non res solum in se considerare, sed & ad ea spectare debeat consuetaria, quae per nexum, in quo laesus viuit, fieri possunt. *causae quan-* *titas quo-* *modo deter-* *minanda*

§. X.

Quoad alterum, modum nimirum, quo ex laesione oritur malum, distingui debet vtrum malum sit proximus an remotus laesionis effectus. Defectus enim perfectionis, quam laesio determinat, permultorum defectuum fieri potest causam. *modus, quo* *ex turba-* *tione ori-* *tur, qui da-* *mmum in*

immediatum & mediatum dicitur.

2. Qui itaque est primi defectus causa, is quoque est causa omnium defectuum, qui ex primo fluunt. Ergo & confectaria illa sunt mala ex laesione orta, ideoque damna. Quae ex causa damna diuiduntur in *mediata & immediata*. *Immediatum est damnum*, quod ut effectus proximus ex laesione oritur, *mediatum*, quod est malum, quod damnum immediatum efficit, ideoque quod laesionis effectus remotus.

§. XI.

hoc illius determinat quantitatem.

Quantitatem itaque damni determinaturus, non datum solum immediatum, sed & mediata, quae inde fluunt, spectare debet (§. 9.).

§. XII.

Damnum est vel positium vel negatiuum.

Tandem de differentia damni ex laesione, ex qua oritur, concipienda. Huius causa ratio laedendi ab interna laesionis qualitate distingui debet. Quoad primum ex §. 7. obs. 55. manifesta est diuisio damni in *positium & negatiuum*. *Illud* inferitur eripiendo bono, quod alter habuit, *hoc* denegando bono, quod iure acquirere potuit. *Illud a nonnullis damnum emergens*, seu *directum*, & hoc *lucrum cessans*, seu *indirectum* vocatur.

SCH. Sic v. g. fur, qui res alienas aufert, damnum alteri inferit positium, debitor vero, qui id, quod debet, non iusto soluit tempore, damnum creditori inferit negatiuum.

§. XIII.

Confectaria

Ex quo colligimus, fieri posse, ut damnum immediatum sit positium, damna vero mediata, quae ex illo oriuntur, sint negatiua (§. 10.), ideoque facile fieri posse, ut quantitas damni positium a damno negatiuo, quod inde oritur, dependeat (§. 11.).

§. XIV.

a damno negatiuo defectus perfectionis dicitur.

Ponitur quaestio: *an ex eo, quod quis sit causa, ut alter non factus sit perfectior, legitime fluat, cum esse causam damni.* Negando respondendum esse censeo. Accipe

negatiuum

negationis rationem. Damnum est malum ex turbatione ortum (§. 2.). Vbi itaque non est turbatio, ibi quoque non est damnum. Quicquid itaque non ponit defectum perfectionis, quae obvio in subiecto ante determinata fuit, id sine sufficiente ratione inter damna refertur (§. 1. obs. 55.). Quicquid per nos, in abstracto positos, solummodo possibile est, id inter ea referri nequit, quae in nobis determinata sunt. (§. . obs. 54.). Quicquid itaque est tale, quod solummodo inuoluit, alterum esse causam, ut eam non adquisuerimus perfectionem, quae per nos in abstracto positos possibilis est, id non sufficiens est ad inferendum, alterum nobis intulisse damnum. Manifestum inde est, id, quod quis sit causa, ut alter non factus sit perfectior, non esse rationem, quae illum inter causas damni refert.

SCH. Sumas contrarium, & concedes, officium humanitatis denegare, idem esse, quod damnum inferre. Id, quod principiis, quae satis demonstrata sunt, repugnat.

§. XV.

Si itaque damnum negatiuum nobis ab altero illatum esse, probare cupimus, demonstrare debemus, *primo* defectum perfectionis, *deinde* ius perfectionem illam acquirendi per nos non possibile solum fuisse, sed nostras inter determinationes relatum; *tandem* alterum sine iure effecisse, ut a nobis id non sit acquisitum, ad quod acquirendum ius illud ducit. (§. 12. 14.). Conf. §. 6. obs. 55.

§. XVI.

B. GLAFEY hac de re ea, quae sequitur, ratione sentit: *Sententia b. GLAFEY hac de re*
 Man hat aber hiebei, in determinando damno negatiuo seu priuatiuo, achtung zu geben, ob einer eine solche Sache g. wiß und höchst wahrscheinlich, oder nur auf eine mögliche Weise zu hoffen gehabt hätte. Hat er Selbige gewiß oder doch höchstwahrscheinlich zu erwarten gehabt, als da sind die Früchte des Feldes und des Viehes: So muß Ich Ihm auch das daran zugefügte damnum priuatiuum oder indirectum, weil eine solche Sache Ihm würcklich

lich durch mich abgeheth, ersetzen und gut thun. Will man obiectiren, daß bey der höchsten Warscheinlichkeit dennoch possibilitas oppositi sey. So dienet zur Antwort, daß wir in dieser menschlichen Schwachheit mehrentheils mit der Summa probabilitate zufrieden seyn, und selbige der Gewißheit gleich halten müssen. Auf den Fall aber, da die Hoffnung ungewiß, oder doch nur im geringen Grad warscheinlich, und sehr vielen Fällen unterworffen ist, dergestalt, daß selbige fast auf eine bloße Possibilität hinaus läuft, bin ich solchen Schaden zu ersetzen nicht verbunden, weilen der andere auf diese Art etwas gewisses vor was ungewisses bekommen, und solchergestalt der Vernunft zumider mit meinem Schaden reicher werden würde.

a) l. c. p. 458. Edit. III. §. 40. f.

§. XVII.

quae resoluuntur

Resoluamus dicta, quatenus huc pertinent. Fundamentum, ex qua, defectum perfectionis esse damnum privatum infert, est, quia est defectus perfectionis, cuius adquisitio per nos probabilis fuit. Sed hoc, vt opinor, non sufficiens est. Probabilitas enim non determinat, sed id spectari debet, ob quod probabilis fuit illa adquisitio. Vbi vero non est determinatum, ibi non est turbatio (§. 1. obs. 55.). Ergo nec damnum (§. 2.). Probabilitas aliquid adquirendi, aut ius illud adquirendi supponit, aut ius illud non supponit. Si adsit ius, aliquid de iis, quae acquisitionem probabilem efficiunt, obuio in subiecto erit determinatum, & hac ex causa actio, qua adquisitio illa impeditur, inter turbationes referri poterit, alterum enim in possessione iuris turbat. Si vero non adsit ius illud adquirendi, nihil de iis, quae acquisitionem illius probabilem efficiunt, obuio in subiecto erit determinatum. Ergo & actio illa inter turbationes non poterit referri. Vsum demonstrati suo docebo loco.

§. XVIII.

Damnum est vel casuale vel morale

Quoad internam laesionis qualitatem, a qua damnum dependet, distinguere debemus, vtrum actio, qua alter determinata a causa sine iure turbatur sit actio moralis, id est, talis,

talis, quae ad alicuius libertatem potest referri, an sit actio non moralis, seu quae ad alicuius libertatem non potest referri. Si posterius, damnum vocatur *pauperies*, ab aliis quoque nomen *damni casualis* accepit: si prius, damnum a nonnullis vocatur *voluntarium*, quia voluntarium idem significat, quod morale, ab aliis dicitur *damnum morale*, seu moraliter agendo illatum.

§. XIX.

Qui est causa damni casualis seu pauperiei, is alterum illius causa laedit immediate. Qui est causa damni, in eius actione est ratio de eo, quod alter sine iure turbatus (§. 3. 7.). Is itaque, qui est causa damni, aut sua vi alterum sine iure turbavit, aut actio, qua alter turbatus, ad illius referri potest voluntatem. Posterius erit impossibile, si damnum sit casuale seu pauperies (§. 18.). Ergo prius esse debet. Ex quo sequitur, non esse causam damni casualis seu pauperiei, qui alterum non immediate laedit (§. 9. obs. 55.).

§. XX.

Actio moraliter mala aut est culposa aut dolosa (§. 188. *hoc est vel* 195. IN.). Inde damnum voluntarium est vel culpofum vel dolofum. Illud ex negligentia, hoc ex proposito alteri inferitur. Hoc est, quod Graeci *adimias* dicunt, quia est damnum, quod ex electione atque proaeresi inferitur. *dolofum vel culpofum*

§. XXI.

Qui culpose agit, aut agit ex ignorantia inuincibili, aut cum scientia quidem, tamen cum defectu attentionis ad id, ad quod affectu ducitur. Si prius damnum culpofum vocatur *erratum*, quod Graeci *αμαρτημα* vocant, de quo ARISTOTELES a) dicit, illud esse damnum, quod praevideri potuit, non tamen improbo animo illatum. Si posterius damnum culpofum vocatur *iniuste tamen non dolose factum*, quod Graeci dicunt *αδίκημα*. De quo loquitur ARISTOTELES b), quando quis sciens facit, non tamen deliberato, fatendum est adesse iniuriam, ut facere solent homines per

DARIES OBS, I. N. T. L.

Ii

iracun-

iracundiam & perturbationes similes aut necessarias aut naturales.

SCH. Sine deliberatione atque proposito agimus, quando factum quidem, vtrum bonum sit an malum nouimus; at propter ebullientes affectus, qui animae distrahunt vires, intellectus iudicium obscurant & voluntatem in consensum trahunt, de facto instituendam deliberationem non instituimus; sed instar eius, qui intellectu caret, in malum tendimus & proximo inferimus. Exemplo esto is, qui ex ira nocet: licet hic, nulla proximo inferenda esse mala, abunde nouerit, quia tamen laceffitum, affectus irae in ipso ebulliens & ferociens mouet & vrget, non applicat regulam ad factum, ad quod ira concitat, sed concitatus perpetrat, & proximo mala infert. *b) Conf. observatio de imputatione facti alieni.*

a) Lib. I. Rhet. Cap. XIII.

b) vid. FRIDER. WEISII Diss. de damnis proximo illatis eorundemque variis generibus Ienae 1680. hab.

§. XXII.

*Confessio
vini pri-
mum*

His ex praemissis colligimus primo: actioni, qua pauperes seu damnum casuale infertur, nullam inesse moralitatem licet sit actio mala: actionem vero, qua damnum voluntarium, qua tale, infertur non malam solum esse, sed & moralitatem habere (§. 18. & §. 162. I N.): moralitatem vero actionis, qua damnum dolosum infertur, maiorem esse moralitate actionis, qua damnum culposum infertur (§. 20. & §. 197. I N.).

§. XXIII.

Secundum

Secundo: Ex eo, quod quis alteri immediate laedendo damnum intulerit, non sequi damnum illud moraliter agendo illatum esse (§. 22. 19.).

§. XXIV.

Tertium

Tertio: Damnum in relatione ad eum, a quo mediate laedendo infertur, semper esse damnum voluntarium (§. 18. & §. 9. obs. 55.), ideoque actioni, qua quis alterum mediate

diate lædit, inesse moralitatem (§. 22.). Et quæ sunt reliqua.

§. XXV.

Is, qui nec sua vi alterum sine iure turbavit, nec talis est, in cuius culpa vel dolo ratio sita, cur alter sine iure turbatus, non est causa damni, quod alter sentit. Is vero, qui sua vi alterum sine iure turbavit, aut in cuius culpa vel dolo ratio sita, cur alter turbatus, est causa damni, quod alter sentit. Aliquem esse causam damni quomodo demonstrari possit. *Primum argumentatio, quæ sequitur, corroborat. Qui sit causa damni, quod alter sentit, eius actio rationem continere debet, per quam alter sine iure turbatus (§. 2. 7.). Sed nostra in actione rationem existentiae habere nequit, nisi quod nostra vi effecimus, vel quod se nostram refert ad voluntatem. (§. 178. IN.). Ergo prima pars propositionis, quam posuimus, manifesta est. Altera pars patet ex §. 2. & 7. collatis iis, quæ de imputatione facti alieni supra, exposuimus.*

SCH. Qui itaque se ab imputatione, ut sit damni, quod obuium est, causa, liberare cupit, is debet probare, ut damnum nec sua vi intulerit, nec dolose vel culpose agendo effecerit, ut is, qui de damno egit, ab altero sine iure sit turbatus. *Vsum demonstrati doctrina de præstatione damni docebit.*

§. XXVI.

Ex quo colligimus, fieri posse ut plures sint causa damni, quod alter sentit. Quare, quum plures, qui sunt causa effectus, tales sint aut collectivæ aut distributivæ, *Si plures sint causa damni tales erunt vel collectivæ vel distributivæ* *distributivæ*, si quilibet rationem de determinata effectus parte contineat, *collectivæ*, si eiusmodi effectus divisio non sit possibilis; sequitur, si plures sint causa damni, quod alter sentit, distinguendum esse casum, quo sunt tales collectivæ; a casu, quo sunt tales distributivæ.

§. XXVII.

Si plures sint causa damni distributivæ sumti, aut erunt tales in subordinatione, qua alter in turbando ab altero *& si hoc aut ad est subordinatio aut non* dependet,

pendet, aut sine subordinatione, qua eiusmodi dependētia poni nequit.

§. XXVIII.

*Non-nulla
confutatio
illis ex no-
tionibus*

Patet inde *primo*, vnum esse damnum vnamque damni causam, quae pluribus constituta, si damnum a pluribus collectivè sumtis illatum (§. 26.). *Secundo*: vnum esse damnum pluresque damni causae, si damnum a pluribus distributivè in subordinatione tamen illatum (§. 25. 27.) *Tertio*: damnum, quod a pluribus distributivè & sine subordinatione illatum non esse vnum, sed plura damna, quorum quodlibet determinatam habet causam (§. §. cit. cit.).

OBSERVATIO LVII.

DE

EFFECTU PROBABILITATIS SECUNDUM
IUS NATURAE IN SPECIE DE DA-
MNO IMMINENTE.

§. I.

*Probabile
quid*

Notum est, non dari probabile in se, sed tantum respectu intellectus nostri. Si itaque dicamus, rem obuiam esse probabilem, sensus erit, nostram obuiam de rei existentia seu veritate sententiam esse probabilem. *Id* vero nobis *probabile est*, quod verum dicimus cum ratione insufficiente, ea tamen, quae ad rationem sufficientem accedit magis, quam ab eadem recedit. a).

a) *Conf. Logica nostr. probabil. quae est altera pars artis iudicandi §. 2. ff.*

§. II.

*Quando
fit impro-
babile*

Quicquid ut probabile ponimus, id fit improbabile per demonstrationem, quae aliud illo probabilius esse docet. Si demonstrari possit, rationem, ob quam aliquid verum vocamus, magis a sufficiente ratione recedere quam ad eandem accedere;

dere, demonstrationis huius consequens erit, id, quod verum vocatum, esse improbablee. (§. 2. Log. cit.)- Demonstratio vero, quae docet, aliud probabilius esse eo, quod ante ut probabile sumtum, simul inuoluit rationem, ob quam illud inter vera a nobis relatum, magis a sufficiente ratione recedere, quam ad eandem accedere (§. 1. conf. §. 3. f. Log. cit.). Ergo id, quod ut probabile a nobis sumtum, fit improbablee per demonstrationem, quae aliud, quod illi opponitur, probabilius esse docet.

§. III.

Omnis itaque dicti cessat probabilitas per demonstrationem, quae oppositum eius, quod a nobis ut probabile sumtum, esse verum, corroborat. *Et quando falsum.*

§. IV.

In omni argumentatione, qua aliquid probabile esse corroboramus, latet defectus cognitionis. Quum enim in se nil sit probabile, sed tantum respectu intellectus nostri, & quum id, quod a nobis ut probabile sumitur, ob rationem insufficientem, talem tamen, quae magis ad sufficientem accedit, quam ab eadem recedit, inter vera referatur (§. 1.); manifestum est, in omni argumentatione, quae nos ad aliquid probabile dicendum ducit, latere defectum cognitionis de eo, an adsit ratio sufficiens, quae id, de quo quaestio est, ut verum aut ut falsum determinat. In omni itaque argumentatione, quae aliquid, ut probabile corroborat, latet defectus cognitionis.

SCH. Si velis defectum cognitionis ignorantiam vocare, per me licebit. Dubito tamen, an eiusmodi vocis significatio vsui loquendi sit conueniens. Defectus virium ad efficiendum id, quod impossibile est, non vocatur impotentia, quia defectus ille est inuincibilis. Quicquid impotentia est ratione vis in genere sumtae, id ignorantia est ratione intellectus. Magis itaque loquendi rationi conueniens videtur, defectum cognitionis vincibilem ignorantiam vocare, quam defectum cognitionis in genere. De hoc plura in iis, quae sequuntur.

§. V.

qui vel vincibilis vel inuincibilis

Defectus cognitionis, qui nobis inest, aut nostra in negligentia rationem habet, aut non. Ille est *vincibilis*, hic *inuincibilis*. (§. 117. & 128. IN.). Ille nobis imputari potest, hic nobis non potest imputari (§. 213. IN.). Ille est obiectum legum moralium, hic inter eiusmodi obiecta referri nequit. (§. 105. IN.).

§. VI.

Inde probabilis vel licita vel illicita

Quare, quum argumentationi, quae aliquid probabile esse corroborat, insit defectus cognitionis (§. 4.); manifestum est duo probabilitatum genera concipienda esse, *alterum*, in quo defectus cognitionis vincibilis, *alterum* in quo defectus cognitionis inuincibilis latet (§. 5.). Illa *probabilitas illicita*, & haec *probabilitas licita* vocari potest. (§. 156. IN.).

§. VII.

Probabilitatis licitae effectus ratione qualitate actionum

Actio qua id efficimus, quod cum probabilitate licita pro bono habemus, licet id, quod agimus, sit malum, non est mala. Actio, quae non id efficit, quod legibus prohibitum, non est mala (§. 107. & 138. IN.). Ergo & ea actio non est mala, quae non id efficit, quod est obiectum legis prohibitoriae. Sed id, quod cum probabilitate licita pro bono habemus, non est obiectum legis prohibitoriae (§. 6. & 7.). Ergo & actio qua id efficimus, quod cum probabilitate licita pro bono habemus, licet id, quod agimus, sit malum, non est mala.

§. VIII.

ratione libertatis moralis

Nobis per naturam competit ius ad id agendum, quod cum probabilitate licita habemus pro bono. Quum enim nobis per naturam competat ius ad id agendum, quod legibus non prohibitum est (§. 2. obs. 36.): id vero, quod cum probabilitate licita pro bono habemus legibus non sit prohibitum (per dem. §. 7.); manifestum est, nobis per naturam competere ius ad id agendum, quod cum probabilitate licita pro bono habemus.

§. IX.

§. IX.

Si cum probabilitate licita aliquid v. g. A pro bono, & ratione obli- eius contradictorie oppositum B cum probabilitate licita pro malo habeamus; consequens erit, nos esse obligatos ad agendum A & ad vitandum B. Quum enim A & B sint contradictorie opposita; aut A aut B per nos fieri debet. Ponamus nos obligatos esse ad agendum B; consequens erit, nos esse obligatos ad id agendum, quod cum probabilitate licita, id est, sine culpa nostra (§. 6.) pro malo habemus (§. 6. & 7.), id est, nos esse obligatos, vt conaturi leges violandi viuamus conuenienter. Sed hoc iuri naturali repugnat (§. 186. 1 N.). Ergo manifestum est, nos per naturam, vt A agamus, obligatos esse.

§. X.

Si cum probabilitate licita aliquid pro bono & eius con- tradictorie oppositum cum probabilitate licita pro malo habeamus: consequens erit, nobis ad illud faciendum competere ius summi stricte sumtum. Posita enim obligatione ad aliquid faciendum, ponitur quoque ad id faciendum ius stricte, seu in oppositione ad libertatem moralem sumtum (§. 3. obf. 36.). Sed nos per naturam obligati sumus ad id faciendum, quod cum probabilitate licita pro bono habemus, si eius contradictorie oppositum cum probabilitate licita habemus pro malo (§. 9.). Ergo & nobis ad illud faciendum competit ius stricte seu in oppositione ad libertatem moralem sumtum.

SCH. Ea, quae de probabilitate licita demonstraui- mus, de illicita non valete, ex eius notione manifestum est. Minime itaque principiis a nobis demonstratis conueniens erit, si quis inter rationi conuenientia referat, quod dicitur: *Vnaquaeque gens hoc legem naturae putat, quod didicit.* Non enim quaelibet probabilitas nobis dat ius, vt huic conuenienter agamus, sed ea solum, quae licita est.

§. XI.

Probabilitas, quae licita fuit, manet talis, donec per Probabilitas nos possibile factum, perspicere oppositum esse verum, aut illo proba- licita quo- modo duret

probabilius. Si enim hoc per nos non possibile factum, defectus cognitionis, qui priorem effecit probabilitatem, per nos manebit inuincibilis. Ergo & probabilitas illa manebit licita (§. 6.). Si vero illud per nos possibile factum, effectus cognitionis, qui priorem effecit probabilitatem, factus erit vincibilis. Ergo & prior illa probabilitas non manebit licita (§. cit. conf. §. 2. & 3.).

§. XII.

*cum illa
agere non
est laedere*

Actio, qua id efficitur, quod cum probabilitate licita pro bono habemus, non est laesio. Qui iure suo utitur, neminem laedit (§. 4. obs. 55.). Qui id agit, quod cum probabilitate licita pro bono habet, is iure suo utitur (§. 8. & 10.). Ergo & eiusmodi actio inter laesiones non poterit referri.

§. XIII.

*lucis conse-
taria*

Mala itaque, quae eiusmodi actione alteri inferuntur, non sunt damna technice sumpta (§. 4. obs. 56.) sed casus fortuiti (§. 6. obs. 56.).

§. XIV.

*adcommo-
dantur di-
cta ad iura
quae nobis
en alios cum
probab.com-
petunt*

Si quis cum probabilitate licita sibi tribuat ius ab altero, ut aliquid permittat aut praestet, postulandi; & alter se non esse obligatum nec demonstrat, nec probabilius illo efficiat: illi manebit ius postulandi, ut alter illud, de quo sermo est, permittat aut praestet. Quum enim ius illud, de quo sermo est, ei, qui cum probabilitate licita hocce sibi tribuit, tam diu maneat, donec huic possibile factum perspicere, oppositum esse verum aut illo probabilius (§. 11. 8.). Hoc vero ante non possibile factum, quam alter, cuius ratione hocce sibi tribuit ius, se non esse obligatum aut demonstrat, aut illo probabilius effecit (§. 2. 3.) manifestum est, data sub hypothesis, ius illud ei, qui hocce ius sibi cum probabilitate licita tribuit, manere.

§. XV.

*Confessio-
rius*

Probabilitas itaque licita secundum ius naturae non ius solum, sed & iuris continuationem efficit, ideoque ab onere probandi liberat.

§. XVI.

§. XVI.

Si cum probabilitate sumamus alterum habere conatum nos ad conat- turbandi; probabilitas illa ante non erit licita, quam alterum tum alte- bac de re interrogauimus, & hic eo, quod respondet, sententiam rius nos nostram esse falsam nec demonstrauit, nec illo probabilius ef- turbandi fecit. Ponamus vltimum deficere, & consequens erit, non adesse rationem sufficientem, vt defectum cognitionis, qui probabilitatem illam effecit, inter inuincibiles referamus. Ergo probabilitas illa non erit licita (§. 6.). Ponamus vltimum adesse, & defectus ille cognitionis nobis erit inuinci- bilis (§. 5.). Ergo & probabilitas illa erit licita (§. 6.).

§. XVII.

Data itaque sub hypothesi nobis competit ius ea agen- huius effe- di, quae per nos saluis legibus eo in casu fieri possunt, quo alius alter habet conatum nos turbandi (§. 14.). Qui itaque hoc- ce iure vtitur, alterum non laedit, ideoque mala, quae huic inde inferuntur, non sunt damna technice sumta, sed casus fortuiti (§. 12. 13.).

§. XVIII.

*Adcommodemus dicta ad doctrinam de damno immi- Damnum nente. Intelligimus per *damnum imminens* quod non illa- imminens tum, sed vt aduenturum sumitur.*

§. XIX.

Hocce sumitur aut cum certitudine seu ratione suffi- quod aut ciente, aut cum probabilitate, eaque vel licita vel illicita. certum aut probabile

§. XX.

Quae de diuisione damni §. 7. obs. 56. euoluta sunt, ad Quomodo damnum quoque imminens adcommodari possunt. diuersa

§. XXI.

Probabilitas, cum qua damnum vt imminens sumitur, quando cum quando sit licita, satis demonstrat §. 16. probabilitate licita sumendum

§. XXII.

Iura quae ex damno cum certitudine imminente descen- Huius effe- dunt, oriuntur quoque ex damno imminente, quod cum pro- Aus moralis babilitate

habilitate licita sumitur. Ponamus, nos damnum ut imminens cum probabilitate licita fumere, nos per naturam competet ius ea faciendi, quae posito damno imminente per nos salvis legibus fieri possunt (§. 8. 9. 10. 14.). Iura itaque, quae damnum imminens, quod cum certitudine sumitur, determinat, sunt quoque iura, quae ex damno fluunt imminente, quod cum probabilitate licita ponitur. Et iura quae ex huius damni positione fluunt, descendunt quoque ex illius damni positione. Ex utroque ergo eadem descendunt iura.

SCH. Fundamentum itaque actionis damni infedi est iuris naturalis. Vsum eorum, quae demonstrauius, suo loco doctrina de defensione, de bonae fidei possessione, & quae sunt reliqua, docebunt.

OBSERVATIO LVIII.

Ad §. 332.

DE

FRAESTATIONE DAMNI. I

§. I.

Ratio iustitiae

Damnum praestare idem esse ac efficere, ut malum ex laesione ortum cesset, diximus §. 333. IN. Porro demonstrauius §. 332., ad turbatorem pertinere, ut praestet damnum: §. 334. turbato competere ius eum, qui causa damni est, cogendi ut damnum praestet, & quidem per restitutionem, si restitutio possibilis, per satisfactionem, si restitutio impossibilis. §. 335. Addamus quaedam, quae dicta magis perspicua faciunt, magis determinant, & ad decidendas quaestiones, quae de fundamento iuris postulandi praestationem damni: de qualitate huius iuris: de fundamento eius, cur causa damni ad damnum praestandum teneatur: de qualitate damni, quod praestandum, & de beneficio ordinis, ponuntur, sufficiunt.

§. II.

Fundamentum iuris postulandi praestationem damni

Primo de fundamento iuris postulandi praestationem damni. Demonstrauius obseruatione 36, omne ius oriri ex obligatione, idque aut effectiue aut reductiue §. 7. obicit.

cit. Hoc posito, sequitur, nobis non competere ius postulandi praestationem damni nisi ex nostras ad obligationes relatione. Distinctam huius rei notionem ea, quae sequitur, ratione accipe. Damnum technice sumtum, de quo hoc loco est sermo, est malum, quod a turbatione sine iure facta dependet (§. 4. obs. 56.). Ideoque is, qui damnum sentit, sine merito percipit defectum perfectionis, quae in illo ante determinata fuit (§. 2. l. c.). Qui suas ad perfectiones conseruandas agit, is, nisi eo in casu, quo aliorum perfectiones nostris praeferre debemus, contra obligationem agit (§. 302. & 304. IN.). Is itaque, qui damnum sentit, per naturam habet ius mala ex turbatione illa orta remouendi. Qui hoc facit, postulat praestationem damni (§. 1.). Satis ergo ex dictis originem iuris postulandi praestationem damni ex obligatione perspiciamus.

§. III.

Qui non agit ad perfectionem, cuius defectus a turbatione ab altero facta positus est, recuperandam, is aut contra suam agit obligationem, aut hoc omisso nullam violat obligationem. Et si hoc, aut actio illa, qua perfectionem illam recuperare cupit, obligationibus repugnat aut non. *Priori casu*, adest ius postulandi praestationem damni, quod ex obligatione oritur effectiue. *Medio casu*, nullum adest ius postulandi praestationem damni. *Vltimo casu* adest ius postulandi praestationem damni, quod oritur ex obligatione reductiue. (§. 7. & 12. obs. 36.).

SCH. Casus illos possibiles esse, ex iis manifestum est, quae de obligationibus naturalibus, quibus ad bona acquirenda malaque vitanda ducimur, & de obligationum collisione supra euoluta sunt.

§. IV.

Ius, quod oritur ex obligatione effectiue, ad ius praecipuum, & quod oritur ex obligatione reductiue, ad ius permissiuum pertinet. Huic non illi renunciare possumus. (§. 13. obs. 36.). Tria itaque hoc loco occurrere possunt, aut vt praestatio damni omnino sit exigenda, vt in casu, quo officia

officia erga nos officiis erga alios praeferenda, aut, ut praestatio damni omnino non exigenda, ut in casu, quo officia erga alios officiis erga nos praeferenda, aut ut liceat utrumvis, ut in casu, quo officia erga nos & officia erga alios, quae in collisione ponuntur, versantur circa aequalia. (§. 3.).

§. V.

*Virum sit
ius perfe-
ctum an im-
perfectum*

Haec de fundamento iuris postulandi praestationem damni. Sequitur alterum qualitas nimirum huius iuris. Primum, quod hoc loco notare debemus, est, *ius postulandi praestationem damni, qua tale, nec inter iura perfecta, nec inter iura imperfecta referendum esse.* Thesis ea, quae sequitur, ratione corroboro: Ius, quod, qua tale, non ex obligatione, qua alter nobis obstrictus est, sed ex obligatione, qua obstrictus est is, cui ius illud competit, deducitur, nec inter iura perfecta, nec inter iura imperfecta referri potest. (§. 2. 3. obs. 37.). Sed ius illud postulandi praestationem damni, qua tale, non ex obligatione, qua alter nobis obstrictus, sed ea ex obligatione, qua obstrictus est is, cui ius illud competit, deducitur, (§. 2.). Ergo ius illud, qua tale, nec inter iura perfecta, nec inter iura imperfecta referri potest.

SCH. Qui dissentiunt, evolvant ius postulandi praestationem damni a brutis rebusque inanimatis nobis illati, & facile perspicient, eiusmodi ius, qua tale, non oriri ex obligatione aliorum erga nos, sed ex obligatione erga nos ipsos. Ideoque ius illud, qua tale, inter iura absoluta referendum esse. (§. 2. obs. 37.).

§. VI.

*An sit ius
cogendi*

Alterum, quod hoc loco quaeritur, est, *an ius postulandi praestationem damni sit ius cogendi.* Mea hac de re sententia est, quae sequitur, nimirum, *ius illud, qua tale, non esse ius cogendi, fieri tamen ius cogendi per iuris expletionem,* id est, ope principii, ius ad finem dat ius ad media sufficientia. Ponamus enim nobis competere ius ab altero postulandi, ut praestet damnum; consequens erit, nobis competere ius ad media sufficientia, sine quibus finis ille existens

istens fieri nequit. Media illa aut persuasoria aut coactiua sunt. Ponamus persuasoria sufficere. Ergo nobis non competet ius ad coactiua (§. 93. Cor. 2. IN.). Ponamus persuasoria non sufficere. Ergo nobis competet ius ad coactiua. Manifestum inde est, ius illud, quae tale, non esse ius cogendi, fieri tamen ius cogendi per iuris expletionem (§. 5. obs. 37.).

§. VII.

Nobis non competit ius damni praestationem cum coactione postulandi, nisi a causa damni. Nulla coactio sine illatione mali fieri potest. Qui itaque ab altero praestationem damni cum coactione postulare cupit, is habet animum alteri inferendi mala. Sed mala alteri cum iure non possumus inferre, nisi ob actiones regulis perfectionum repugnantes (§. 59. & 107. IN.). Ergo nobis non competit ius damni praestationem ab altero cum coactione postulandi, nisi ab eo, qui in relatione ad damnum illud ut talis poni potest, qui regulas perfectionum agendo violavit. Qui est causa damni, ut talis poni potest, qui vero non est causa damni, eum quoque, ut talem, non possumus ponere (§. 3. obs. 56.). Manifestum ergo est, nobis non competere ius damni praestationem ab altero cum coactione postulandi, nisi ab eo, qui est damni causa. Conf. §. 18. ff. obs. 56.

Qua sub determinatione se solummodo ad causam damni referat

§. VIII.

Damni itaque praestationem ab altero, qui non est causa damni, cum coactione postulare, idem est, ac alterum laedere (§. 4. obs. 55.). Ergo & mala, quae inde alteri oriuntur, sunt damna technice sumta (§. 4. obs. 56.).

Consiliarium

§. IX.

Facile inde deduci potest responsio ad tertiam quaestionem §. 1. positam, quatenam nimirum sit ratio, cur causa damni ad damnum praestandum teneatur? Cum aliquem debere alteri damnum praestare dicimus, nihil volumus aliud, quam damni praestationem ab illo etiam cum coactione postulari posse sine laesione. Quare, cum hocce ius turbato

Ratio cur causa damni ad hoc praestandum teneatur

ea ex ratione in alterum competat, quia hic est causa damni, id est, quia hic illum turbavit (§. 3. & 7.); sequitur, ut causa damni ea ex ratione ad damnum praestandum teneatur, quia est eiusmodi damni causa, id est, quia rationem continet, ut alter sine iure sit turbatus §. 3. & 4. obl. 56.).

§. X.

*sententia
Aristotelis*

Non-nulli fundamentum huius debiti cum ARISTOTELE *a)* in contractu inuoluntario, quam vocat *συνάλλαγμα ἀξίονον*, ponunt. Ita negotium hoc considerant, quasi turbato aliquid reddatur, sicut in contractibus fieri solet. Decepit vero illos, quod monuit GROTIUS, *b)* vulgaris locutio, qua dicimus, praestationem damni ei deberi, qui turbatus est, quod plane est *ἀξίονον*. Putant, hac in re esse aliquid, quod ad contractum accedit naturam: quia sicut qui vendit, etiamsi nihil peculiariter dicat, obligasse se censetur ad ea omnia, quae venditionis sunt naturalia: ita qui est causa turbationis sua voluntate se videtur obligasse ad praestandum damnum, quia frustra esset iuris naturalis de altero non turbando regula, nisi praestatio damni simul praecepta intelligatur. Qua ex causa MICHAEL EPHESIUS ad illum ARISTOTELIS locum: *est hic quoque datio & acceptio, in quibus consistit natura negotiorum mutuatorum, nam qui res aut aliquid furatus est, pro eo dat poenas seu praestationem damni.*

a) Est. V. 2.

b) I. B. & P. Lib. II. Cap. XX. §. XX.

§. XI.

*ad quam
responde-
tur*

Sed non fictio solum est, qua fundamentum huius debiti in inuoluntario ponitur contractu, seu in tacito turbatoris consensu, sed & est sententia, quae debitum illud ea ratione, quae regulis veritatisque repugnat, restringit. Ponamus enim fundamentum huius debiti esse in tacito turbatoris consensu; consequens erit, debitum illud atque ius, quod turbato inde competit, cessare, consensu illo cessante. Sed omnino cessat hic consensus, si actio, qua alter turbatus, non sit moralis. Ergo & eo in casu turbato ius postulandi praest-

praestationem damni non competet. Id vero veritati, vt mox docebo, repugnat. Patet ex dictis, locutionem, *aliquid alteri debere*, a locutione, *moraliter nimirum ad aliquid alteri esse obligatum*, distinguendam esse. vid. §. 9. Iura, quae alteri ex hoc oriuntur, sunt relatiua, iura vero, quae ex illo oriuntur, inter absoluta possunt referri (§. 2. obs. 37.).

§. XII.

Sequitur quartum §. 1. positum, qualitas nimirum damni, cuius praestationem iure ab altero postulare possumus. Diximus §. 18. obs. 16., damnum ab altero nobis illatum esse vel casuale seu pauperiem, vel voluntarium seu morale. *Qualitas turbationis an hoc loco spectanda*
Quaeritur, vtrum ius illud se solummodo ad damnum voluntarium, an etiam ad pauperiem referat? Euoluas fundamentum, ex quo hocce ius oritur (§. 2.), & facile perspicies, & ad illud & ad hocce damni genus ius illud referendum esse. Quum enim loco ex citato manifestum sit, ius illud ea ex obligatione oriri, quae nostras ad perfectiones conseruandas ducit; manifestum est, nobis ius illud competere posita turbatione sine iure facta. Ideoque ideam turbationis, non vero qualitatem huius, vtrum sit moralis an non moralis, nobis eiusmodi ius dare. vide §. 8. obs. 11.

§. XIII.

Dissentit B. GLAFEY. Sic enim ille a): („Endlich ist *Dissentit GLAFEY*
„noch dieses zu bemerken, daß ein Schade, den ich ersetzen soll,
„durch meine Bosheit oder mein Versehen geschehen müsse, wor-
„aus der Schluß sich ergiebet, daß ich einen solchen Schaden zu-
„ersetzen nicht schuldig bin, welcher einem andern dadurch zuge-
„wachsen, daß ich mich meines Rechts bedienet. Also wird ein-
„anderer keine Ersetzung von mir fordern können, wenn ich zu Auf-
„führung eines neuen Gebäudes, meine haufällige Wohnung ab-
„reise; dadurch aber verursache, daß sein an das meinige stoßens-
„des Haus sich sencket, oher sonst einen Riß bekommt, massen-
„dergleichen Schade ein solcher Zufall ist, welcher keine Imputa-
„tion producirt, sondern nach der Rechts-Regel: *Casum sentit dominus*, von dem Eigenthümer übertragen werden mus.“)
Idem est, quod sentit PVFENDORF b)

a) Im

- a) Im Recht der Vernunft Lib. II. Cap. I. §. 78.
 b) I. N. & G. Lib. III. Cap. I. §. VI.

§. XIV.

*Responde-
tur*

Sed *primo* notare debemus, aliud esse, praestationem damni postulare, aliud alicui damni illationem imputare. Hoc locum non habet, nisi actio sit moraliter mala, illud vero locum habere potest, licet turbatio non sit actio moralis. Deinde nego consequentiam. Haec enim est argumentatio illa: Damnum praestare non debet nisi is, qui est causa damni. Sed qui iure suo utitur, non est causa damni. Damnum itaque non debet praestare nisi, qui tale alteri sine iure intulit, ideoque aut dolose aut culpose agendo. Latet hic saltus. Is enim qui alteri sine iure *damnum intulit*, hoc fecit aut moraliter agendo aut non moraliter agendo, & si prius aut culpose aut dolose agendo. Sumas, eum, qui nobis *damnum intulit sine iure*, sed non moraliter agendo, non teneri ad *damnum praestandum*; consequens erit, nobis non competere ius damni praestationem postulandi a turbatore, qui furiosus est, aliisque, qui nec *doli nec culpae capaces* sunt. Id vero omnino falsum est. In capite itaque de praestando damno non quaeritur, quanta fuerit turbatoris voluntas, sed an sit turbator, id est, an rationem turbationis contineat.

§. XV.

*Pauperies
& damnum
voluntarium a quo
praestandum*

Quamvis qualitas damni in capite de praestando damno non sit consideranda, dum *damnum praestare debet*, qui quoeunque modo rationem de eo continet, quod alter sine iure turbatus (§. 12.): dici tamen potest, eiusmodi damni qualitatem ab eo considerandam esse, qui subiectum, quod *damnum praestare debet*, determinare cupit. Quum enim *damnum praestare debeat* is, qui est *damni causa* (§. 7.): damni vero casualis seu pauperiei causa non sit nisi is, qui alterum immediate turbavit (§. 19. obs. 56.), damni vero moralis seu voluntarii causa & is esse possit, qui alterum immediate, & is, qui alterum mediate turbavit (§. 18. & 3. obs. 56.).

obl. §6. coll. §.9. obl. §5.); sequitur, quoad pauperiem nobis non competere ius praestationem damni cum coactione postulandi, nisi ab eo, qui nos immediate turbavit, quoad damnum vero voluntarium nobis tale ius competere posse & in relatione ad eum, qui nos immediate, & in relatione ad eum, qui nos mediate turbavit.

§. XVI.

Peruenimus inde ad quintum §. 1. positum, ad ordinem nimirum, quo damni praestationem cum coactione postulare possumus, si alter eiusmodi damni sit causa, quia nos immediate, & alter, quia nos mediate turbavit. Hunc ad determinandum distinguere debemus eum, qui ^{Damnum praestare} ^{primario & secundario} ^{quid} *primario*, ab eo, qui *secundario* praestare debet. Is *primario praestare debet*, a quo eiusmodi damni praestationem primo loco etiam cum coactione iure postulare possumus. Is vero *secundario* seu, ut alii dicunt, *in subsidium solum praestare debet*, a quo eiusmodi damni praestationem cum coactione, & quidem iure tum demum postulare possumus, quando damni praestatio per alterum, qui *primario* tenetur, non est possibilis.

SCH. Sic debitor *primario* praestare debet, fideiussor vero *secundario*. Tutor damnum, quod pupillo intulit, *primario*, magistratus vero, qui tutelam honorariam gerit, id solummodo *secundario* seu in subsidium praestare debet.

§ XVII.

Is, qui damnum infert mediate, est causa damni moralis, is vero, qui damnum infert immediate, est ipse patror (*§. 7. obl. 45.*). Quaestiones itaque, quae in eo, quod posuimus, latent ea, quae sequitur ratione, enumerandae sunt. ^{Non-nullae huius ratione ponuntur quaestiones} *Prima*, an obuius in casu damnum a causa morali solummodo *secundario* & a patratore *primario* praestari debeat: *Secunda*, an obuius in casu damnum a causa morali *primario* & a patratore solummodo *secundario* praestandum. *Tertia*, an obuius in casu damnum & a causa damni morali, & a patratore *primario* praestandum. Theorema, quod sequitur, has ad quaestiones inuoluet responsionem.

§. XVIII.

Regula generalis ex qua ad illas reponsones suunt.

Si alicui damnum illatum, cuius ratione alter est patrator alter vero causa moralis, is damnum primario praestare, cui damni illatio magis, quam alteri, is vero damnum solummodo secundario praestare debet, cui damni illatio minus quam alteri imputanda. Et patrator & causa moralis sunt causae damni (§. 17.), & quidem tales in subordinatione (§. 27. obf. 56. & §. 7. obf. 45.). Quilibet itaque eorum, separatim spectatus, est causa damni (§. 56.). Ergo & laeso competit ius, damni praestationem cum coactione postulandi a patratore, competit illi quoque ius damni praestationem cum coactione postulandi a causa morali (§. 6. 7.). Ponamus porro, alteri illationem illius dampni magis imputandam esse, quam alteri; consequens erit, damnum illatum magis a voluntate illius, quam a voluntate huius dependere (§. 4. obf. 45.). Ideoque & illum maiora mereri mala, quam huncce (§. 218. IN.) Regulis itaque sapientiae conueniens erit, ab illo primo loco & ab hoc solummodo in subsidium damni praestationem cum coactione postulare (229. IN.). His ergo positis, turbato competit ius praestationem damni ab illo primo loco cum coactione postulandi, & turbato solummodo competit ius praestationem damni ab hocce postulandi in subsidium. Ille itaque damnum primario, hic vero secundario praestare debet (§. 16. 9.).

§. XIX.

Confessionium

Sequitur inde, ut & patrator & causa moralis damnum primario praestare debeat, si eiusmodi damni illatio & huic & illi aequaliter possit imputari.

§. XX.

ex illa sunt regulae speciales Regula prima

Verae itaque sunt regulae, quae sequuntur:
Regula prima: Causa moralis damnum primario praestare debet, patrator vero solummodo secundario, si patrator damnum inuite intulerit, quod per voluntatem causae moralis inferendum (§. 51. obf. 45.).

§. XXI.

§. XXI.

Regula secunda: Causa moralis damnum primario praestare debet, patratore vero solummodo secundo, si voluntas causae moralis in inferendum damnum tanquam causae principalis, voluntas patratore vero tanquam causae instrumentalis seu minus principalis influat. (§. 52. obl. 45.).

§. XXII.

Regula tertia: Causa moralis damnum primario praestare debet, patratore vero secundo, si hic damnum intulerit, quod per illius voluntatem, quatenus est causa moralis generalis quae conatum patratore ad turbandum excitavit, inferendum (§. 53. obl. 45.).

§. XXIII.

Regula quarta: Patratore damnum primario, causa vero moralis secundo praestare debet, si illius voluntas in inferendum damnum tanquam causae principalis, huius vero voluntas tanquam causae minus principalis influat (§. 55. obl. 45.).

§. XXIV.

Regula quinta: Patratore damnum primario, causa vero moralis secundo praestare debet, si haec sit damni illati causa moralis generalis, quae illius conatum ad turbandum non excitavit, excitatum tamen nutriuit. (§. 56. 57. obl. 45.).

§. XXV.

Regula sexta: Et patratore, & causa moralis damnum primario praestare debent, si illorum voluntates in damnum illatum ea influant ratione, qua ut causae principales possunt spectari (§. 58. obl. 45.).

§. XXVI.

Si plures distributive sumti damnum primario praestare debeant, turbato competet ius eligendi. Quum enim plures distributive sumti ad damnum praestandum primario teneantur; consequens erit, turbato competere ius a quolibet illorum

lorum damni praestationem primo loco postulandi (§. 16.9.). Ius ad finem dat ius ad media sufficientia. Ergo & turbato illis sub determinationibus ius eligendi competet.

§. XXVII.

Si damni illati plures sint causae damnnum quo modo ab illis praestandum Ponamus patratorem non esse soluendo, & plures concurrere causas morales, quibus illatio damni inaequaliter imputanda; is posita sub hypothese damnum primario praestare debet, cui illatio damni magis imputanda, quam alteri: & id damnus secundario praestare debet, cui illius illatio minus imputanda, quam alteri. Argumentatio, qua §. 18. usus sum, hancce quoque corroborabit thesin.

§. XXVIII.

Huius causae ponuntur regulae speciales Fluunt inde regulae, quae sequuntur:
Regula prima Si illo in casu alter sit causa moralis & generalis & specialis, & alter causa moralis aut solummodo generalis, aut specialis; Ille damnus primario, hic vero solummodo secundario praestare debet (§. 46. obs. 45.).

§. XXIX.

Regula secunda *Regula secunda*. Si illo in casu alter sit causa moralis generalis, alter vero causa moralis specialis: generalis damnus primario, specialis vero secundario praestare debet (§. 47. obs. 45.).

SCH. Evoluas ea, quae obs. 45. de imputatione actionum alienarum demonstraui, & facili negotio plura huc pertinentia poteris inferre.

OBSERVATIO LIX.

DE

ACTIONE NOXALI AN SIT IVRIS NATURALIS.

§. I.

Ratio infiniti

Actione noxali secundum Romanorum ius conueniebatur turbatoris possessor, sine cuius culpa ille alterum turbavit, ad id, vt damnus datum resarciret, aut turbatorem
 NOXAE

noxae dederet, id est, turbato traderet. Sed quaeritur an hoc sit iuris naturalis, ideoque iuris, quod inter gentes valet. Hic itaque erit quaestionis sensus, an nobis per ius naturae competat ius turbatoris possessorem, sine cuius culpa ille nos turbavit, cogendi ut aut damnum praestet, aut turbatorem, quem possidet, nobis tradat.

§. II.

Praemittamus principium, ex quo responsio illam ad quaestionem legitime fluit. Nimirum, *qui cum damno alterius locupletior fieri cupit, is alterum laedit.* Veritatem huius argumentatio, quae sequitur, corroborabit: Quicquid legibus repugnat, ad id faciendum nobis non competit ius (§. 7. obs. 36.). Iura alterius, ubi nulla est collisio, violare legibus repugnat (§. 328. IN.). Ergo & extra collisionem nobis non competit ius aliquid, cum violatione iuris, quod tertio competit, acquirendi. Collisio non potest praesumi, sed debet probari. Quatenus itaque res absolute spectatur, eatenus valet regula: nobis per naturam non competit ius cum violatione iuris, quod alteri competit, aliquid acquirendi. Qui locupletior fieri cupit, is vult aliquid adquirere. Nobis itaque per naturam non competit ius, ut nos cum violatione iuris, quod alteri competit, faciamus locupletiores. Is itaque, qui cum damno alterius locupletior fieri cupit, sine iure alterum turbat (§. 2. obs. 56.), ideoque alterum laedit (§. 4. obs. 55.).

Propositio in hunc scopum generalis

§. III.

Sequitur inde, eum, qui cum damno alterius locupletior fieri cupit, esse causam damni, quod alter sentit (§. 3. obs. 56.), ideoque huic competere ius illum, ut damnum praestet, cogendi (§. 7. obs. 58.).

eius confessaria

§. IV.

His praemissis facile erit ad quaestionem, quam posuimus, respondere. Duo nimirum distinguendi sunt casus. *Primus*, si turbator ad rem suam possessoris pertineat. *Secundus*, si turbator ad rem suam non pertineat.

Duo hoc loco distinguenda sunt

du, si turbator non pertineat ad *τὸ* suum possessoris. *Quoad primum* nego, doctrinam illam Romanorum esse iuris naturalis. *Quoad secundum* affirmo, doctrinam illam Romanorum esse iuris naturalis. Dicta demonstrabo.

§. V.

*Primum si
turbator ad
τὸ suum
possessoris
pertineat.*

Prima, quae probari debet, propositio haec est: Si turbator ad *τὸ* suum eius, qui turbatorem possidet, pertinet, & ille nos sine huius culpa turbauerit; nobis per naturam non competit ius possessorem cogendi, ut aut damnum nobis illatum praestet, aut turbatorem tradat. Primam propositionis partem, ea, quae sequitur, argumentatio corroborat. Qui non est causa damni, quod sentimus, eius quoque ratione nobis non competit ius praestationem damni cum coactione postulandi (§. 7. obf. §8.). Sed possessor ille turbatoris, non est causa damni, quod sentimus, quia nec sua vi damnum nobis intulit, nec eius culpa damnum nobis illatum est (§. 25. obf. §6.). Ergo nec nobis per naturam competit ius, eiusmodi turbatoris possessorem, ut damnum praestet, cogendi. Q. e. p.

Alterum propositionis membrum ea, quae sequitur, ratione probo: Qui iure suo utitur, is neminem laedit (§. 336. IN.). Nobis per naturam competit ius id possidendi, quod ad *τὸ* nostrum pertinet (§. 449. IN.). Possessionem itaque eius, quod ad *τὸ* nostrum pertinet, seruare non est laesio. Cuius possessionem sine alterius laesione seruare possumus, ad eius traditionem alter ex capite de praestando damno nos iure non potest cogere (§. 8. obf. §8. & §. 4. obf. §6.). Ergo & nobis per naturam non competit ius illum turbatoris possessorem, ut turbatorem nobis tradat, cogendi.

§. VI.

*Ex quo in
feruntur
confectaria,
quorum pri-
mum.*

Fluunt inde non-nulla consectaria notatu digna, addamus quaedam, quae usum principii satis docent. Primum sit, quod sequitur: *Paterfamilias ex delicto famuli in expeditione negotii dominici sine illius culpa commisso secundum ius naturae non obligatur.* Eiusmodi enim damni non est causa ergo

ergo nec ad praestandum damnum potest cogi. (per dem. m. pr. §. 5.).

SCH. Sic v. g. Iuri naturali repugnabit, patremfamilias cogere ad praestandum damnum ex incendio, quod familia eius coquendae cereuisiae intentata sine eius culpa excitavit, ortum. Qui itaque eiusmodi damni praestationem a patrefamilias iure postulare cupit, is patremfamilias incendii ratione versari in culpa probare debet. a).

a) conf. B. de LEYSER vol. II. *Med. ad ff. Spec. CXIII. med. I. & vol. I. Spec. XLVII. Med. IX.*

§. VII.

Secundum: Dominus secundum ius naturae cogi nequit, ut seruum, qui post delictum sine illius culpa commissum aufugit, magistratui sistat. Ponamus enim dominum ea ratione posse cogi; consequens erit, dominum iure posse cogi ad seruum illum laeso tradendum. Sed hoc iure naturali non est conueniens (§. 5.). Ergo nec illud. a).

a) vid. STRIKIUS, vol. II. *Dissert. Hallensium Disp. XVIIIF Casu. VII.*

§. VIII.

Tertium: Gens gentem iure non potest cogere, ut dominum a ministro huius sine eius culpa illi illatum praestet, aut ministrum tradat. Quum enim vires ministri, quae talis, ad totum suum gentis, cuius est minister, pertineant (§. 592. IN.); sequitur, ministrum suum alteri tradere, idem esse ac suas vires alteri tradere. Ergo & hocce confectarium immediate ex theoremate §. 5. demonstrato legitime fluit.

SCH. Illustrari hoc potest exemplo a B. GLAFEY verbis, quae sequuntur, enumerato a): Die Königin Elisabeth in Engelland hatte nicht unrecht, daß Sie gegen König Philippum II. von Spanien, als dieser über den Englischen Caper Drack sich beschwerte, daß er die Küsten von Peru und Mexico geplündert, sich damit entschuldigte, wie dieses wider Ihr Wissen geschehen, sie auch nichts davor könnte, wenn Ihre ausgesendeten

beten Capers, wider die Ihnen gegebene Ordre, zu See-Märschern würden, indem Sie bey Ihren Leuten auf der See nicht überall gegenwärtig seyn, und selbigs von allen Excessen abhalten könnte. Da auch Drack nach Engelland wiederum zurück kam, und König Philipp, nach dem Bericht des Cambdeni in Annalibus Elisabethae, dessen Anlieferung begehrte, scheint die Königin der Sache nicht zu viel gethan zu haben, daß Sie König Philippen auf die Anstellung eines formalen Processus wider Dracken, als Ihren Unterthanen, dem sie wohl Schutz wider alle ungegründete Angebung zu leisten, als auch das Unrecht an Ihm zu ahnden verbunden war, verwies, es sey denn, daß man sagen wollte, daß Sie die Untersuchung wider Ihn ex officio anzuordnen, schuldig gewesen wäre, worzu Sie aber doch des Königs als Klägers Assistentz vonnöthen gehabt haben würde.

a) Im Recht der Vernunft *Lib. II. Cap. I. §. 60.*

§. IX.

Monitum

Hac de re notandum est, aliam esse quaestionem, an Princeps teneatur, ad ministrum, qui sine eius culpa alterum turbavit, puniendum, aliam, an obligatus sit, ut nus damnum praestet, aut ministrum laeso tradat. Ultimam ad quaestionem negando, quatenus res secundum ius naturae spectatur, respondendum esse, probauimus (§. 8.). Ad primam vero quaestionem responsio ab iis dependebit, quae obl. 40. de naturali poenarum mensura demonstraui.

§. X.

*vsus dido-
rum*

Haec, quae diximus, nouam efficiunt quaestionem: an gens a ministro Principis alterius gentis dicta ratione laesa habeat ius a Principe illo ministri traditionem aut damni praestationem eo in casu postulandi, quo Princeps obligatus fuit ad ministrum puniendum, eumque punire potuit, sed non puniuit. Affirmando respondendum esse censeo. Rationem huius ea, quae sequitur, argumentatione accipe: Quum ex hypothesi, quam sumimus, Princeps obligatus fuerit ad ministrum, qui aliam gentem laesit, puniendum, huncque punire

nire potuerit, sed non puniuerit; probabile erit, Principem eiusmodi ministri factum adprobare (§. 1. obs. 57.). Durante itaque hacce probabilitate genti laesae competet ius laesionem illam Principi vt suum factum imputandi (§. 17. obs. 57. & Sch. §. 23. obs. 45.). Sed durat haecce probabilitas, si Princeps genti laesae ministrum non tradat (quod per se patet.). Ergo genti laesae competet ius aut ministri traditionem a Principe postulandi, aut laesionem illam Principi vt suum factum imputandi, id est, eiusmodi laesionis confectaria Principi inferendi (§. 218. I N.). Quare, quum inter confectaria illa damni praestatio referenda (§. 333. I N.); sequitur, posita illa sub hypothese genti laesae competere ius a Principe illo aut ministri traditionem aut damni praestationem postulandi.

§. XI.

Manifestum inde est *primo*, gentem illam a Principe *Confectaria* non postulare praestationem damni ea ex ratione, quia eum vt causam damni spectat, sed ex iure imputandi, ideoque principem sua ex omissione ad reparandum damnum teneri, quia omisit, quod ex obligatione perfecta facere debebat: *secundo* Principem data sub hypothese non stricte teneri ad praestandum damnum, sed vt diximus, ad praestandum damnum aut ad dedendum, ideoque obligationem illam esse disiunctiuam.

SCH. De receptu aduersus poenas suo loco, vbi obligationes ex iure territoriali fluentes erunt euolutae, dicturum sumus.

§. XII.

Eorum, quae demonstrauimus, ope facile erunt conciliare ea, quae GROTIUS hac de re monuit, & quae nonnullis inter se repugnantia videntur. Primum nimirum docuit, a) Rectores prouinciae teneri ad dedendum noxios vel puniendum. Deinde b) vt mancipium aut animal quod damnum aut pauperiem fecit, noxae dedatur, a domino, non esse ex iure naturali, sed ex iure ciuili. TESMARVS c) ra-

DARIES OBS. I. N. T. II,

Mm

tionem

tionem conciliandi sumit ex subiectorum diuersitate, quia in priori loco sermo est de hominibus, posteriori vero in loco de seruis atque brutis. Sed ea responsio, mea quidem sententia, minus conueniens est. Obligatio enim illa non ex qualitate subiectorum, sed eo ex iure, quod alteri competit, oritur, iuris vero huius fundamentum non est qualitas subiecti, sed laesio. Ratio conciliandi, vt opinor, haec erit: *GROTIUM* priori in loco sermonem facere de casu, *vbi* Rector prouinciae obligatus est ad delinquentem puniendum, ideoque de casu, quem §. 10. posuimus, posteriori vero in loco de casu, *vbi* obligatio ad puniendum non habet locum.

a) *I. B. & P. Lib. II. Cap. XVII. §. XX.*

b) *I. c. §. XXI.*

c) *in not. ad §. XXI. cit.*

§. XIII.

*obiectio
prima*

Demonstrauimus, qua ratione actio noxalis non sit ex iure naturali. Veniamus ad argumenta dissentientium. Primum, quod in contrarium adducunt, est vulgare illud: quemlibet obligatum esse curare, vt bonos habeat ministros atque seruos; ideoque, qui hoc non fecit, versari in culpa, hac ergo ex ratione esse causam damni a ministro vel seruo tertio illati. Ex quo colligunt, dominum stricte teneri ad ministrum vel seruum, qui tertium laesit, laeso dedendum aut ad damnum praestandum.

§. XIV.

responsio

Respondeo: Ex eo, quod minister vel seruus meus alterum turbauit, non sequi, me non curasse, vt bonos haberem ministros atque seruos, ideoque me versari in culpa ratione damni, quod ille tertio intulit. Saepe enim malos nanciscuntur seruos atque ministros, qui in iis eligendis omnem adhibuerunt diligentiam. Id est, quod ipsa docet experientia.

§. XV.

*obiectio
secunda*

Secundum, quod obiciunt, est quod sequitur. Qui turbationem ab altero factam adprobat, is ipsa adprobatione

ne

ne actionem illam suam facit. Sed qui turbatorem possidet, & laeso non tradit, is turbationem adprobat. Actionem itaque illam suam facit. Ideoque, si turbatorem non tradit, ad praestandum damnum tenetur.

§. XVI.

Respondeo: maiorem primi syllogismi esse veram, *mi-* *responsio*
norem vero falsam. Ex omissione enim eius, ad quod non sumus obligati, adprobatio nostra non sequitur. vide §. 21. ff. obs. 45. Pro vero itaque hacce in argumentatione sumitur, de quo est quaestio. Id est, quod Logici petitionem principii vocant.

§. XVII.

Veniamus ad alterum, quem §. 4. posuimus, casum, *Alterum si*
quo turbator non pertineat ad *turbator* *non perti-*
res suum possessoris. Quae *neat ad re-*
ritur an hoc in casu laeso ex iure naturali competat ius *sum pas-*
a possessore turbatoris postulandi vt aut turbatorem tradat aut *sefforis*
damnum ab eo illatum praestet. Affirmando respondendum
esse censeo. Responsum ea, quae sequitur, argumentatione corroboro. Qui cum damno alterius locupletior fieri cupit, is alterum laedit (§. 2.). Possessor ille, qui turbatorem non vult tradere, cum damno laesi locupletior fieri cupit (§. 15. obs. 54. §. 2. obs. 56. §. 4. obs. 58.). Ea itaque ex ratione eiusmodi turbatoris possessor alterum laedit, quia turbatorem non vult tradere. Ea itaque sub hypothese, quam posuimus, alteri, qui laesus est, competet ius, a possessore illo, vt damnum praestet, postulandi. (§. 7. obs. 58.). Damnum, quod illa ex laesione oritur, est defectus praestationis damni, quod a primo turbatore illatum (§. 4. obs. 56.). Manifestum itaque est, positis sub determinationibus ei, qui a primo turbatore laesus, competere ius ab eiusmodi turbatoris possessore postulandi, vt aut turbatorem tradat, aut damnum ab illo illatum praestet.

§. XVIII.

Qui dissentiunt, prouocant ad principium illud a *Obiectio*
bis supra demonstratum, facta aliena nobis non imputanda

Mm 2

esse

esse, nisi eiusmodi facti simus causa moralis. Sed obuius in casu possessorem turbatoris non esse eiusmodi turbationis causam; quia, quod in hypothesis, quam posuimus, sumitur alter sine eiusmodi possessoris concursu turbatus est. Ergo nec principiis a nobis demonstratis esse conueniens, cum turbatoris possessorem ad damnum ex turbatione illa ortum praestandum cogere.

§. XIX.

Responsio

Sed respondeo, turbatoris possessorem, de quo diximus, ad damnum praestandum non teneri ex alieno; sed ex suo facto. Ipse enim laedit alterum; quia non tradendo turbatore cum damno alterius locupletior fieri cupit. Hoc vero inde legitime illatum est §. 17. quia turbator non ad τὸ suum possessoris pertinet. Et quae sunt reliqua.

SCH. Notandum est, fieri posse, ut possessor ille damnum praestet de suo, fieri quoque posse, ut illud praestet de eo, quod ad τὸ suum turbatoris pertinet. Ultimo casu turbatorem, ut damnum laeso praestet, cogit. De hoc infra plura dicenda erunt, ubi in obligationes Principis erga externos, qui ad eius territorium confugerunt, suus inquiruntur.

OBSERVATIO LX.

Ad §. 337.

DE

DAMNO QVOD VENIT IN CONSEQUENTIAM.

§. I.

Ratio iustitiae

Praeclare GROTIVS monuit a) aliud esse *damnum directe datum*, aliud *quod in consequentiam venit*. Directe datum, quocumque aufertur, ad quod ius proprium habet. Per consequentiam, quo fit, ut quis non habeat, quod habiturus aliqui fuisset, cessante scilicet conditione, sine qua ius non habebat. Exemplum, inquit, est apud VLPIANVM: Si in meo puteum aperui, quo factum est, ut venae ad te peruenturae

uenturae praeciderentur: negat operis mei vitio damnum datum in ea re, in qua iure meo usus sum. Ii, qui principia iuris naturalis ad ea, quae inter gentes obveniunt, accommodare cupiunt, facile perspicient, doctrinam de damno, quod in consequentiam venit, inter eas iuris naturalis doctrinas, quae sunt maiores, referendam esse. Operae itaque pretium esse videtur, & hanc euoluere, magisque euolutam illustrare.

a) I. B. & P. Lib. II. Cap. XXIII. §. X.

§. II.

EX GROTHII de damno, quod in consequentiam venit, sententia manifestum est, damnum hocce significare malum, quod quis ex eo sentit, quia alter iure suo usus est. *Damnum illud quod*

§. III.

Qui iure suo utitur, nemini facit iniuriam, seu neminem laedit (§. 336. IN.). Ex quo sequitur, damnum, quod in consequentiam venit, non esse damnum technice, sed solummodo grammatice sumentum (*§. 4. obs. 56.*) *est grammatice sumentum*

§. IV.

Porro illa ex notione manifestum est, malum quod alter nostro ex facto sentit, ante inter damna, quae in consequentiam veniunt, non esse referendum, quam illud a nobis iure factum esse satis sit probatum (*§. 3. obs. 55.*). Ea, ex quibus, nobis ius aliquod competere, inferendum observatione 36. euoluta sunt. Ergo & hoc loco adcommodanda. *requisita ad illud demonstrandum*

§. V.

Non-nullae hac de re ponuntur quaestiones, ad quas respondendum. *Prima*, An omne damnum, quod in consequentiam venit, sit negatiuum. Alii affirmant, alii negant. Ultimam sequor sententiam, nimirum fieri posse, ut damnum, quod venit in consequentiam, sit negatiuum, fieri quoque posse, ut sit positium. Et huius & illius possibilitatem demonstraturi sumus. *An sit positium an negatiuum*

M. m. 3.

§. VI.

§. VI.

*Positium
esse potest*

Damnum positium, quod in consequentiam venit, possibile esse, argumentatio, quae sequitur, corroborat. Ponamus, quod poni potest, aliquem nimirum rem quandam possidere ea sub conditione, ad quam remouendam alteri competit ius, ponamus huncce iure suo uti, & ille rei, de qua diximus, amittet possessionem. Est itaque damnum positium, quod venit in consequentiam. (§. 12. obs. 56. & §. 2.). Ponamus porro, alicui competere ius ab altero postulandi praestationem damni, aut ius alterum puniendi, eumque ex iure suo huic eripere bonum; & iterum erit consequens, huncce sentire damnum positium, quod in consequentiam venit. (§. §. cit. cit.).

§. VII.

*ut & re-
gatum*

Possibile quoque est damnum negatiuum, quod in consequentiam venit. Veritatem huius ea, quae sequitur, argumentatione accipe. Damnum, quod in consequentiam venit, est malum seu boni defectus, quem alter ea ex ratione sentit, quia alter iure suo usus est (§. 2.). Eiusmodi iuris usu boni acquisitionem posse alteri impossibilem fieri, quae sine eiusmodi iuris usu illi possibilis fuit, ex eo patet metaphysicorum canone, quo mutatis circumstantiis id impossibile fieri potest, quod ante possibile fuit. Damnum itaque, quod in consequentiam venit, est possibile, quo alteri boni denegatur acquisitio, quod ante iure acquirere potuit. Quare, quum eiusmodi damnum sit negatiuum (§. 12. obs. 56.); manifestum est, damnum quoque possibile esse negatiuum, quod in consequentiam venit.

SCH. Sic damnum negatiuum, quod in consequentiam venit, erit, si poena patri iuste irrogata liberi amitterent id, quod peruenturum esset ab eo. Non enim eiusmodi poena ipsa parentum bona liberis eripiuntur, sed spes illa adquirendi. a)

a) *vid. GROTIUS I. B. & P. Lib. II. Cap. XXI. s. X. SENECA Epist. V. & X.*

§. VIII.

§. VIII.

Altera quaestio: *an malum, quod quis inde sentit, quia altera quae- alter de suo suo pro arbitrio disposuit, sit damnum, quod venit in consequentiam.* Accipe responsionem. Posita illa hypo- thesi ponenda est collisio officiorum erga se & erga alios, in qua quis officia erga se officiis erga alios praetulit. Ergo decisio responsionis dependebit a collisionis qualitate, vtrum obuius in casu officium erga se an officium erga alios prae- ferendum. Si illud, malum, quod alter ex eiusmodi dispo- sitione sentit, erit malum, quod inde oritur, quia alter iu- re suo usus est (§. 12. obs. 36.), ideoque damnum, quod ven- nit in consequentiam (§. 2.). Si hoc, malum, quod alter ex eiusmodi dispositione sentit, erit malum, quod alter in- de sentit, quia alter obligationes suas violauit. Ideoque non erit malum, quod quis alteri iuris sui usu intulit (§. 12. obs. 36.), ergo nec damnum, quod venit in consequentiam. (§. 2.).

SCH. Usum doctrinae suo loco docebo, vbi de seruitu- te ipsa natura constituta erit agendum.

§. IX.

Ponamus aliquem nobis eripere bonum, quod sub condi- Quod certa relatione est tione, ad quam remouendam solus tertius habet ius, nostrum damnum in consequentiam venit est, hunc vero iure suo non vti, illud erit laesio, malumque, in alia in relatione damnum technice sumtum esse potest quod inde sentimus, non erit damnum, quod in consequentiam venit, sed damnum technice sumtum. Quum enim solus ter- tius habeat ius, conditionem illam, sub qua bonum, de quo quaestio est, ad rem nostrum pertinet, remouendi, hic vero iure suo non sit usus; manifestum est illum, qui eiusmodi bonum nobis eripit, nos sine iure in eo, quod ad rem no- strum pertinet, turbare (§. 1. obs. 55.), ideoque nos laedere (§. 4. obs.), ergo & malum, quod inde nobis oritur, non esse damnum, quod in consequentiam venit (§. 2.), sed da- mnum technice sumtum (§. 4. obs. 56.).

SCH. Sic damnum technice sumtum erit, si tertius he- reditatem, nobis ipsa natura delatam eo in casu occupauerit, quo

quo defunctus suam de acquirenda hereditate non declaraverit voluntatem. Et quae sunt reliqua.

OBSERVATIO LXI.

Ad §. 341.

SPES LVCRI AN IN PRAESTANDO
DAMNO AESTIMANDA.

§. I.

Ratio insti-
tuti

Qui ad damnum praestandum tenetur, is efficere debet, ut omnia mala ex turbatione orta cessent (§. 332. IN.). Is itaque, cui competit ius damni praestationem postulandi, habet quoque ius postulandi reparationem damni damno proportionatam (§. 341. IN.). Oritur inde quaestio, an spes lucri in praestando damno secundum ius naturae aestimanda. GROTIUS a) hac de re ea, quae sequitur, ratione loquitur: *Sed & spes lucri ex nostro aestimabitur, non ut illud ipsum, sed secundum propinquitatem ad actum, ut in semente spes messis.* Operae pretium esse videtur, etiam in hanc rem accuratius inquirere. Fiat id breuiter.

a) I. B. & P. Lib. II. Cap. XVII. §. V.

§. II.

Principium
ad quaestio-
nem deci-
dendam ge-
nerale

Si adquisitio rei per nos solummodo in abstracto possibilis, sed per ea, quae nobis insunt, nondum probabilis sit; consequens erit, nos ad eiusmodi rem acquirendam non esse determinatos: si vero per ea, quae nobis insunt, eiusmodi rei adquisitio sit probabilis; consequens erit, nos ad eiusmodi rem acquirendam magis esse determinatos, quam ad eius oppositum. Primum ea, quae sequitur, ratione probo: Cuius ratione nobis non inest, ex quo responsio datam ad quaestionem fluit, utrum nimirum nobis hoc vel eius oppositum competat, eius quoque ratione nos non sumus determinati (§. 2. obl. § 4.). Si rei cuiusdam adquisitio per nos solummodo in abstracto possibilis, sed per ea, quae nobis insunt, nondum probabilis, nobis non competet, ex quo
responsio

responsio datam ad quaestionem fluit, vtrum eiusmodi rei adquisitio per nos futura sit nec ne (§. 1. obs. 57.). Posita itaque sub hypothese nos ad eiusmodi rem acquirendam non sumus determinati. Q. e. p.

Alterum probat argumentum, quod sequitur: Pona-
mus per ea, quae nobis insunt, rei cuiusdam acquisitionem esse probabilem; consequens erit, nobis inesse, ex quo haec ad quaestionem, vtrum eiusmodi rei adquisitio per nos futura sit nec ne, fluit responsio, rationem ad affirmandum magis ad sufficientem accedere, quam ab eadem recedere, rationem vero ad negandum magis a sufficiente ratione recedere, quam ad eandem accedere (§. 1. obs. 57.). Posita itaque sub hypothese nos magis sumus determinati ad rem illam acquirendam, quam ad eius oppositam. (§. 2. obs. 54.).

§. III.

Spes lucri aut ex eo oritur, quia adquisitio boni per nos in abstracto possibilis est, aut ex eo oritur, quia adquisitio boni, per ea, quae nobis insunt; est probabilis. Si illud, spem lucri vocabo nudam, si hoc bene fundatam. a).

a) vid. TESMARVM in notis ad g. V. Cap. XVII. Lib. II. GROTII I. B. & P.

§. IV.

Nuda spes lucri inter ea non referenda est, quae ad τὸ Illa non ad nostrum pertinent. Id, cuius ratione nos non sumus deter-
minati, non pertinet ad τὸ nostrum (§. 15. obs. 54.). Sed
quoad futuram boni acquisitionem, cuius ratione nobis nu-
da spes lucri inest, nos non sumus determinati (§. 2. 3.). Er-
go & eiusmodi acquisitionis futuritio, vt ita dicam, non ad
τὸ nostrum pertinet. Nuda itaque lucri spes inter ea referri
nequit, quae ad τὸ nostrum pertinet.

§. V.

Spes lucri bene fundata merito inter ea refertur, quae haec ad τὸ ad τὸ nostrum pertinent. Id cuius ratione nos sumus de-
terminati, merito inter ea refertur, quae ad τὸ nostrum
pertinet (§. 15. obs. 54.). Quoad futuram boni adquisi-

DARIES OBS. I. N. T. H.

Nu

tionem,

tionem, cuius ratione nobis spes lucri bene fundata inest, nos magis determinati sumus, quam ad eius oppositum (§. 2. 3.) futuritio itaque illa ad rō nostrum pertinet, seu, quod idem est, bene fundata spes lucri pertinet ad rō nostrum.

§. VI.

*Huius præ-
missio est
damnum
non illius.*

Qui spem lucri bene fundatam ea ex ratione amisit, quia ab altero laesus est, is amissionem illam inter damna technice sumpta merito refert. Qui vero nudam spem lucri eiusmodi laesione amittit, is amissionem illam inter damna technice sumpta non potest referre. Perfectionis, quae in nobis ante determinata fuit, defectus, cuius ratio est in eo, quia ab altero laesi sumus, est damnum technice sumtum (§. 2. & 4. obf. §6.). Qui ab altero laesus est, & inde amisit spem lucri bene fundatam, is eiusmodi amissionem inter illos perfectionum defectus referre potest (§. 5.). Eiusmodi itaque spei amissio est damnum technice sumtum. Q. e. p.

Quicquid non est perfectionis, quae in nobis ante determinata fuit, defectus, cuius ratio in eo est, quia ab altero laesi sumus, id non est damnum technice sumtum (§. 2. & 4. obf. §6.). Sed qui nudam spem lucri, ut ita dicam, amisit, is eiusmodi amissionem illos inter defectus non potest referre (§. 4.). Huius itaque spei amissio non est damnum technice sumtum. Q. e. a.

§. VII.

*Haec in
praestan-
do damno
aestimanda
est, non il-
la.*

His praemissis facile erit respondere ad quaestionem, an in praestando damno spes lucri aestimanda? affirmando respondendum esse censeo, si sermo sit de spe lucri bene fundata, negando, si sermo sit de spe lucri, quam nudam vocavi. Ratio huius ex eo manifestum est, quia illius spei amissio est damnum technice sumtum, huius vero amissio inter damna technice sumpta non referenda (§. 6.).

§. VIII.

*Consequen-
tium*

Qui itaque habet ius alterum, ut damnum praestet, cogendi, ei quoque competit ius ab hocce cum coactione postulandi,

stulandi, vt omnia, quae ille ex spe lucri bene fundata acquirere potuit, praestet (§. 1.), idque aut per aequiualentis aut si hoc fieri non potest, per aequipollentis dationem (§. 332. 335. IN.).

SCH. Vfus demonstrati ex eo, v. g. concipiendus est, si quaestio mouetur de interesse morae, quod debitor creditori praestare debet, quia solutio non debito tempore facta. Huius nimirum quantitas determinanda est; ex iis, quae creditor ob spem lucri bene fundatam, non verò ex iis, quae ob nudam lucri spem acquirere potuit.

§. IX.

Spem lucri bene fundatam, ad quam laesus, qui damni postulat praestationem, prouocat, definiturus, non ea spectare debet, quae laesus, vt vera sumit, sed ea, quae in laeso, turbatione nondum facta, determinata fuerunt. Qui enim spem lucri bene fundatam, ad quam laesus ille prouocat, definire cupit, is non eam vult determinare rerum acquisitionem, quae per laesum, turbatione nondum facta, possibilis fuit, sed eam, quae per illum fuit probabilis (§. 3.), idque eam rerum acquisitionem, ad quam laesus turbatione nondum facta magis fuit determinatus, quam ad eius oppositum (§. 2.). Minus itaque fundatum erit iudicium, quod ex iis infert, quae laesus vt vera sumit. Hoc si sit fundatum, inferendum erit ex iis, quae in laeso, turbatione nondum facta, fuerunt determinata. Id quod ex ipsa, quam de determinato habemus, notione manifestum est.

SCH. Fluit ex hoc responsio ad quaestionem a T E S M A R O a) positam an in filia rapta spes quoque matrimonii aestimanda. In statum nimirum filiae, quam ante laesionem habuit, inquirere debet ad quaestionem illam obuiò in casu responsurus, vtrum nimirum per illum futurum matrimonium solummodo fuerit possibile, an probabile. Si illud spes futuri matrimonii fuit nuda, si hoc bene fundata (§. 3.). Ergo si illud, spes matrimonii in filia rapta non aestimanda, si hoc aestimanda (§. 7. & 8.).

a) l. c.

N n 2

OB-

OBSERVATIO LXII.

Ad §. 344. ff.

DE

BELLO EIVSQUE GENERIBVS
GENERATIM.

§. I.

*Belli def-
nitio*

Ambiguum esse vocis belli significationem obseruauit GROTIVS a). Sumitur & pro actu & pro statu. Pro actu sumtum CICERONI significat certationem per vim. Pro statu sumtum GROTIO est status per vim certantium, qua tales sunt. Significationes illae ea, quae sequitur, ratione, vt opinor, conciliari possunt. Notum est ex metaphysicis, facultatem agendi a conatu efficaci, & conatum efficacem ab efficiente distinguendum esse. Posita agendi facultate actio est possibilis, posito conatu efficaci vis ad agendum determinata est, posito conatu efficiente vis agit. Qui habet ius seu facultatem moralem alteri inferendi mala, per eum eiusmodi mali illatio est possibilis. Qui habet conatum alteri inferendi mala efficacem, is se ad mala alteri inferenda determinauit, qui vero habet conatum alteri mala inferendi efficientem, is vim suam ad malum alteri inferendum ad actum ducit. Status, quo quis habet ius alteri mala inferendi, non vocatur bellum. Status, quo homines conatu efficaci licet non efficiente, sibi inuicem mala inferendi, feruntur, vocatur bellum. Sic dicimus bellum aliquod per decem, per viginti annos durasse.

- - - una cum gente tot annos
bella gero.

licet interim quorundam dierum fuerint induciae, militesque, positi in hybernis, ab actis hostilibus abstinerint b). Status quoque hominum, quo conatu efficiente sibi inuicem inferendi mala feruntur, vocatur bellum. Sic ipsa per vim certatio est bellum. Conatus efficiens efficacem inuoluit. *Bellum* itaque generatum sumtum est status hominum, quo
conatu

conatu efficaci sibi inuicem inferendi mala feruntur. Hic conatus aut est efficiens aut non. Si illud, adest actio belli, seu bellum sumitur pro actu, si hoc, adest status belli, seu bellum sumitur pro statu.

- a) I. B. & P. Lib. I. Cap. I. §. 2. Lib. III. Cap. XXI. s. 1.
 b) vid. TESMARVM in not. ad prior. loc. cit.

§. II.

Hancce vocis interpretationem ipsa vocis origo confirmat. Recte enim deducitur a graeco βέλος, quod latine *telum* significat. Conatus efficax alteri mala inferendi est instar hostilis teli. Merito itaque conatus ille efficax vocatur βέλος bellum.

§. III.

Non-nullis definitio illa de bello data latior definito, non-nullis angustior definito videtur. Ii, quibus latior videtur, opponunt *duellum*, quod etiam est status hominum, quo conatu efficaci sibi inuicem inferendi mala feruntur. Sed respondeo: *duelli* nomen olim idem significasse; quod nomen belli: sicut enim antiquissimi non *bonus*, sed *duonus*, non *bis*, sed *duis*, non *bellum*, sed *duellum* dixerunt; canente HORATIO a) *Graecia Barbariae lento collisa duello*; ita postea, suauitatis & aurium caussa, vt aptius sonaret, cum compluribus aliis nomen *duelli* in nomen *belli* mutarunt, teste CICERONE b). Hodie *duellum* pugnam vnus contra vnum significat, est itaque belli pro actu sumti species.

- a) Lib. I. Ep. II. v. 7.
 b) in orat. ad Brutum. c. 45. conf. GROTIVS. I. B. & P. Lib. I. Cap. I. §. 2. 10. WOLFGANGI FINGERI *Diss. de Bello ac Duello Altorfi 1716. hab. Part. II. s. I.* & RACHELII *Tract. de Duellis s. XIX. ff.*

§. IV.

Ii, quibus definitio illa angustior definito videtur, cum PVFENDORFIO a) WOLFIO b) aliisque bellum definiunt statum hominum, quo ius suum per vim persequuntur aduersus alios, seu statum, quae sibi debentur, vi extorquere nitentium.

nito corro-
boratur

nitentium. Sed bellum ea ratione definiendum esse cenſeo, qua omnia bellorum genera comprehendit. Ea itaque ratione formari debet belli definitio, qua nec iuſtitiam nec cauſam nec modum includit. Verum quidem eſt, permultos belli nomen tantum publico, permultos tantum iuſto tribuere, ſed id, vt cum GROTIſ) loquar, nobis non obſtat, cum certiffimum ſit, nomen generis ſaepe ſpeciei, praefertim excellentiori, peculiariter adhaereſcere.

a) IN. & G. Lib. I. Cap. I. §. 3.

b) IN. Cap. III. P. I. §. 1102.

c) I. c. n. 3.

§. V.

Fundamen-
ta de bello-
rum generi-
bus

Formata de bello definitione facile erit perſpicere, diuiſiones belli primo a *cauſſa efficiēte*, ſecundo a *mate-ria* ſeu *ſcopo*, tertio a *forma* quarto a *modo*, quo geritur, dependere.

§. VI.

Primum
cauſſa effi-
ciens, cuius
ratione eſt
vel publi-
cum vel
priuatum
Conſecta-
rium

Cauſſa belli *efficiens* aut ſpectatur quatenus eſt tale ſub-iectum, aut quatenus talem habet determinationem moralem. Priori ratione aut eſt gens ſeu Rector *ciuitatis*, aut non. Si illud bellum vocatur *publicum*, & ſi hoc *priuatum*.

§. VII.

Quod quis per alium facit, id per ſe ipſum feciſſe putatur. Bellum itaque, quod ex mandato gentis ſeu Rectoris *ciuitatis* geritur, eſt publicum. Bellum vero, quod nec a gente ſeu eius Rectore, nec ex eius mandato geritur, eſt *priuatum*. (§. 6.).

SCH. Quoties itaque ſinguli paucique nullo iuſto imperio, nimirum ciuili, praediti armis inter ſe depugnant, v. gr. viator contra latronem, toties bellum eſt *priuatum*. Sunt verba GRONOVII. a)

a) in not. ad l. c. GROTIJ.

§. VIII.

vel iuſtum
vel iniuſtum

Hancce belli diuiſionem hoc loco mittamus. Diſtincta enim huius euolutio, & quae inde ſequuntur, imperium ciuile

uile pro euoluto sumit, de quo infra suo loco dicturi sumus. Altera belli diuisio, cuius fundamentum est causa belli efficiens, oritur ex determinatione morali, quae subiecto, quod bellum gerit, inest. Qui bellum gerit, is habet conatum efficacem alteri inferendi mala (§. 1.), id est, alterum cogendi. Qui alteri mala inferre cupit, is aut habet ius alteri inferendi mala, aut sine iure agit. Si illud, *bellum* vocatur *iustum*, & si hoc *iniustum*. Belli iusti atque iniusti significatio etiam fumitur ex determinatione modi, quo bellum geritur, quod infra docebo. Hac ex causa, illud bellum iustum, *bellum ratione causae iustum*, & illud bellum iniustum, *bellum ratione causae iniustum* vocabo.

§. IX.

Quum bellum sit status hominum, quo conatur efficaci sibi inuicem inferendi mala feruntur (§. 1.); manifestum est, huius diuisionis, ratione secundum regulas logices tres ponendas esse belli species, aut enim alter belligerantium habet ius alteri inferendi mala, hic vero sine iure agit: aut ille & hic sine iure agunt: aut vtrique habent illud ius, quod compendii causa *ius belli* vocatur. Si primum, *bellum ex altera parte erit iustum & ex altera iniustum*, si secundum, *bellum ex omni parte erit iniustum*, si vltimum, *bellum ex omni parte erit iustum*.

Huius ratione tres species belli possunt poni

SCH. Agitata a multis est quaestio, *an bellum ratione habita eorum, qui principales belli motores sunt, vtrinque iustum esse possit*. Ad quam suo loco responduri sumus. Hoc loco sufficiet in species belli, quae determinationis ope formari possunt, inquirere.

§. X.

Veniamus ad alterum diuisionis fundamentum, *scopum* secundum nimirum belli. Hic determinabit, vtrum quis habeat ius belli nec ne, ideoque vtrum bellum ratione causae sit iustum an iniustum (§. 8.). Scopus belli aut est diiudicatio controuersiae, aut non. Si controuersiae diiudicatio, bellum vocatur

est scopus inde telum vel iudiciale vel non.

vocatur *decisorium*, seu *iudiciale*. Si persecutio iuris, non *iudiciale*.

§. XI.

*Usus belli
iudicialis
antiquus*

De bello iudicali seu decisorio legi merentur, quae SAMUEL RACHELIVS observavit, verbis, quae sequuntur: a) videamus iam illud duelli genus, quod iudiciale vulgo quidem ac perperam appellant, quo in subsidium deficientis probationis ac purgationis utebantur, vel sua litigantes voluntate, vel iudicis ad id suscipiendum auctoritate adducti. Atque hoc duellum cum fuerit & antiquissimum, & frequentissimum, & omnibus Germaniae populis etiam in vastum septentrionem se porrigentibus vltimatissimum - - . Primo quidem certum est, in Codice legum antiquarum Lindembrogiano plurimas extare leges, quibus hic probandi purgandique modus confirmatur. Sufficiat hic unam proposuisse ex c. 44. *Legg. Alemann.* *Si quis liber libero crimen aliquod mortale imposuerit, & ad Regem vel Ducem eum accusaverit, & inde probata res non est, nisi quod ipse dicit: liceat illi alii, cui crimen imposuit, cum tracta spatha se idoneam contra illum alium.* Idem legere passim sancitum licet in legibus salicis, Baiuariis, Francicis, Ripuariis, Frisiis & Longobardicis. Videatur FRIDERICI BARBAROSSAE cognominati constitutio *de pace tenenda* 2. Feud. tit. 27. ubi huius amoris vestigia a Longobardis in Italiam oblata videre licet. Vix vero rectius quisquam hoc duellum narrabit CHRISTOPHORO LEHMANNO, quo nemo rerum Germanicarum facile fuit peritior. Ita igitur ille b): *Wer seine Unschuld mit Zeugen nicht erweisen können, oder wollen, der hat noch diesen Weg vor sich gehabt, daß er gegen den Kläger durch einen öffentlichen Kampf seine Unschuld ausständig machen können.* Deinde allegat sequentia ex STUMPPII *Historia Helvetica* c): *Es haben die alten Francken, auch nach Befehung zum christlichen Glauben, die heydnische unmensbliche Art in Übung gehabt, daß Sie um geringer Ursachen willen, und fast in jeder Sache sich zum Kampf um Leib und Leben erbotten, und hiemit die Unschuld und*

und Gerechtigkeit an Tag bringen wollen, gleich als hätte der Stärkere recht und der Schwächere unrecht. Post haec ita pergit: In Alemannien hat es auch den Proceß gehabt, wenn Partheien um Acker und andern Feldbau streitig worden, und über eins oder des andern Befugniß und Recht am Beweis Mängel fürgefallen, ist der Grave und Gerichts des Orts sambt den Partheien an den streitigen Ort gangen, und nachdem Sie den Augenschein wohl eingenommen, hat ein jeder Theil von dem Ort, da er berechtiget zu seyn vermeint, eine Hand voll Grund ausgegraben und dem Graben zugestellt, derselbe hats in ein Tuch verwahrt und versiegelt, und einem andern bis zum nächsten Gerichtstag zu behalten geben. Wann man denn das Gericht besessen, haben die Partheyen sich eingestellt, und angelobt, daß ein jeder seine Gerechtigkeit an dem streitigen Ort mit dem Schwert gegen seinen Gegentheil wolle ausfechten. Wenn Sie nun sich dazu, wie bräuchlich, mit einem Schild und Schwert ausgerüst, hat man den verwahrten Grund auf dem Plage in die Mitte gelegt, welchen die Kämpffer jeder mit seinem Schwert zuförderst berührt, und daneben Gott angeruffen, daß er dem, der die Gerechtigkeit für sich hätte, den Sieg wolle geben. Welcher den Kampf erhalten, dem hat man das Gut zugesprochen, der ander Theil und sein Beystand haben den Unfug mit Gelde gebüßet und abgetragen.

a) Tr. cit. de duellis Th. XXIX.

b) Lib. II. Chron. Spir. c. 30.

c) Lib. III. c. 92.

§. XII.

Atque huius, *pergit*, generis duellis nihil prisci Germanis fuit frequentius, vt non dubitet s T V M P H I V S l. c. ^{ptio conti-} sequentibus vti verbis: diesen Brauch also versprochenen Kampf ^{natur} zu thun, haben die Francken in solcher Übung gehabt, daß Sie bey nahe um eine jede Sache sich zum Kampf erbotten. Cediturque vulgo fuit, vel omnino non, vel certe neque melius neque liquidius de veritate aut causae iustitia constare, quam per duellum huiusmodi posse: cuius cum multa in veteribus monumentis exempla extant, vnum ex FROSSAR-

DARIES OBS. I. N. T. II.

O O

DO a)

DO a) hic commemorabo. Euenit, inquit, in Gallis, ut quidam genere nobilis e familia Comitis Alençonii per vim stupraret alterius cuiusdam nobilis viri, peregre profecti, uxorem, quae simul atque maritus reuertisset, lacrymis opletâ, commemorare vim sibi factam: ille crimen deferre ad Alençonium: alter negare factum pertinaciter. In quem cum esset aliquanto propensior etiam is, apud quem fuit instituta accusatio; qui iniuriam passus erat, ad senatum Parisiensem appellabat. Per annum & eo plus agitata causa, cum & uxor intentare crimen, & ille constanter negare; statutum est: ut Monomachia litem finirent. Certo die, quem aut ipsi delegerant, aut arbitri praescripserant, congressi sunt, equites primum, deinde pedites. Non hic coeca fortuna, (quae solet alioqui in eiusmodi rebus dominari) sed aequitas potius & virtus exercere suas vires. Nam qui suae coniugis pudicitiam vita sua cariorem habuit, & in ea propugnanda capitis periculum non reformidauit, necato aduersario, palam faciebat omnibus, vindicem esse Deum, qui scelerum impunitatem non ferat. Interemptum illum, carnifex pertractum ad patibulum post ea suspendis: quem si vincere contigisset, iam ex decreto Senatus illa quidem propterea quod falso credita fuisset, accusasse, flammis obiecta: maritu autem eo, quo aduersarius, ignominiae genere post mortem etiam adfectus fuisset. Victorem eximius laudibus efferre omnis nobilium turba & prodisse in eo virtutem. Quin & Galliae Rex, honestissima quadam animi inclinatione, minime permittens, egregie factis honorem suum abesse, praemiaque & praesenti illum munere non contemnendo, & certis deinde prouentibus, quoad viueret, locupletauit auxitque.

a) Lib. III. bist.

§. XIII.

*Exemplo
illustratur*

Non solum autem moris fuit, ut actor & reus huiusmodi duello colliderentur, sed saepe etiam testes commissi fuerunt; vti idem testatur LEHMANNVS l. c. Verba eius sunt: In der Verhör, und wenn die Zeugen Ihr Rundschaft gesagt, haben sie Ihr Schwert beym Knopf in Händen gehalten, und

und damit zu verstehen geben, daß Sie mit dem Schwert die Wahrheit, die Sie ausgesagt, wollten verfechten, immassen denn geschehen, wenn die Zeugen, die der Kläger und Beklagte geführt, nicht zusammen gestimmt, und kein Theil dem andern recht geben wollen, daß alsdenn ein jeder Theil einen ausgeschossen, der auf freyem Feld mit Prügeln über die Wahrheit gekämpft, und haben die Kämpffer kein ander Rüstung denn ein Schild gehabt, welcher unter den Beyden überwunden worden, den hat man, wie auch allen seinen Beystand, für meynedig und falsche Zeugen gehalten, und Ihme hierumb die rechte Hand abgehauen, die übrige seiner Seiten haben Ihre Hände mit Geld müssen lösen, davon zwey Theil dem Gegentheil, und der dritte zum Frevel dem Fisco heimgefallen.

§. XIV.

Et quod, *pergit*, mirere, non solum dubiae quaestio- ^{aliud ex-}
 nes facti, sed & iuris duellis istis decisaе fuerunt. Eius rei ^{emplum}
 insigne suggerit exemplum idem LEHMANNVS a): Und dies
 se Zeit (Otto I. Imperante) ist im Reich in Erbschafts-
 Sachen hin und wieder Streitigkeit in solchem Fall entstanden. Wenn
 ein Vater Erben gehabt, die sich verheyrathet, und in der Ehe
 Kinder erzeugt, deren Vater bey Leben des Alt. Vaters Todes
 verfahren, ob die Enkel den Alt. Vater beneben Ihren Vettern
 oder Vaters Brüdern sollen erben. Der mehrentheil hats dafür
 gehalten, daß der Enkel an Ihres Alt. Vatern Nahrung kein
 Theil haben, sondern die Söhne allein, so noch vorhanden, der
 Erbschaft fähig seyn. Dieser Irung und Zweytracht, daher viel
 Klag und Blutvergießen erfolgt, mit rechtmäßigem Entschied abzu-
 helfen, hat Kayser Otto eine allgemeine Reichsversammlung ins
 Dorf Strela lassen verkündigen, und daselbst des Reichs Ausschuß
 und Schieds. Männern über angeregte Frage sich zu berathschla-
 gen, und was sie billig befunden, in gemeiner Versammlung zu er-
 dnen befohlen. Nach gehaltenen reifen Rath haben die Schieds-
 Männer dem Kayser und Ständen Ihren Entschied und Ausschlag
 fürgetragen, und dahin gestellt, daß die Kindes. Kinder Ihren El-
 tern gleich, und an derselben Statt eines Stammes und Namens
 mit

mit Ihren Bettern seyn, und derhalben die Erbschaft Ihres Altvatern, nach dem Stamm von Rechtswegen fähig. Mit diesem Ausspruch hat Kayser Otto nicht gesättiget seyn wollen, sondern damit niemand zu zweifeln, ob berührter Entschied das gründliche Recht sey, etliche tapfere Ritter erwehlet, die durch öffentlichen Kampf sollen bestreiten, ob von den Schieds, Männern recht oder unrecht in angeregter Frag gesprochen. Als die Fürsten und Ständ des Kayfers Fürschlag bewilliget, und die gewählte Ritter zu beyden Theilen gegen einander zum Streit und Kampf kommen, hat der Theil obgesieget, welcher der schiedlichen Richter Ausspruch verfochten. Darauf der Kayser sambt Fürsten und Ständen derselben, als ein Gesetz bestätiget, und im ganzen Reich zu halten befohlen. Eandem historiam paulo aliter recitat STUMPHIVS l. c. Atque haec duella veteribus venerunt nomine Kampf, vel Kampf, Recht b).

a) Chr. Spir. Lib. V. Cap. IV.

b) Conf. WERNER. Tit. IV. Part. V. veter. ordinat. Roswilens.

§. XV.

*Bellum non-
iudiciale ra-
tione caus-
sae est vel
iustum vel
iniustum*

Haec satis esse videntur ad id probandum, definitionem de bello iudicali vsui loquendi conuenienter a nobis esse formatam. Ad quaestionem, an eiusmodi bellum iudiciale iure naturali sit licitum suo loco responsuri sumus. Quod bellum non-iudiciale attinet, de quo §. 10. diximus, huius scopus aut est persecutio iuris, aut adquisitio eius, ad quod acquirendum nobis non competit ius. Si hoc, bellum ratione causae erit iniustum, si illud, bellum ratione causae erit iustum (§. 8.).

§. XVI.

*Iustum est
vel repara-
tium vel
defensuum
vel puni-
uum*

Quum bellum gerens conatum efficacem habeat alteri inferendi mala, seu alterum cogendi (§. 1.); sequitur, tres concipiendas esse belli non-iudicialis species, si nimirum scopus belli sit iuris persecutio. Ius nimirum illud cogendi aut est ius damni praestationem postulandi, seu vt alii dicunt, ius postulandi vt alter nobis, quod debet, praestet: aut ius laesiones imminentes a se auertendi, aut ius punien-
di.

di. Si primum, bellum vocatur *reparatiuum*, si alterum, *defensiuum*, & si vltimum, *punitiuum*, seu, vt alii dicunt, *vindictariuum*.

§. XVII.

Sed fortasse dixerit quispiam, a nobis §. 360. I. N. de *obiciis* monstratum esse, solam iusti belli causam esse turbationem aut illatam aut imminetentem; ex hoc vero immediate fluere & bellum iudiciale & bellum punitiuum inter species bellorum, quae iusta esse possunt, non esse referenda, ideoque species a nobis hoc loco esse formatas, quae conceptum generis non admittunt.

§. XVIII.

Respondeo, notum esse ex logicis, vt extensio theorematum ab ea dependeat ratione, quae illius corroborat *ad quam* veritatem. Qui argumentum, quo theorema illud loco citato corroborauimus, accuratius euoluit, facile perspiciet, ibi non esse sermonem de iusto bello generatim sumto, sed de bello, quo quis ius suum suum in commodum aduersus alium per vim persequi cupit. Hicce vero conceptus nec latet in bello iudiciali, quia ab hoc dependeat decisio quaestionis, an ius, de quo quaeritur, sit nostrum, nec latet in bello punitiuo, quia tali, quia iustae poenae scopus non est in eo, qui punit, sed in eo, qui deliquit, aut in societate. Quod in obseruatione de naturali poenarum mensura satis demonstrauius. *respondetur*

§. XIX.

Tertium fundamentum, ex quo belli diuisiones fluunt, *Ratione* est forma (§. 5.). Huius ratione distinguunt doctores eum, *formae bellum est vel* qui vim facit, id est, qui primo loco in alterum arma mouet, ab eo, qui repellit. Illius ratione *bellum* vocant *offensiuum* *vel defensiuum*, huius ratione *defensiuum*.

§. XX.

Sequitur inde *primo*, fieri posse, vt bellum, quod ex *Consecraria* altera parte est offensiuum, ex altera parte sit defensiuum. *Secundo*, aliud esse bellum defensiuum in oppositione ad reparatiuum & punitiuum, aliud in oppositione ad offensiuum sum-

sumtum, ideoque fieri posse, ut bellum, quod hac ratione est offensivum, illa ratione sit defensivum.

SCH. Notandum est, bellum defensivum, quod nunc ponitur, significare bellum defensivum in oppositione ad reparativum vel punitivum sumtum.

§. XXI.

offensivi no-
tio proba-
tur.

Non nullis a) bellum offensivum idem significat, quod bellum ratione causae iniustum, id est, quod sine iure geritur. Sed usus obrinuit, ut non causa belli, sed prior armorum motus, eo nomine indicetur. Qua de re notatu digna sunt, quae B. GLAFEY b) verbis, quae sequuntur, monuit: „Eine solche Praevention heist ein bellum offensivum, welches von einer offensiven und defensiven Compagnie zu distinguiren ist. Wenn man die Sache nach der Gerechtigkeit ermessen wollte, würden alle bella defensiva seyn müssen, angesehen niemand ohne Beleidigung, sie sey geschehen, oder noch bevorstehend, zum Kriege schreiten soll, ein Beleidigter aber allemahl in statu defensionis sich befindet: Allein da die Benennung eines belli offensivi und defensivi nur blos von dem ersten Angriff mit Waffen hergenommen, die Gerechtigkeit eines Krieges aber aus ganz andern Gründen zu ermessen ist: So mag der Unterscheid unter einem bello offensivo & defensivo passiren, woben ich nur so viel noch erinnern will, daß oft Fälle sich ereignen, da es zweifelhaftig ist, wer offensiv und defensiv krieget, massen oft zwey Partheien zugleich gegen einander austrücken, und zu gleicher Zeit auf einander losschlagen, ohne daß man sagen kann, wer von beyden den Anfang zu den Feindseligkeiten gemacht hat.

a) vid. PUFENDORF I. N. & G. Lib. VIII. Cap. VI. §. III.

b) Im Recht der Vernunft Lib. I. Cap. V. §. 63.

§. XXII.

bellum ra-
tione modi
est vel iu-

Quartum divisionis fundamentum est modus, quo bellum geritur (§. 5.). Quemadmodum ex eo, quod finis, in quem agimus, sit bonus, non sequitur, ut media, quibus finem

finem illum obtinere cupimus, sint legitime electa: ita & fieri poterit, vt nobis ius belli competat, licet modus, quo eiusmodi ius a nobis exerceatur, sit regulis repugnans. Si modus, quo bellum geritur, sit legitimus, id est, legibus conueniens, *bellum* quoque vocatur *iustum*, si vero modus ille sit illegitimus seu legibus repugnans, *bellum* quoque vocatur *iniustum*.

§. XXIII.

Alia itaque erit belli iusti atque iniusti significatio, si ad formandas notiones modus, quo bellum geritur, alia, si ad formandas notiones causa belli determinaretur (§. 8.). Quae ex causa hocce bellum iustum, *bellum ratione modi iustum*, & hocce bellum iniustum, *bellum ratione modi iniustum* vocabo. Porro inde fluit, fieri posse, vt bellum ratione causae iustum, sit bellum ratione modi iniustum, & vt bellum ratione causae iniustum sit ratione modi iustum. Conf. ea, quae supra obs. 38. de iusto atque iniusto a nobis euoluta sunt.

OBSERVATIO LXIII.
DE
BELLO DEFENSIVO.

§. I.

Sumitur defensio & *latiori* & *strictiori* significatione. *Latiori* pro quacunq; mali repulsione seu auersione. *Strictiori* pro ea damni imminentis repulsione, quae fit vi. Quae ex causa etiam *defensio violenta* vocatur. De qua hoc loco est sermo.

§. II.

Qui se ea ratione defendit, is alteri infert mala ad damnum imminens, id est, tale, quod aut cum certitudine aut cum probabilitate licita vt aduenturum sumit vid. §. 6. obs. 57. a se auertendum. In iusto itaque bello defensiuius alteris inferendi mala ducimus ad actum (§. 8.). Quare, quum

quum ius nobis competere possit, licet exercitio iuris varia posita sint impedimenta etiam moralia, id est, licet exercitium iuris non sit licitum; manifestum est, quaestionem de iure defensionis violentae, a quaestione de iusto bello defensionis distinguendam esse. Qui illud secundum ius naturae determinant, spectant leges naturales extra collisionem positas. Ii vero, qui hoc determinare cupiunt, legum naturalium collisionem, quae obuia est, considerare debent.

§. III.

Illud quando nobis competat

Primo itaque quaeritur, *quando nobis secundum ius naturae competat ius defensionis violentae?* Respondeo, posita laesione imminente, quam ad auertendam alia media, quam coactiua, non sufficiunt. Accipe argumentum, quod responsionem corroborat. Ius, quod ex damno, cum certitudine imminente descendit, oritur quoque ex damno imminente, quod cum probabilitate licita sumitur (§. 22. obf. 57.). Sed ex damno cum certitudine imminente oritur ius damnum illud a nobis auertendi (quod patet ex dem. §. 2. obf. 58.). Posita itaque laesione imminente, nobis quoque per naturam competit ius ad damna, quae inde immanent, a nobis auertenda. Ponamus eiusmodi auersionem non nisi mediis coactiuis fieri posse, consequens erit, nobis posita laesione imminente secundum ius naturae competere ius defensionis violentae (§. 5. obf. 37. & §. 1.).

§. IV.

hoc quando licitum

Deinde quaeritur, *quando nobis secundum ius naturae competat ius belli defensionis, id est, quando secundum ius naturae licitum sit, ut ius defensionis violentae exerceamus.* Responsionem ea, quae sequitur, ratione accipe. Qui ius defensionis violentae exercet, is alteri infert mala, suum itaque ad commodum conseruandum violat officia erga alios. Huius ergo quaestionis decisio dependet ab iis, quae in collisione officiorum erga nos & erga alios secundum ius naturae per nos fieri debent. Qua de re vide ea, quae obseru. 29. de collisione legum naturalium, obf. 50. de egoismo morali

rali & obferu. § 1. de ftatu neceffitatis a nobis euoluta atque demonftrata funt.

§. V.

Ius defenfionis nobis ea ex ratione competit, quia nobis per naturam competit ius mala imminencia a nobis auer- *Termini de-
fenfionis
quoniam ex
fundamen-
to definen-
di*
tendi (per dem. §. 3.), ideoque ex principio, quod docet, ius ad finem dare ius ad media fufficientia. Ex quo patet, terminos defenfionis, id eft, mala, quae alteri ex iure de-
fenfionis inferre poffumus, vid. §. 348. non deducenda effe ex quantitate damni imminenti, fed ex fcopo defenfionis, ideoque ex auerfione laefionis imminenti, id eft, ex fe-
curitate.

§. VI.

Defenfor itaque, qui aggreffori plura infert mala, *Violatio
terminorum
quando fit
laefio*
quam quae ad fecuritatem obtinendam neceffaria funt, mala illa non infert ex iure defenfionis (§. 5.). Illatio ergo illa mali, fi non ex alio quodam fundamento ius inferendi flueret v. g. ex iure postulandi praeflationem damni, aut ex iure puniendi, erit laefio (§. 4. obf. 54.), ideoque mala, quae aggreffor inde sentit, erunt damna (§. 4. obf. 56.).

§. VII.

Haec nos perducunt ad aliam quaefionem, *Defenfio
quando non
fit laefio*
*an fit lae-
fo aggrefforis, fi aggreffus illi ex iure defenfionis eo in casu in-
ferat mala, quo officiorum collifio eiusmodi iuris exercitium
non permittit.* Negando respondendum effe cenfeo. Rationem huius ea, quae fequitur, ratione accipe. Qui iure suo utitur, is neminem laedit (§. 336. I. N.). Sed mala illa aggreffori ab aggreffo ex iure defenfionis inferuntur. Minime itaque dici poterit, aggrefforem eiusmodi malorum illatione ab aggreffo effe laefum.

§. VIII.

His praemiffis inquiramus in defenfionis violentiae spe- *Defenfio
eft vel per-
fonalis vel
realis*
cies. Quae specierum euolutio ea ex ratione neceffaria, vt ad quaefiones, quas de defenfione doctores pofuerunt,

DARIES OBS. I. N. T. II.

Pp

diftincte

distincte determinateque possimus respondere. *Prima* diuisio fluit ex damno, quod imminet. Et *altera* ex malo, quod ex iure defensionis aggressori possumus inferre. Damnum quod imminet, aut spectat ad nos, si v. g. adsit periculum vitae aut integritatis membrorum, aut ad bona nostra. Si prius, defensio violenta vocatur *defensio sui*, & si posterius, *defensio rerum suarum*. Illa a non-nullis a) vocatur *defensio personalis*, & haec *defensio realis*.

a) vid. DIETERICI WILHELMI MATTHIAE *Diss. de defensione necessaria*. Erfordiae 1697. hab. Tb. V.

§. IX.

vel cruenta
vel non

Quoad alterum, malum, quod aggressori ex iure defensionis inferre possumus, aut est summum seu vitae priuatio, aut non. Si illud, *defensio violenta* vocatur *necessaria* seu *summa*, seu *cruenta*, si hoc, *minus necessaria*.

SCH. Huius diuisionis ope ea, vt opinor, conciliari possunt, quae de vocis origine a doctoribus disputata sunt. Non-nulli defensionem dici putant a *deus* occido, interficio. Non nulli vocem deducunt ex *de* & inusitato *fendo*, quod idem est ac arceo, auerto, prohibeo a). Illis do palmam, si sermo est de defensione necessaria, *hisce*, si sermo est de defensione violenta in genere sumta.

a) vid. MARTINI *Lexic. philol. verbo defendere*.

§. X.

Cruenta an
locum ha-
beat ob pe-
riculum vi-
tae

Iam ad quaestiones a GROTIO a) aliisque de defensione positas: Prima est. *An defensio necessaria seu summa ob periculum vitae imminens iustum habeat locum*. Respondeo. Periculum illud vitae aut alia ratione, quam aggressoris interfectione, euitari potest aut non. Si illud nobis per naturam non competet ius defensionis necessariae (§. 3.): si hoc nobis ius defensionis necessariae per naturam competet (§. 3. 5. 9.). Si porro quaeratur: an hoc in casu bellum defensuum vsque ad aggressoris interfectionem per naturam sit licitum, responsio ab eo dependebit, quod §. 19. obs. 29. demonstraui.

a) I. B. & P. *Lib. II. Cap. I. s. 3. ff.*

§. XI.

§. XI.

Hanc ad defensionem nos ipsa ducit natura. Id quod ex impetu naturali nos defendendi patet, qui non in nobis solum, sed & in brutis excitatur. Hinc PROPERTIVS a). ad quam natura ducit

Non solum taurus ferit vncis cornibus hostem,

Verum etiam instanti laesa repugnat ovis.

Sui, inquit SENECA, amor est & permanendi conseruandique se insita voluntas atque aspernatio dissolutionis. Et haec non scripta, inquit CICERO in Orat. pro Milone, sed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus, ut, si vita nostra in aliquam vim incidisset, omnis honesti ratio esset expediendae salutis. Et post haec: hoc & ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus, & feris ipsa natura praescripsit, ut omnem semper vim, quacunque ope possent, a corpore, a capite, a vita sua propulsarent. Neque alio fine leonibus robur, apibus aculei, tauris sponte nascentia cornua data sunt, quam ut iis in sui defensionem, atque protectionem vtantur. Licet itaque natura nos ad eiusmodi defensionem stimulet, nihilo tamen minus sana ratio stimulum illum certo in casu restringit (§. 10.).

a) L. 2. elegia ad Cynthiam.

§. XII.

Porro ex dictis patet, fundamentum eiusmodi defensionis esse obligationem naturalem, quae nos ad nos conseruandos ducit (§. 10.). Ex quo colligimus, fundamentum eiusmodi iuris defensionis non esse peccatum aggressoris, id eoque ius illud nobis competere, quamuis alter nos sine dolo aggrediatur. Hinc patet, quae sequuntur, afirmandas esse.

Prima: An in bello occidere possim militem hostis bona fide militantem?

Secunda: An, qui me aggreditur ex errore, quum me putet alium esse?

Pp 2

Tertia:

Tertia: An furiosum, insanum, noctiuagum vel lunaticum?

Et quae sunt reliquae:

§. XIII.

B. G. L. A.
R. E. Y. hac
de re sen-
tentia

Demonstratum est §. 10. nobis per naturam competere ius defensionis necessariae, posito periculo vitae imminente, & quod aliter euitari non potest, bellum vero defensionum vsque ad interfectionem aggressoris eo solum in casu per ius naturae licitum esse, quo mors nostra non maiores efficere potest perfectiones, quam mors aggressoris vide obf. L. de *egoismo morali*. Quae quum ita sint, fieri non poterit, ut eam ad sententiam accederem, quam B. G. L. A. R. E. Y. (1) hac de re verbis, quae sequuntur, dixit: „Die Pflichten der Socialität sind der Conseruation subordinirt, mithin müssen Sie derselben in der Collision weichen. Woraus sich von selbst ergibt, daß die Distinction der Socialisten, welche den Angefallenen Rethung geben heissen, ob der Aggressor dem Staat nützlicher sey, als er, oder nicht, hiebey um so weniger in eine Consideration kommen könne, als die Socialität, tanquam lex inferior, sich nach meiner Conseruation reguliren muß: zu geschweizen, daß solche Meditationes, ob nemlich einer nützlicher ist, als ich, theils wegen angebohrnet Selbstliebe, welche fast einem jeden Menschen höhere Gedanken, als er mit seinen Kräfften praectiren kann, in den Kopf sezet, theils aber auch wegen der Verwirrung, worinnen sich ein solcher Angefallener befindet, fast nicht practicables sind.

*) l. c. §. 35. p. 377. Edit. III.

§. XIV.

ad quam
respondetur

Primo enim nego fundamentum argumentationis. Rationem huius negationis vide §. 42. ff. obf. L. *Deinde* nego conclusionem inde illam ob principium §. 10. demonstratum. *Tandem* nego, rationes, quas addidit, sententiam illam corroborare: Prouocat ad amorem sui ipsius, sed ea ratione, qua non est rationi conueniens, id quod doctrina de *egoismo morali* obf. L. euoluta probat. *Vltima* solum docet,

docet, eiusmodi defensionem non esse laesionem aggressoris, hoc vero salua thesi, quam probauimus, potest poni (§. 7.).

§. XV.

Altera quaestio: *An defensio necessaria ob periculum mutilationis membri iustum habeat locum.* An locus habeat ob periculum mutilationis membrorum Responso eadem est, quae ad quaestionem primam §. 10. positam data. Periculum enim mutilationis membri semper inuoluit periculum vitae, quia incertus est vulneris euentus, & ex minimo vulnere mors sequi potest. Idem quoque valet in aggressionem, quae fit armis.

§. XVI.

Tertia quaestio: *An defensio illa licet pro pudicitia?* Pro pudicitia alii affirmant. GROTIUS a) PUFENDORF b) Ebraei c) affirmant. THOMASIVS d) BYDDEVS e) AVGVSTINVS f) negant. Audiamus primo argumenta affirmantium, deinde argumenta negantium & hoc facto responsuri sumus. Argumenta affirmantium, sunt, quae sequuntur. *Primum*: Lex diuina pudicitiam vitae adaequat. *Secundum*: Fautor pudicitiae tantus est, quod eiusdem integritate decus sexus foemini maxime aestimatur. *Tertium*: Magistratus stupratorem violentum potest capitis dammare, ergo & priuato, vt id faciat, permitti debet.

a) I. B. & P. Lib. II. Cap. I. s. 7.

b) I. N. & G. Lib. II. Cap. V §. 11.

c) vid. SELDENVM I. N. & G. Lib. IV. Cap. III.

d) in Inrisprud. diu. Lib. II. Cap. II. s. 114. ff.

e) in Theol. mor. p. 675.

f) de Lib. arbitr. l. 5. & de ciuitate Dei Lib. I. 18.

§. XVII.

Argumentum, quo negatiua corroboratur, est, non amitti corporis sanctitatem, manente animi sanctitate, etiam oppresso corpore. Quae de re THOMASIVS l. c. ca, quae sequitur, ratione loquutus est: De pudicitia diffi-

lior est inspectio. Siue enim hanc *physice* consideres, reparari poterit per æquiualens, siue *moraliter*, eadem auferri non poterit me inuito, quia est bonum animi. Equidem hactenus putauī, licentiam defensionis cruentae hac parte exinde deduci posse; quod virgo periculum subeat, saltem ad momentum delectationem ex alterius congressu illicito percipiendi; adeoque hunc iustum de peccato alterius participandi merum pro damno irreparabili habendum esse, cum factum nequeat infectum fieri, & peccata aestimationem inter homines non recipiant. Sed re curatius pensitata neque haec ratio videtur sufficere.

§. XVIII.

*Mea hac de
re sententia*

Mea ex sententia ad priorem accedere *debemus* sententiam, si sermo sit de iure defensionis, & ad posteriorem, si sermo sit de ipso bello defensiuo. Illius rationem §. 3. & 5., huius vero §. 4. exhibet. Speciatim vero, quoad argumentum tertium, quod §. 16. allegauimus, notandum esse censeo, ius inferendi mala, quod ex iure defensionis oritur, a iure inferendi mala, quod iuris puniendi confectarium est, distinguendum esse.

§. XIX.

*An locum
habeat ab
imminentem
alam
p. m. Sen-
tentia alio-
rum*

Quarta quaestio: *An defensio cruenta iustum habeat locum, si alicui periculum immineat accipiendae alapae, aut mali similis.* GROTIUS a) censet, id non repugnare iustitiae explettrici. Cuius hic est sensus, inquit PVEENDORFIVS b): cum iustitia explettrix violetur, quando alicui non tribuitur, ad quod ius perfectum habet, aut inferitur, quod ne acciperet itidem perfectum ius habebat; eum, qui ob intentatam alteri alapam caeditur, queri non posse, iustitiam explettricem in se fuisse violatam. (vid. §. 7.). Qui enim iniuria alterum laeessit, nullum amplius in se habet ius, quod minus extrema quaeque ab altero ipsi vicissim inferantur; seu quod eodem redit, dar laeso. aduersus se ius in infinitum; etsi saepe, ne isto iure quis integro vtatur, aliae considerationes prohibeant. Neque est, quod aliqui obiiciant
aequa-

aequalitatem illam, quae in iustitia alias obseruari debet. Nam aequalitas praecipue locum habet in permutationibus rerum, & in distributionibus bonorum communium. Mala autem, quae per modum belli hinc inde inferuntur, ad aequalitatem accurate reduci non solent; neque id necessum est. (vid. §. 5.). THOMASIVS c) hoc in casu defensionem cruentam sine limitatione reiicit: Sic enim ille: *Alapam, per internecionem eius, a quo metuimus, auertere iuste posse, & rationi & moribus vniuersalibus repugnat; Alapa enim est bonum reparabile. Eadem de defensione honoris & existimationis dicenda sunt.*

a) l. c. §. X.

b) l. c. §. XII.

c) l. c. §. 118. f.

§. XX.

Iterum sententiae illae, quae repugnantes videntur, ^{non} possunt conciliari. GROTIUM defendo, si sermo sit de iure defensionis, id quidem ob §. 3. & 5. THOMASIVM, si sermo sit de ipso bello defensiuo. Rationem huius accipere ex §. 4.

§. XXI.

Haec de defensione sui seu personali, sequitur defensio ^{an indefen-} realis, quae pro tuendis rebus nostris suscipitur. Quae- ^{sione reali.} ritur, an hoc in casu defensio cruenta iustum habeat locum. GROTIUS a) ad quaestionem afirmando respondendum esse ^{Ahorum} censet, ea sub limitatione, si iustitiam expletricem respici- ^{sententia} mus: nam quae inter rem & vitam est inaequalitas, ea fauore innocentis & raptoris odio compensatur. THOMASIVS b) distinguendo respondet, vtrum erepta recuperari possint, nec ne. Illo in casu iustitiam defensionis cruentae negat, hoc vero in casu eiusmodi defensionem licitam esse afir-
firmat.

a) l. c. §. XI.

b) l. c. §. 120.

§. XXII.

§. XXII.

mea

Sed nec GROTII nec THOMASII sententia vniuersaliter vera videtur. GROTII sententia vera solum est ea sub limitatione, si sermo sit de iure defensionis, & de tali damno imminente, quod, si illatum, irreparabile est. Rationem huius docet §. 3. & 5. THOMASII sententia eo solum in casu vera est, quo talis occurrit officiorum collisio, quo officia erga nos officiis erga alios praeferenda. Id, quod probat §. 4.

§. XXIII.

*Defensio
violenta
quando non
habeat locum*

Diximus, ex officiorum collisione colligendam esse responsionem ad quaestionem, an obuius in casu cruenta defensio iustum habeat locum. Addamus principium, quod generatim eos determinat casus, in quibus cruenta defensio iustum locum non habet. Hocce principium est, quod sequitur: *Quoties damnum, quod imminet, est reparabile; toties defensio cruenta est iniusta, id est, legibus naturalibus repugnans.* Propositionem argumento, quod sequitur, corrobore. Quoties in collisione officiorum erga me & erga alios malum, quod mihi imminet, est minus malo, quod alteri imminet, toties illa in collisione officium erga alios praefendum est (§. 304. I. N.). Si damnum, quod mihi imminet, sit reparabile, malum illud, quod mihi imminet, minus erit morte alterius (§. 335. Cor. 1. I. N.). Ergo & ius naturae hoc in casu non permittit, vt nos cum interfectione aggressoris defendamus, id est, illo in casu defensio cruenta est iniusta. (§. 9.).

§. XXIV.

*Defensio
aduersus
innocentes
an locum
habeat*

Porro disputatur, an is, qui iure se defendit, ex iure illo defensionis innocentibus quoque iuste inferre possit mala. Affirmando respondendum esse censeo. Nobis enim competit ius per expletionem iuris, nimirum ex principio: *ius ad finem dat ius ad media sufficientia.* GROTIUS a) ea est in sententia, vt lex dilectionis, praesertim euangelica, quae alterum nobis aequat, plane id non permittat. Sed
Lex

lex illa dilectionis, *dilige proximum tuum, sicut te ipsum*, prohibet solummodo egoismum moralem, huius vero iniustitia non negat, certo in casu officia erga nos esse praeferenda.

a) I. B. & P. Lib. II. Cap. I. §. IV.

§. XXV.

Dicis, iure naturali quidem defensionem violentam, etiam cruentam certo in casu esse permissam, eam vero non permissam esse secundum doctrinam novi testamenti. Dicitur enim Matth. V, v. 39. : *ne obfistite improbo; sed qui te caedat in dextram tuam maxillam, obuerte ei & alteram. Et quae sunt reliqua.* Quid respondendum? Non nulli putant, loca illa non praecepta, sed tantum consilia continere; voluntatis autem non necessitatis esse, consilia, etiam si optima, sequi. Sed euoluas, quaeso, ideam consilii & facile perspicies, eam hoc loco non adcommodandam esse. Loca Scripturae sacrae, quae de iure defensionis agunt, nec consilia nec praecepta continent, sed interpretationem legum naturalium, quae defensionem violentam permittunt, docent, id, quod §. 3. & 4. demonstraui, a iure defensionis ad iustum bellum defensuum non valere consequentiam, & defensionem sanae rationi conuenientem non decidendam esse ex iure defensionis, sed ex officiorum collisione & ex legibus, quae egoismum prohibent moralem.

SCH. Ex hisce intelligi quoque potest, quid sentiendum sit de iis, quae a GROTIO l. c. Lib. II. Cap. I. §. 12. & 13. monita sunt.

§. XXVI.

Veniamus tandem ad quaestionem, an quis iuri defensionis, etiam cruentae, possit renunciare. Responsionem sume ex §. 13. obs. 36. Nimirum si talis obuius in casu adsit officiorum collisio, qua obligati sumus, ut officium erga nos praeferamus, renunciatio iuris defensionis non erit licita. Si vero talis adsit officiorum collisio, qua nostra in libertate positum, utrum officium erga nos, an officium erga alios

DARIES OBS. I. N. T. II.

Qq

• prae-

praeferre velimus, renunciatio illa erit permiffa. Si tandem talis adfit officiorum collifio, qua officium erga alios praeferendum, renunciationem illam inter debita noftra referre debemus.

OBSERVATIO LXIV.

AN BELLVM DEFENSIVVM SI SIT IVSTVM
REQVIRAT PERICVLVM PRAESENS.
QVOD IN SPECIE AD COMMODATVR
AD QVAESTIONEM
AN ARMA RECTE SVMANTVR AD IMMINVEN-
DAM POTENTIAM CRESCENTEM.

§. I.

*Ratio infli-
tuzi*

GROTIVS *a)* iuftam ad defenfionem periculum requirit praefens, & quali in puncto. In ftatu civili hoc concedo, quo periculum imminens quidem, fed non praefens propulfare poffumus implorato auxilio magistratus, qui potest iubere, cautionem praefari de non offendendo. Quo ad ftatum vero naturalem, de quo hoc loco fermo eft, accedo ad fententiam *T E S M A R I b)* naturam nimirum laxiorum dare potestatem refiftendi occurrendique periculis. Aduerfus inimicum, non modo ex iis, quae agit, fumendam effe defenfionem, verum etiam ex iis, quae cogitat, praefumendam, quoniam nifi quis fibi praecauerit prior, detrimentum accipiet. In verum huius rei fenfum eiusque veritatem inquituti fumus.

a) l. c. Lib. II. Cap. I. §. 5.

b) in not. ad l. c.

§. II.

*Periculum
praefens
& non
praefens
quid*

Huius rei cauffa primo quaeritur, quid fit periculum praefens, de quo hoc loco fermo eft. Periculum hoc loco fine dubio idem fignificat, quod damnum imminens, feu damnum quod vt aduenturum fumitur, aut cum certitudine aut cum probabilitate (§. 18, obf. 57.). Si damnum vt aduenturum cum certitudine aut cum probabilitate fumitur,

aut

aut ea iam constituta sunt, quorum effectus proximus, aut certus aut probabilis, est eius damna illatio, aut ea nondum constituta sunt. Si illud, periculum est *praesens*, & si hoc, *non praesens*.

SCH. Sic si vicinus non solum bellum manifesto patet, sed etiam variis in rebus hostilem aduersus nos animum ostendat, periculum nobis erit *praesens*.

§. III.

Ponamus ea existere, per quae existantia *causarum* probabilis est, quae nobis aut cum certitudine, aut cum probabilitate efficiant *damnum*; consequens erit, hocce *damnum* illis, quae posuimus, existensibus, nobis esse *imminens*. Propositio, quae ex propositione quadam probabili, legitime inferitur, est probabilis (§. 28. P. II. Log.). *Damnum*, de quo hoc loco sermo est, ut aduenturum sumitur ob *causam*, cuius existantia per ea, quae existunt, probabilis est. Hisce itaque existensibus *damnum* illud ut aduenturum cum probabilitate sumitur. Probabilitas haecce est licita (§. 6. obf. 57.). Ergo & *damnum* illud ut aduenturum cum probabilitate licita sumitur. Est itaque *damnum* imminens (§. 18. ff. obf. 58.).

Laeso
quando imminens licet periculum non sit praesens.

§. IV.

Colligimus inde *primo*, fieri posse, ut *damnum* sit imminens, licet periculum non sit *praesens* (§. 2.). *Secundo*, fieri posse, ut nobis per naturam competat ius defensionis, licet periculum non sit *praesens* (§. 3. obf. 63. & §. 2.). *Tertio*, exercitium iuris defensionis, quod nobis iis sub determinationibus, quas posuimus, competit, non esse laesionem (§. 7. obf. 63.).

Consuetaria

§. V.

Si bellum defensuum, quod *praesens* ob periculum geritur, sit iustum, iustum quoque erit bellum defensuum, quod eam ob *causam* geritur, quia periculum illud, licet non sit *praesens*, tamen ea, qua diximus, ratione est imminens. Quum enim bellum defensuum, quod *praesens* ob periculum geritur

Bellum
quando ob periculum non praesens iustum

tur sit iustum; sequitur, posito illo periculo, nobis per naturam non competere solum ius defensionis, sed & ius belli defensionis, id est, posito illo periculo, secundum ius naturae licitum esse, ut defensionem exerceamus violentam (§. 4. obs. 63.). Si periculum illud non quidem sit praesens, ea tamen, qua diximus, ratione imminens, nobis quoque per naturam competet ius defensionis (§. 4.), ea ratione determinatum, qua idem nobis competit, posito periculo illo praesente (§. 22. obs. 57.). Si itaque eo in casu, quo periculum, de quo quaestio est, praesens ponitur, bellum defensionis sit licitum, hocce quoque eo in casu erit licitum, quo periculum illud non praesens, ea tamen, qua diximus, ratione imminens est.

§. VI.

Dissentit
GROTIUS

Satis itaque, ut opinor, demonstrauius, per ea, quae secundum ius naturale iusta sunt, non fieri solum posse, ut nobis ius defensionis, sed & ius belli defensionis competat, posito periculo imminente quidem, sed non praesente (§. 3. ff.). Audiamus, quae GROTIUS in contrarium adduxit. *Fateor quidem, inquit a) si insultator arma arripiat, & quidem ita, ut appareat, eum id facere occidendi animo, occupari posse facinus, id est, praeveneri a passuro, ut aggressor prius laedatur: nam in moralibus, ubi de turpi & honesto agitur, ut & in naturalibus punctum non inuenitur sine aliqua latitudine: sed multum falluntur & fallunt, qui metum qualemque ad ius occupandae interfectionis admittunt. Vere enim dictum est a CICERONE, primo de officiis: plurimas iniurias & metu proficisci, cum is, qui nocere alteri cogitat, timet, ne nisi id fecerit, ipse aliquo afficiatur incommodo.*

a) l. c. s. V.

§. VII.

Respondetur

Sed primo distinguo bellum priuatum a publico. Si sermo sit de bello priuato, seu statu ciuili, ea, quae GROTIUS monuit, concedam. In statu enim ciuili ius defensionis violentae nobis non competere, si auxilium magistratus

tus implorari, ab eoque auxilium nobis praestari possit, suo demonstraturi sumus loco. Quoad bellum vero publicum, primo in naturam obuii metus, & deinde in constitutionali, quod ut imminens sumitur, inquirendum esse cenfeo. Metus oritur ex intuitu mali, quod ut aduenturum sumimus, idque aut cum certitudine vel probabilitate licita, vel sine eiusmodi probabilitate. Posito hoc, metus erit vanus, & damnum non imminens (§. 18. obs. 57.). Ergo nec ius defensionis, nec ius belli defensionis locum habebit. (§. 3. 4. obs. 63.). Posito illo, metus erit fundatus, laesioque imminens (§. 3.). Ergo & nobis ius defensionis competet (§. 2. obs. 63.). Hoc posito, damnum, quod illa ex laesione imminet, aut erit tale, quo praesente bellum defensionis iustum est, aut non. Si hoc, licitum quoque non erit, illo ex metu bellum gerere defensionis. Huc pertinet, quod dicunt: *sapientis non esse, futuri mali metu in praesentem & manifestum se dare perniciem.* Si illud, metus ille omnino ad ius occupandae defensionis, etiam, si circumstantiae illud permetterent, interfectionis erit admittendus (§. 5.). Periculum quidem non est praefens, hoc tamen non impedit, quo minus quis securitati suae prospiciat, caueatque, ne metus ille in exitium aliquando erumpat.

§. VIII.

Haec, quae diximus, ad commodaturi sumus ad illam *Adcommodatur ad* questionem: *an arma recte sumantur ad imminuendam potentiam crescentem, quae nimirum aucta nocere potest.* Sunt, qui affirmant. Sunt, qui negant. Ad affirmatiuam accedo. *potentiam crescentem* *Primo* huius rationem, & deinde argumenta, quae in contrarium adducuntur, euolaturi sumus.

§. IX.

Haec plerumque est mortalium conditio, ut semper *Vicinum potentiore* tendant ad altiora. Id est, quod ipsa confirmat historia & *habere est periculosum* priuatorum & gentium fata enumerans. Hoc posito, sumere licet, velle in nobis dominari, qui hoc facere potest. Sed potest, si potentia eius eousque aucta, ut vires nostrae ad *resisten-*

resistendum non sufficient. *Vicinum itaque nobis potentio- rem habere & priuatim & publice periculosum est.*

§. X.

Ergo poten-
tia crescens
dat da-
mnum im-
minens

Quae cum ita sint, manifestum est, *damnum genti esse imminens, si alterius potentia eousque cresceret, ut post haec euaderet insuperabilis.* Crescat potentia illa, ea, qua diximus, ratione, & tale sit existens, per quod existentia causarum probabilis est, quae impotentiori genti aut cum certitudine, aut cum probabilitate efficiunt damnum (§. 9.). Crescens itaque illa potentia genti, quae inde fit impotentior, est laesio imminens (§. 3.).

§. XI.

Ergo ius de-
fendendi se-
curitatem,

Nobis per naturam competit ius nostrae securitati prospiciendi. Ergo & ad media, quae ad securitatem nostram conseruandam sufficient. Ergo & ius arma sumendi ad imminuendam potentiam crescentem, quae nimium aucta nocere posset. (§. 10. 4. 5.). Bellum hocce erit defensuum, quo defendimus securitatem nostram.

§. XII.

Confirmat
praxis gen-
tium

Idem confirmat praxis Gentium. Nam, inquit T E S M A R V S a) Lacedaemonii bellum gerunt ad infringendam potentiam Atheniensium. Referente Thycidide: *Decrev- runt Lacedaemonii, rupta esse foedera & bellum gerendum esse, non tam inducti sociorum verbis, quam metu, ne Athenienses potentiores fierent.*

a) in not. ad GROTIUM l. c. §. 17. Plura hac de re vide B. L E H M A N N V M in Tr. Trutina, vulgo Biloux, Europae, norma belli pacis- que, haenus a summis Imperantibus habita. G V N D L I N G I I Diss. de statu naturali. H O B B E S I I Cap. VIII. R E C H E N S B E R G. Diss. an monarchia uniuersalis in Europa sit expectanda. & III. K A R L I I commentatio de Trutina Europae praecipua belli & pacis nor- ma. Quae est: tertium, quod Tom. I. opuscul. exstat.

§. XIII.

Argumenta
GROTII

His praemissis responsuri sumus ad argumenta dissen- tientium. GROTII a) argumentum erit, quod sequitur: Si duplex

duplex adhuc praeter bellum superfit remedium, nos contra metum muniendi, ius naturae eiusmodi metum ad ius occupandae violentae defensionis non admitter. Sed duplex adhuc superest remedium: *primum*, resignando euentum rerum futurarum prouidentiae diuinae, *alterum*, prospiciendo, cauendoque, ne incautus obruar: pangendo cum aliis foedera, conscribendo exercitum, muniendo castella, mittendo legatos, qui explorent auertantque periculosa consilia, ita denique praeparando, quasi certum iam instet bellum. Aduersus ergo tales metus a diuina prouidentia, & ab innoxia cautione, non a vi praesidium petendum est.

*ad thesin
oppos. cor-
rob.*

a) l. c. s. XVII.

§. XIV.

Respondeo. *Primo* nego consequentiam propositionis, quae est fundamentalis. Hoc enim solummodo sequitur, eo in casu, quo alia remedia, praeter bellum, super sunt, nobis non competere ius belli. Hocce vero principium non in obuio solum, quem posuimus casu, sed in omni, quo quaestio de bello gerendo mouetur, locum habere, supra demonstraui. *Deinde* concedo, partium nostrarum esse euentum rerum futurarum prouidentiae diuinae resignare, sed a nobis quoque adhibenda esse media a Deo nobis praescripta, id quod regula a Deo posita docet: *ora & labora*. Haec itaque quaestio prius poni debet: estne bellum inter ea referendum media, quae Deus obuio in casu aut expresse aut tacite, iure nimirum naturali, nobis praescripsit? Latet itaque illa in argumentatione petitio, ut Logici dicunt, principii. *Tandem* quod alterum attingit medium, concedo bellum defensiuum in eo, quem posuimus, casu illicitum esse, si tale medium sufficiat. Sed quid iustum, si eiusmodi medii euentus sit incertus, & si periculum in mora. Salua itaque manet nostra thesis, quae vulgo hobbesiana vocatur.

*Ad quae re-
spondetur*

§. XV.

Alii argumentantur: Nullum bellum est iustum sine iniuria. Ast qui iure suo vsus fit potentior, nemini facit iniuriam.

*Aliorum
argumenta
riam.*

riam. Ergo nec potentia alterius crescens alteri dat ius belli. Addunt, distinguendum tamen esse inter potentiam iuste atque iniuste adquisitam. Argumentum illud solum valere in casu priori. Posteriori vero ius bellum gerendi nobis competere.

§. XVI.

Responso

Respondeo. *Primo*, distinctio, quae formatur, huc non pertinet. Qui enim potentiam iniuste sibi adquisivit, is nos laedit. Bellum itaque non ob laesionem imminentem, sed ob illatam gerimus. *Secundo*, quod argumentum, quo vsi sunt, attinet, nego maiorem. Ius enim belli defensionis, quod nobis per naturam competit, non semper est delictorum seu iniuriae consequens; competere illud nobis potest per expletionem iuris, quo securitati nostrae possumus prospicere.

§. XVII.

Argumentum BOEHMERI

Reliquorum, qui dissentiunt, interpretes sit B. BOEHMERVS. Qui hac de re ea, quae sequitur, ratione, argumentatus est a). Arbitrium, an bellum sit suscipiendum, est penes imperantem, ex iure naturae tamen ita moderandum, ut bellum securitatis publicae stabiliendae, non tollendae gratia, suscipiatur. Hoc intuitu, iusta belli causa non est, si vicinae reipublicae potentia nimis crescat. Neque enim statim constat, quod respublica vicina, si vel maxime possit, alteram velit opprimere. Equidem *in ista mortalibus natura recentem aliorum felicitatem aegris oculis intraspicere, modumque fortunae a nullis magis exigere, quam quos in aequo videre*, ut philosophatur TACITVS. At sola invidia & metus inde ortus ius per se in alterum non tribuit. Sunt adhuc media securitati suae & reipublicae prospiciendi, absque omni iniuria & oppressione eius, cuius potentiam metuimus. Si rempublicam iudaicam in exemplum adsumimus, certe constat, eandem tot potentissimis regnis vndequaue fuisse circumseptam, ut mirari liceat, quod se tam diu contra vicinam potentiam conseruauerit, praesertim cum vi bellica terram Cananaeam occupasset, & inde vicini

cini populi exemplo Cananaeorum territi, iustam belli causam habuisse videri potuissent. Sed praesidium suum a Dei providentia petebat, qua discedente, mox finitimis populis praedae fieri incipiebat. Attamen ad infringendam alterius potentiam concessum est, foedus cum aliis gentibus inire, & moto contra unum bello, arma ex lege foederis potentiori opponere, & ita per indirectum bellum erit iustum. Nunquam prohibitum est foedus inire cum gente vicina, ut sibi quis prospiciat; sed absque vlla causa potentiorum armis aggredi, rationi non est conveniens. Qui *Hobbesianis* fauent, non possunt non quoque tale bellum approbare, cum in statu naturali quilibet arbitrari debeat, quid potissimum ad conseruationem sui respiciat. Praesertim cum secundum haec principia praeterea supponendum sit, hominem, qui potest nocere, statim etiam nocere velle. Quod si tamen semel pax per pactum cum vicina gente inita sit, ipse

H O B B E S ob quemuis metum non vult a pactis recedendum esse. Nam, inquit, b) nisi causa metus noua existat, ex facto vel alio signo voluntatis non praestandi a parte altera, metus iustus censeretur non potest.

a) *Introduct. in I. publ. vniuers. P. Spec. Lib. II. Cap. I. §. VIII. IX.*

b) *de Ciue Cap. II. §. XI. in not.*

§. XVIII.

Perspicue ad respondendum necesse erit, ut casus, qui illa in argumentatione obueniunt, & ea, quae inde illata, distinguantur. Fiat id ea, quae sequitur, ratione. Is, cuius potentia crescit, aut inimicus noster est, aut inter inimicos nostros non potest referri. Si prius, potentia eius nimium aucta crescens fit hostis (§. 368. I. N.), ideoque ad imminuendam illam potentiam nobis per naturam competit ius belli. Si posterius, aut alia, praeter bellum, supersunt media, quibus securitati nostrae prospicere possumus, aut alia non supersunt. Nec in illo, nec in hocce casu bellum est licitum. Non in illo, quia media bellica tunc demum iustum inueniunt locum, si alia cessent. Non in hoc, quia

D A R I E S O B S. I. N. T. II.

R r

eius-

eiusmodi bellum est effectus inuidiae, atque vani metus, sed & illa & hic rationi non est conueniens.

§. XIX.

Et respon-
detur

Iam respondeo. Primum atque secundum argumentationis membrum, & quae inde illata sunt, concedo. Quod vero vltimum attinet, *primo* concedo, inuidiam esse rationi repugnantem, nego vero eiusmodi bellum esse inuidiae effectum; geritur enim non ad alios laedendos, sed ad suae securitati prospiciendum. *Secundo* nego, metum illum esse vanum. Vanus est, quatenus res spectatur in abstracto. Nuda certe alterius fortuna atque crescens potentia nobis non est periculosa. Vanus vero non est, quatenus res spectatur in concreto. (§. 9.). Notes, quaeso, quae hac de re egregie monuit Ill. K A H L a), verbis, quae sequuntur: „Abripiuntur plerumque homines adfectuum impetu, (Huc „certissime pertinet: *plus ultra*), & quaelibet gens in statu „naturali consideranda est tanquam hostis alterius, vel ho- „stiles gerit spiritus; qui enim propensos ad pacem esse mor- „tales, vel quemlibet populum alterius amicitias fluctibus, „& emolumentis, & vtilitatibus colere, existimat, is egre- „gie fallitur; ac tam experientiae repugnat, quam ignarus „est omnium rerum. Licet enim amore complecti debeamus omnes homines, & iura rationis id ipsum praefiniant; „constat tamen, consuetudinem aduersam inualuisse, & in „primis haec verba dudum firmata esse:

Nam si violandum est ius, regnandi gratia violandum est, aliis rebus pietatem colas.

Et quae sunt reliqua.

a) l. c. §. VI.

OBSERVATIO LXV.

DE

BELLO REPARATIVO.

§. I.

Ratio infl-
tu

Quae de iure defensionis belloque defensiuo §. 2. obs. 63. monuimus, hoc quoque loco repetenda sunt. Nimirum ius postulandi praestationem damni, a iusto bello reparatio

paratio distinguendum esse, quia bello reparatio ius postulandi praestationem damni ducimus ad actum (§. 16. obs. 62.), ideoque ius postulandi praestationem damni nobis potest competere, licet eiusmodi iuris exercitium non sit licitum. Qua ex causa hoc quoque loco quaestio de iure postulandi praestationem damni a quaestione de iusto bello reparatio distingui debet.

§. II.

Primo quaeritur: *quando nobis secundum ius naturae competat ius postulandi praestationem damni?* Notandum est, hoc loco sermonem esse de iure cogendi. Hoc posito, respondendo, ius illud nobis per naturam competere, si damnum nobis sit illatum, & media persuasoria non sufficiant ad damni praestationem obtinendam (§. 6. obs. 58.).

Quando nobis ius damni praestationem postulandi

§. III.

Secundo quaeritur: *quando nobis secundum ius naturae competat ius belli reparativi; id est, quando secundum ius naturae licitum sit, ut damni praestationem cum coactione postulemus?* Qui damni praestationem cum coactione postulat, is alteri infert mala, ideoque, quatenus res in se spectatur, officia erga alios violat. Quare, quum eiusmodi officiorum violatio secundum ius naturae non sit licita, nisi ob collisionem officiorum erga nos & erga alios sit permessa; manifestum est, huius quoque quaestionis decisionem ab iis dependere, quae obs. 29. de legum naturalium collisione, obs. 50. de egoismo morali, & obs. 51. de statu necessitatis demonstraui.

& quando ius belli reparativi competat

§. IV.

Sequitur inde regula generalis, ex qua fluit responsio ad quaestionem, an posito iure postulandi praestationem damni obui in casu bellum reparatum sit illicitum: *nimirum si damnum, quod sentimus, sit malum minus malo, bello reparatio turbatori inferendo, bellum reparatum erit illicitum.* Etenim ea in officiorum collisione, qua officia erga

bellum reparatum quando posito iure non licitum.

alios praeferenda, licitum non est, ut alteris inferamus mala (quod per se patet). Sed ea in collisione, qua malum, quod nos sentimus, sit minus malo, quod alter ex eo sentiet, quia ad remouendum illud malum cogitur, officia erga alios praeferenda sunt (§. 304. I. N.). Ergo & illa in collisione non licitum est, ut alteris inferamus mala. In eo itaque, quem posuimus, casu bellum reparatiuum non erit licitum.

SCH. Bene itaque monuit GROTIUS a) relinquendas esse istas res, quibus nos facilius, quam turbatores, careamus.

a) I. B. & P. Lib. III. Cap. XIII. §. IV.

§. V.

*Responso
ad obie-
ctionem*

Hoc non dictum est pro dolo. In capite enim de praestando damno non est sermo de dolo turbatoris, sed de turbatione. (§. 12. obl. § 8.). Si nos dolose agendo turbauerit, nobis duplex competet ius, & ius postulandi praestationem damni, & ius puniendi. Hoc vero non bello reparatiuo, sed punitiuo exercemus, de quo suo loco erit dicendum.

§. VI.

*bellum illud
si non lici-
tum an las-
sio*

Solet & illud quaeri: an exercitium iuris postulandi praestationem damni eo in casu, quo bellum reparatiuum secundum ius naturae non sit licitum, sit laeso turbatoris. Iterum negando respondendum esse censeo. Ratio huius patet ex regula satis probata: Qui iure suo utitur, neminem laedit (§. 336. I. N.).

§. VII.

*Termino-
rum huius
belli regula
prima*

Plura hoc loco facile ex iis inferri possunt, quae obl. § 8. de damni praestatione demonstraui. Addamus quaedam attentione digna. Primo de iustis eiusmodi belli terminis. Hos ad determinandos pono regulas, quae sequuntur. *Regula prima: Si nobis competat ius postulandi praestationem damni cum coactione, nobis quoque competet ius ad omnia, quae ad finem consequendum necessaria.* Ea enim, quae ad finem ducunt, aestimationem moralem accipiunt ab ipso

ipso fine. Quare quae ad finem iuris consequendi sunt necessaria, ad ea ius quoque habemus (§. 5. obs. 37.).

SCH. Nemini v. g. possum in statu ciuili aequae ac naturali suum detinere, Et tamen, si mihi alter aliquid debet, & periculum imminet, ut soluendo sit, tunc gaudeo iure retentionis. Cur? quia finis hoc casu id exigit, qui est, ut meum consequar a).

a) Conf. GROTIVS I. B. & P. Lib. III. Cap. I. §. IX.

§. VIII.

Sequitur inde regula secunda: *ius, quod nobis in bello reparatio, quod iustum est, competit, non ex solo damno, cuius praestatiorem postulamus, sed & ex causis subnascentibus merendum est.* Regula secunda Quam enim in eiusmodi bello nobis competat ius ad omnia, quae ad praestatiorem damni consequendam sunt necessaria (§. 7.); sequitur, in eiusmodi bello nobis quoque competere ius omnia vi remouendi, quae in consequendo fine nobis ponuntur impedimenta. Ius itaque, quod nobis in bello illo competit, non ex solo damno, cuius praestatiorem postulamus, sed & ex causis subnascentibus merendum est.

§. IX.

Ex quo colligimus, fieri posse ut occasione belli reparati- Ex bello re-
ut iustum nascatur defensuum. Ponamus enim alterum offen- par. quo-
 dere conatum eum, cum quo bellum reparatiuum gerimus, modo na-
 iuandi; consequens erit, illum conatum ostendere, nobis scatur de-
 in consequendo iure nostro ponendi impedimenta. Huius fersuum
 itaque respectu nobis adest damnum imminens (§. 22. obs. 77.), ideoque ius defensionis violentae (§. 3. obs. 63. & §. 8.).

§. X.

Patet inde, quae ex causa nobis competere possit ius, Conclusio
 durante bello reparatiuo, etiam bona aliorum, qui non sunt prima
 causa damni illati, cuius praestatiorem postulamus, inter-
 cipiendi, nimirum ex iure defensionis violentae. Sic v. g.
 ex iure defensionis intercipiuntur res bello necessariae, & quae

Rr 3

hostem

hostem fortiorem reddere possunt, quas alter hosti, cum quo bellum reparatiuum gerimus, subministrare cupit.

SCH. Intercipiuntur sub nomine *contrabande*.

§. XI.

secundo

Porro ex regulis illis legitime sequitur, in bello reparatiuo nobis quoque competere ius plus accipiendi, quam ad damni praestationem necessarium, si tantumdem accipi non potest, sub obligatione tamen restituendi pretium eius, quod redundat. Primum patet ex §. 7. & 8. & alterum ex §. 342. & §. 333. I. N.

§. XII.

*damnum
impensis &
sumptibus
bellicis au-
getur*

Addamus alterum, damnum nimirum, ad quod praestandum res turbatoris bello reparatiuo occupare possumus. Hunc in finem primo pono thesin, quae sequitur. *Quantitas damni illati augetur impensis atque sumptibus bellicis ratione eius, qui ex iure suo bellum gessit reparatiuum.* Veritatem huius ea, quae sequitur, ratione probo. Qui ex iure suo bellum gerit reparatiuum, is non ab altero solum laesus est, sed & in laedente est ratio, cur se ad bellum gerendum determinauerit (§. 2.). Impensae itaque atque sumptus bellici sunt bonorum defectus, cuius ratio est in turbatione ab altero sine iure facta (§. 1. obs. 55.). Ideoque non inter damna solum referenda sunt (§. 4. obs. 56.), sed & damni illati, quod belli reparatiui fuit causa, quantitatem augent (§. 8. ff. obs. cit.).

§. XIII.

*Inde est vel
principale
vel accesso-
rium*

Qui est causa damni, quod alter sentit, is *damnum* praestare debet (§. 9. obs. 58.). Duplex itaque est eius, cum quo alter iustum gerit bellum reparatiuum, debitum. Alterum *principale*, quod est eiusmodi belli causa. Alterum *accessorium*, quod impensis atque sumptibus bellicis constituitur.

§. XIV.

*Ergo & il-
lud & hoc
spectare de-*

Colligimus inde, eum, qui iustum gerit bellum reparatiuum, non habere solum ius postulandi, ut alter debitum prin-

principale, sed & vt accessorium soluat, id est, vt impensas atque sumtus bellicos restituat. Quum enim in eiusmodi bello nobis competat ius, turbatorem cogendi, vt omne praestet, quod ob turbationem illam nobis praestare debet (§. 7. & 8.); ab hocce vero non debitum solum principale, sed & accessorium soluendum sit (§. 13.): sequitur eum, qui iustum gerit bellum reparatum, non habere solum ius postulandi praestationem debiti principalis, sed & accessorii.

bet terminos belli reparatiui de-feruntur.

SCH. Hac ex causa a non-nullis dicitur, capta in bello non compensari cum debito principali. Quod, vt GROTIUS a) monuit, intelligendum, vsque dum secundum sanum iudicium satisfactum sit de eo damno, quod in ipso bello datum est, id est, vsque dum impensae atque sumtus bellici sint restituti.

a) I. B. & P. Lib. III. Cap. XIII. §. 3.

OBSERVATIO LXVI.

DE
BELLO PVNITIVO.

§. I.

Perduxit nos ordo ad bellum punitium, cuius ratione maior difficultas esse videtur, quam ratione belli reparatiui. Quaeritur: an ius puniendi descendat ex iure naturali. Et deinde: an in statu naturali, vbi non est superior, ad puniendum iuste possit suscipi bellum.

Ratio iniusti

§. II.

Quod primum attinet, qui GROTIUM sequuntur, affirmant, qui PVFENDORFIUM, negant. Primo meam hac de re sententiam demonstrabo, deinde in argumenta & GROTTII & PVFENDORFII inquisiturus. Quoad rem ipsam cum BARBEYRACO, LOCKIO aliisque transeo in castra GROTTII, iusque puniendi non ex superioritate solum, sed & ex iure naturali descendere defendo, non auctoritate, sed argumentis motus. *Primo thesin demonstrabo, deinde sub-*

In determinando iure puniendi tria distinguenda sunt

subiecta & tandem delicta determinabo, quorum ratione nobis ius puniendi per naturam competit.

§. III.

*Fundamen-
tuum huius
est obliga-
tio natura-
lis*

Ius puniendi iis quoque posse competere, qui imperii superioritatem non habent, supra §. 10. obf. 25. satis, ut opinor, demonstratum est. Res quo fiat perspicuor hoc loco demonstrabo: *ius puniendi descendit ex obligatione naturali qua homo, qua homo, homini, qua homini, obstrictus est.* Argumentum, quod thesin probat, est quod sequitur: Cui libet homini per obligationem naturalem incumbit cura pro salute societatis humanae atque hominum. (§. 300. & 304. I. N.). Posita obligatione ponitur ius (§. 3. ff. obf. 36.). Cui libet itaque homini, qua homini, per obligationem naturalem, qua hominibus obstrictus est, competit ius ad ea facienda, quae ad aliorum perfectiones conservandas atque augendas sunt necessaria. Qui leges naturales moraliter agendo violant, se imperfectiores reddunt. (§. 145. I. N.). Cui libet itaque homini, qua homini, per obligationem naturalem competit ius ea agendi ratione, qua aliorum conatus leges naturales violandi potest infringi. Quare, quum inter media illa merito poenae referantur (§. 25. obf. 25.), & quum ius ad finem det ius ad media sufficientia; manifestum est, cui libet homini, qua homini, per obligationem naturalem competere ius legum naturalium violatores puniendi, si alia media non sufficiant ad conatus aliorum leges naturales violandi infringendos. Ius itaque puniendi ex obligatione naturali, qua homo, qua homo, homini, qua homini, obstrictus est, descendit.

§. IV.

*Ergo nobis
competit
per exple-
tionem iuris*

Colligimus inde, ius puniendi, quatenus res secundum naturam spectatur, homini non ob superioritatem solum imperii, sed & per expletionem iuris competere.

SCH. Idem est, quod praxis gentium confirmat. Illustrari res potest actionibus poenalibus, quibus Romani usi sunt. Qui actionem instituit, is ius suum auctoritate magistratus

stratus persequi cupit. Actione itaque poenali priuatus laesus ius suum puniendi magistratus auctoritate persequutus est. Eo itaque in casu, quo actio poenalis locum habuit, laeso priuato a Romanis concessum est ius puniendi, ipso ergo facto eam, quam probauimus, corroborarunt thesin.

§. V.

Determinetur porro subiectum, cuius ratione nobis per naturam competit ius puniendi. Huius ratione pono thesin, quae sequitur: *Per ius naturae non possibile solum est, ut nobis competat ius eum puniendi, qui delictum contra nos commisit, sed per naturam nobis quoque competere potest ius eos puniendi, qui officia erga se ipsum & officia erga alios violarunt.* Posita enim ratione, per quam nobis ius aliquod competit, ius illud quoque poni debet. Euoluas rationem, per quam nobis secundum ius naturae competere potest ius puniendi (vid. dem. §. 3.), & facile perspicias, eam esse obligationem, qua ipsa natura nos obstringit, ad ea facienda, quae ad aliorum perfectiones conseruandas atque augendas sunt necessaria. Ius itaque illud puniendi non ex obligatione solum naturali, quae nos ad officia erga nos, sed & ex obligatione, quae nos ad officia erga alios ducit, descendit. Nobis itaque per naturam non competere solum potest ius eum puniendi, qui delictum contra nos commisit, sed & eum, qui officia erga se ipsum & erga alios violauit.

*Subiectum
cuius ratio-
ne nobis ta-
le ius per
naturam
competit*

§. VI.

Tertio quaeritur de delictis, quae iuri puniendi secundum ius naturae faciunt locum. Huius rei ratione eam, quae sequitur, pono regulam: *Delictum, cuius ratione nobis secundum ius naturae ius puniendi competit, tale esse debet, cuius consummatio mediis coactiuis potest impediri.* Quum enim cessante fine id quoque cessare debeat, cuius est finis; sequitur, ius puniendi eo in casu cessare, in quo finis poenae plane impossibilis est. Sed finis poenae, iustae nimirum, de qua hac loco est sermo, est, mediis coactiuis impedire deli-

*Delictum
cuius ratio-
ne ius puniendi per
naturam
datur*

storum consummationem (§. 25. ff. obl. 25. & §. 8. obl. 40.) Ergo delictum, cuius ratione nobis secundum ius naturae ius puniendi competit, tale esse debet, cuius consummatio medijs coactiuis impediri potest.

SCII. Fluit hoc ex principio responsio ad quaestionem, an veritatis cognitio sit obiectum, cuius ratione ius puniendi locum habere potest.

§. VII.

• *Bellum punitivum quando licitum*

Haec de iure puniendi, sequitur bellum punitivum. Manifestum est ex iis, quae posuimus §. 2. obl. 63. & §. 1. obl. 65. ius cogendi nobis posse competere, licet non habeamus ius belli, id est, licet secundum ius naturae non sit licitum, ut ius illud cogendi exerceamus. Ergo & ex eo, quod nobis competat ius puniendi, non sequitur, bellum punitivum secundum ius naturae esse licitum. Demonstravimus, quando nobis secundum ius naturae competat ius puniendi. Ergo & haec poni debet quaestio: *quando secundum ius naturae licitum sit bellum punitivum.* Iuris naturalis est, ut perfectionibus convenienter viamur (§. 1. obl. 33.). Ergo ut in collisione malorum malum minus praeferramus. His praemissis, facile erit respondere ad quaestionem, quam posuimus. Qui iustum gerit bellum punitivum, is alteri infert mala (§. 119. I. N.) ad consummationem delictorum impediendam (§. 6.). Eiusmodi illatio mali aut maiora in uniuerso efficit mala, quam ipsa delicti consummatio, aut non maiora in uniuerso efficit mala. Si illud, bellum punitivum iure naturali non erit permissum, si hoc, erit licitum. (§. 3. obl. 36. & §. 15. obl. 62.).

§. VIII.

• *Et quando cum alio bello coniungendum*

Iuste fieri potest, ut bellum punitivum cum bello defensivo, fieri quoque potest, ut cum bello reparativo coniungatur. Qui bellum defensivum gerit, is alteri infert mala ad removendum damnum imminens (§. 3. ff. obl. 63.). Actus, quo quis alteri ponit damnum imminens, non semper est vitiosus, talis tamen esse potest. Posito hoc, actus ille duas habet qualitates,

tates, est delictum & futura illatio damni. Ex illa descendit ius puniendi (§. 3.). Et ex hac ius defensionis (§. 3. obf. 63.). Fieri itaque potest, vt iustum bellum punitiuum cum bello defensiuo coniungatur (§. 15. & 16. obf. 62.). Porro, qui bellum reparatiuum gerit, is causam damni illati ad praestandum damnum cogit (§. 2. ff. obf. 65.). Sed & hic actus, quo quis damnum re ipsa intulit, licet non semper sit vitiosus, vitiosus tamen esse potest. Ergo & hoc posito duas habet qualitates, est vitiosus, & actus, quo damnum re ipsa illatum. Ex illa descendit ius puniendi (§. 3.), & ex hac ius postulandi praestationem damni (§. 2. obf. 65.). Ergo & hoc manifestum est, fieri posse, vt iustum bellum punitiuum cum reparatiuo coniungatur (§. 15. & 16. obf. 62.).

SCH. Hoc bene notandum est, si quis ad quaestionem, an obuiio in bello termini iusti belli violati sint, respondeat.

§. IX.

Haec est mea de iure puniendi belloque punitiuo sententia, breuiter, satis tamen, vt opinor, euoluta atque demonstrata. Consentit GROTIUS *haec de re sententia monitum primum* a). Duo tamen hac de re minus accurate posuit. Primum est fundamentum, ex quo hocce ius puniendi deduxit, & alterum est tritissima regula: *nocentem non debere iudicari ab aequae nocente. b)*. Fundamentum iuris in eo ponit, quia is, qui male egit, eo ipso quasi ex hominum censu detrussisse in censum bestiarum, quae homini subiacent. Hoc si verum, iurisque puniendi fundamentum sit, ipse GROTIUS concedere debet, eiusmodi ius descendere ex superioritate imperii. Sed hoc ipse negauit. Necessesse quoque non est, vt ad talem confugiamus fictionem. Legitime enim thesis illa ex veris fuit principijs. Id quod demonstraui §. 3.

a) *I. B. & P. Lib. II. Cap. XX. §. III. & IX-XII.*

b) *vid. SENECA de ira Lib. I. Cap. XV.*

§. X.

Alteram propositionem, nocentem nimirum non habere ius aequae nocentem puniendi, merito nego. Manente

te enim ratione, quae ius aliquod determinat, manebit quoque ius illud. Iam vero aequae nocens ea hominibus obstrictus manebit obligatione, ex qua ius puniendi descendit. Ergo & nocenti manebit ius aequae nocentem puniendi. Sumas thesin, quam GROTIUS posuit, & concedes, magistratui vitioso non competere ius delicta puniendi. Dicis ex regulis iusti eiusmodi magistratum habere ius puniendi, sed non ex regulis honesti. Sed & hoc nego. Non enim peccat vitiosus magistratus, quod punit, sed peccat, dum ipse similia committit. Haec determinant verum sensum verborum SERVATORIS & PAULI a GROTIO allegatorum: Servatoris Ioh. VIII, 7.: *Qui vestrum sine peccato est, primum lapidem mittat*, & Pauli Rom. XI, 22.: *Quapropter inexcusabilis es, o homo, quisquis alium damnas: nam hoc ipso, quod damnas alterum, te ipsum condemnas, quando eundem facis tu, qui alterum damnas.*

§. XI.

*Primum
dissentien-
tium argu-
mentum*

Audiamus dissentientes, qui ius puniendi solummodo ex superioritate imperii descendere putant. Horum interpres sit PVFENDORF. Sic ille a) „Fixum nobis sedet, potestatem poenas sumendi esse partem imperii, adeoque neminem posse poenam proprie dictam alteri imponere, nisi qui in ipsum imperium habet. Licet enim, posita hominum malitia & ad alios laedendos proclivitate, ad conferendam inter homines socialitatem necessum sit poenas exerceri; quilibet autem actiones suas ad socialitatem, tantumquam bonum vniuersi generis humani, referre debet: tamen non sequitur, singulos debere quoslibet actus ad socialitatem facientes exercere, qui scilicet utiliter exerceri nequeunt, nisi positis certis requisitis. Sicuti & imperio inter homines opus est, nec tamen quilibet in quoslibet illud exercere potest aut debet.“

a) I. N. & G. Lib. VIII, Cap. III. s. VII.

§. XII.

*ad quod
respondetur,*

Ea, quae PVFENDORF monuit, diligenter considerans, facile perspiciet, primo principia, ex quibus argumentatur, nostram

nostram de origine iuris puniendi sententiam corroborare, *deinde* ea, quae in contrarium adduxit, non esse regulas iusti, sed prudentiae. Primum, ea, quae sequitur, ratione probo: Sumit, posita hominum malitia & ad alios laedendos procliuitate, ad conseruandam inter homines socialitatem necessum esse, poenas exerceri, & quemlibet actiones suas ad socialitatem, tanquam bonum vniuersi generis humani, referre debere. Estne hoc idem, ac omnes homines per naturam obligatos esse ad ea facienda, quae ad conseruandas aliorum perfectiones, easque augendas, necessaria sunt, ideoque posita hominum malitia & ad alios laedendos procliuitate, illa ex obligatione ius puniendi descendere? Quoad *alterum*, prudentiae conuenientius esse, singulis eiusmodi iuris exercitium non relinquere, sed hoc in quosdam transferre, hoc non negamus, sed quid inde? Necessitas illa atque obligatio, de quibus sermonem fecit, locum quoque habet in statu naturali. Ex necessitate illa atque obligatione deduxit ius puniendi. Sed quis est in statu naturali superior? Ipse itaque PVFENDORF ob principia, quae sumit, ea concedere debet, quae impugnauit.

§. XIII.

Deinde, *pergit*, non omne malum, quod ob antegres- Alterum ar-
gumentum
& responso sum peccatum inferitur, poena est; sed quod antea denunciatum, & post cognitionem delicti fuit impositum. *Respon-
deo*. Primo hoc vniuersaliter verum esse nego, rationem huius vide §. 10. & 12. obs. 40. Deinde argumentum, quod in dictis latet, hoc est: Qui poenas sancire potest, ei solummodo jus est illas infligendi. Atqui prius potest solus superior. Ergo & posterius. Sed nego minorem. Est petitio, vt logici dicunt, principii. Ius sanciendo poenas secundum regulas iustitiae est consequens iuris puniendi.

§. XIV.

Adeoque, *pergit*, a poenarum censu excluduntur mala Responso ad
tertium per modum belli illata, licet & ipsa cautionem de non accipiendis in posterum iniuriis efficiant. *Respondeo*, hoc
Ss 3 verum

verum esse, si sermo sit de bello reparatiuo vel defensiuo, sed falsum, si sermo sit de bello punitiuo, cuius iniustitia nondum probata.

§. XV.

quartum

Nam, *pergit*, in bello cautionem sibi quisque propriis viribus, et proprio ex arbitrio procurat: per poenas laesis cautio per vires, & ex iudicio superioris procuratur. *Respondeo*, iterum est petitio principii. *Porro*: vt bello aliquis coerceatur directe, interest dundaxat eius, qui fuit laesus. *Respondeo*, hoc verum esse in bello reparatiuo & defensiuo, falsum in bello punitiuo. Sed, *pergit*, vt potius quis castigetur, non huius tantum interest, sed & totius ciuitatis. *Respondeo*: hoc verum est, & a nobis §. 5. demonstrarum, sed inde non sequitur sententiae nostrae de iuris puniendi origine repugnans.

§. XVI.

et vltimum

Sic, *tandem*, an bello quis iniurias exequi velit, in arbitrio laesi est: sed an poena sit exigenda, in superioris est potestate, qui etiam isto deprecante eandem potest exigere. Denique poenae quantitas ante delictum regulariter definita est, cautio bellica pro conditione status nostri & hostium sumitur. *Respondeo*: primum iterum esse petitionem principii, an poena sit exigenda, id est in potestate eius, qui ius puniendi habet. Alterum, quod de poena docet, non esse vniuersaliter verum, quod ipse concedit, dum dicit *regulariter*. Rationem responsionis exhibet §. 10. obs. 4c.

§. XVII.

Vfus quaestio-
nis doce-
t ut

Fortasse dixerit quispiam, nos viuere in ciuitate, & posita ciuitate ius puniendi in reges translatum esse, ergo disputationem de origine iuris puniendi ex obligatione naturali hodie esse inanem. Sed concedo antecedens, nego vero consequentiam. Vsum haecce disputatio praestat *primo* in quaestione: vtrum constituta ciuitate ius puniendi, an exercitium huius iuris a ciuibus in regem sit translatum? *secundo* in quaestione: an genti comperat ius gentem ob delicta aut contra illam, aut contra se ipsam,

ipsam, aut contra alios commissâ puniendi. *Tertio* in quaestione, quo ex fundamento pars ciuium maior in ciuitate democratica habeat ius partem minorem, quae leges ciuitatis violauit, puniendi. Et quae sunt reliquae.

§. XVIII.

Addamus vnicum, ad thesin, quam demonstrauius, corroborandam. Sumas formam ciuitatis democraticam, in qua totus populus est imperans. Sumas porro, ius puniendi solummodo ex superioritate imperii descendere; & ostendas, quaeso, subjectum, cui competat ius ciues, qui leges ciuitatis moraliter agendo violarunt, puniendi. Aut aliud fundamentum iuris puniendi, quam superioritatem imperii fumes, aut solam superioritatem *imperii* eiusmodi iuris fundamentum vocabis. Si *hoc*, concedere debes in ciuitate democratica nemini competere ius ciues delinquentes puniendi. Si *illud*, quale? Porpendas ea, quae diximus & facile nostram ad sententiam accedes.

Thesis nostra per in directum corroboratur

§. XIX.

Manifestum ex dictis est, aliud esse punire ex potestate legislatoria seu superioritate imperii, aliud ex potestate ea faciendi quae ad finem, in quem nos nostra ducit obligatio naturalis, obtinendum necessaria. Illud est hujus species, hoc vero genus. Illud est consecrarium jurisdictionis aut herilis aut ciuilis. Hoc fuit ex iure naturali quod & ante institutas societates herilis & ante institutas ciuitates fuit. Qui illo ex fundamento punit, is est suae voluntatis executor. Qui hoc ex fundamento punit, is est executor juris naturalis voluntate DEI adprobati.

Natura huius iuris puniendi magis determinatur.

§. XX.

Quae de iustis belli punitiui terminis dicenda ea determinabunt, quae de poenis obs. 25. & de naturali poenarum mensura obs. 40. a nobis euoluta atque demonstrata sunt.

Iusti huius belli termini quomodo definiendi

OB-

OBSERVATIO LXVII.

DE

IVSTO BELLO PRO ALIIS SVSCIPIENDO,

§. I.

Ratio infirmi

Ea, ex quibus naturalem iuris puniendi bellique punitivi originem deduximus, ad aliam nos perducunt, quaestionem, an & quando ius naturae nobis det ius bellum pro aliis suscipiendi. Et huius quaestionis ratione transeo in castra GROTTII a), quia ad primam, quam posuimus, quaestionem affirmando respondet. Evoluamus rem accuratius, & argumentatio, quae thesin probat, erit in promptu.

a) *Lib. II, cap. XXV.*

§. II.

Executor iuris quis

Is vocatur *iuris executor*, qui sua vi id ad actum ducit; quod per ius, de quo quaestio est, fieri potest.

§. III.

Fundamentum iuris bellum pro alio suscipiendi

Si alicui competat ius belli, & vires eius non sufficiant ad bellum gerendum, ius naturae nobis dat ius bellum pro illo suscipiendi. Demonstrabo thesin quoad bellum reparativum atque defensivum, quia quoad reliquas belli species quaestio illa non habet locum. Ponamus aliquem habere ius belli defensivi, consequens erit, laesionem imminentem adesse, ad quam mediis coactiuis remouendam ipsam per naturam est obligatus (§. 3. & 4. obs. 63.). Suam itaque ad perfectionem conservandam, ut bellum gerat, necesse erit. Ponamus porro vires illius ad bellum gerendum non sufficere; ergo ipsa natura nos obligat, ut illum de perfectione sua conservanda studiosum iuvenimus (§. 311. I. N.). Ipsa itaque natura datis sub determinationibus nobis dat ius, iura illius exequendi (§. 3. ff. obs. 36.), Ergo &, si alia media ad finem illum obtinendum non sufficiant, nisi bellum, ius bellum pro illo suscipiendi. Evoluas ea, quae de bello reparativo §. 2. ff. obs. 65. diximus, & facile perspicias, idem eadem quoque ratione de bello reparativo valere.

§. IV.

§. IV.

Eodem itaque ex fundamento, ex quo nobis per naturam ius puniendi iusque belli punitivi competit, ius bellum pro alio suscipiendi descendit (§. 3. ff. obs. 66.). Ideoque hac sub limitatione verum est, quod posuit GROTIUS: naturaliter non tantum vnumquemque sui iuris esse executorem, sed & alieni (§. 2.).

An quilibet alieni iuris sit executor.

§. V.

Secundo quaeritur, quando bellum pro alio ex iure nostro susceptum sit iustum atque secundum ius naturae licitum. Duo ad eiusmodi belli iustitiam requiruntur. Alterum spectat bellum, alterum eum, qui bellum pro alio suscipit. Illius ratione bellum illud erit licitum, si ei, cuius ratione suscipitur, tale bellum gerere secundum ius naturae esset permissum. Qui enim iustum pro alio suscipit bellum, is mediis coactiuis, non suum, sed ius alterius ad actum ducere cupit (§. 8. 16. obs. 62.). Huius ratione argumentum, quod sequitur, formo. Qui iustum, & secundum ius naturae licitum bellum pro alio suscipit, is agit ex obligatione, quae nos ducit ad alios de perfectione sua conseruanda studiosos iuuandos (per dem. §. 4), ideoque agit ex obligatione, quae nos ducit ad officia erga alios officiis erga se praeferenda. Responso itaque ad quaestionem, an huius ratione tale bellum secundum ius naturae sit licitum, dependet ab iis, quae in officiorum collisione, quae obuia est, secundum ius naturae per nos fieri debent. Qua de re vide ea, quae obs. 29. de collisione legum naturalium, & obs. 50. de egoismo morali demonstrauius.

Ius bellum pro aliis suscipiendi quando nobis per naturam competit.

§. VI.

Colligimus inde, non statim licitum esse, bellum pro alio suscipere, si ei, pro quo suscipitur, vt bellum gerat, secundum ius naturae sit permissum.

Confessarium.

SC H. Vestigia huius iuris superesse videntur in iure Romanorum, id quod docet doctrina de actionibus popularibus.

DARIES OBS. I. N. T. II,

T t

bus,

bus. Qui enim agit, is ius suum aduersus alterum magistratus auctoritate persequi cupit. Porro in locis ubi iudicium auxilium non est sperandum, in quibus alter alterum aduersus aggressorem iuste defendit.

§. VII.

*Eiusmodi
belli susce-
ptio est offi-
cium erga
alios.*

Quaeri et hoc solet, an tale ius pro aliis bellum suscipiendi nobis per naturam eo in casu possit competere, quo eius, qui bellum illud suscipit, non interest. Dicunt nonnulli eiusmodi bellum naturam habere interuentionis, hocce vero ius interueniendi tertio non conceditur, nisi, qui possit demonstrare, sua interesse. Sed nego consequentiam. Descendit enim tale ius ex obligatione ad alterum in perfectione conseruanda iuuandum (per dem. §. 4.), haecce vero sola hominum inter se coniunctione constituitur, quia homo in adiutorium mutuum generatus est. Ponamus vera esse, quae a dissentientibus sumta, & facile perspicies, eiusmodi belli pro alio susceptionem non esse officium erga alios, sed erga se ipsum, ideoque bellum illud non esse bellum pro aliis sed pro se susceptum.

§. VIII.

*Ius illud
esse potest
compositum.*

Ius bellum pro aliis suscipiendi ex naturali descendit obligatione ad opem alteris ferendam (§. 4.). Aesse potest peculiare inter homines vinculum, quo noua accedunt motiua, quae obligationem illam naturalem vehementiorem efficiunt. Posito itaque tali vinculo duplex ponendum est ius bellum pro iis, qui peculiari vinculo nobiscum coniuncti sunt, suscipiendi. Alterum ex obligatione naturali, alterum ex vinculo illo peculiari descendens. In collisione obligationum maior minori praeferenda est. Eo itaque in casu, in quo quaeritur, vtrum bellum pro alio, cum quo peculiari vinculo non coniuncti sumus, an pro alio, cum quo peculiari vinculo coniuncti sumus, suscipiendum, hoc illi praeferendum erit.

§. IX.

§. IX.

Fluunt hoc ex principio ea quae GROTIUS, a) monuit, nimirum bellum *primo loco* suscipiendum esse pro subditis, siue qui familiari siue qui civili subsunt imprio. *Secundo* pro sociis, in quorum foedere comprehensum id est, siue in tutelam sese & fidem aliorum dederint, siue mutua auxilia pacti sunt. *Tertio* pro amicis, quibus auxilium quidem promissum non est, sed tamen amicitiae quadam ratione debetur, si facile & sine incommodo exhiberi possit. *Quarto* pro quocunque alio, qui non nisi vinculo humano nobiscum coniunctus.

a) *l. c. Lib. II. Cap. XXV.*

§. X.

Demonstrauimus, nobis per naturam competere ius bellum pro aliis, cum quibus peculiari vinculo coniuncti sumus, suscipiendi, nobis quoque tale competere ius in relatione ad eos, quorum ratione non adest peculiare vinculum. *Pufendorf* *certa ratione consentit, certa dissentit.* *Primum* quoque PUFENDORF concedit. Sic enim ille a) (Bellum non solum quemlibet pro se, sed & saepe pro aliis „gerere solere manifestum est. Sed vt hoc recte fiat, in isto „quidem, cui succurritur, iusta bellandi causa requiritur; in „eo autem, qui auxilium alteri latum sit, adesse debet peculiare vinculum, quo principali belligeranti negetur, quod „idoneum sit, vt in gratiam vnus hominis alterum aequae „hominem hostiliter tractare queat.) *Alerum* vero negat. Euoluamus argumenta, quibus suam hac de re sententiam corroborauit, eademque, si fieri potest, infirmemus.

a) *I. N. & G. Lib. VIII. §. XIV.*

§. XI.

Quae tamen, nimirum ea, quae de bello pro aliis suscipiendo dicta sunt, ita, *inquit*, temperanda sunt, vt non statim quilibet, etiam qui in naturali libertate viuit, ius habeat bello alium, qui iniuriam cuius alteri intulit, coer-

cendi & castigandi, eo solo obtentu, quod boni publici ratio postulet, iniurias innoxiiis non impune inferri, ac quod vnum tangit omnes tangere debere. Cum enim ei, qui tali modo inuaditur, ademptum non sit, alterius, quem ipse utique non læsit, vim pari vi repellere; iam pro vno bello duo bella genus humanum turbabunt.

§. XII.

*Ad quam
responde-
tur.*

Respondeo: Haec concedo, sed inde non sequitur, in libertate naturali nobis ius, de quo diximus, non competere, bellumque, quod ex iure illo pro aliis susceptum, illicitum esse. Sequitur inde solummodo, tale ius nobis eo in casu non competere, quo vires principalis belligerantis ad remouendam læsionem suamque perfectionem conferuandam sufficiunt, & quo officiorum collisio, quae obuia est, talem non permittit exceptionem. Hoc vero iis, quae demonstrauius, non repugnat (§. 4 - 6.)

§. XIII.

Secundo.

Quin & contra, *pergit*, naturalem aequitatem pugnat, vltro sese velut arbitrum rerum humanarum obtrudere. Ne nunc dicam, quod eadem res in magnum abusum pateat, cum vix vllus sit, in quem non hoc obtentu bellum sumi queat.

§. XIV.

*Ad quam
responde-
tur.*

Respondeo: Quod *primum* attinet, nego consequentiam. Bellum enim pro aliis suam ob obligationem suscipere non est effectus imperii. Quicquid vero imperium non inuoluit, id quoque non contra naturalem aequalitatem pugnat. Quod *alterum* attinet, hoc erit iniuriam abusus. Quis vero inde, quod nonnulli iure possunt abuti, inferre poterit, per naturam nobis tale non competere ius. Hoc si verum sit, consequens erit, nullum nobis per naturam competere ius.

§. XV.

*Aliud dis-
sentientium
argumen-
tum.*

Alii ea, quae sequitur, ratione argumentantur: In statu ciuili absurdum iudicatur, alienas causas sine mandato in

in iudicio agere. Semper enim hisce auctoribus obstat exceptio: tua non interest. Ita & in statu naturali absurdum esset, sine mandato pro aliis bellum suscipere.

§. XVI.

Sed nego antecedens, nego quoque consequentiam. *ad quod respondetur*
 In statu civili particulariter sumto absurdum iudicari, alienas causas sine mandato in iudicio agere, concedo, nego vero, si de statu civili vniuersaliter sumto sit sermo. Hoc enim si sit verum, ostendas, quaeso, iustitiam actionis popularis. Deinde negavi consequentiam. Ratio huius est, quae sequitur. In statu civili libertas naturalis restringitur. Ex eo itaque, quod aliquid non sit permissum in statu civili, non sequitur, idem quoque non esse permissum in statu naturali.

§. XVII.

Tandem nostram de iure bellum pro aliis suscipiendi *Sententia nostra concessurum oportet corroboratur*
 sententiam iis corroborabo principiis, quae ipsi nobis concedunt dissentientes. Primo concedunt, secundum ius naturae fieri posse, ut nos foedere vel pacto ad bellum pro aliis suscipiendum obligemus. Deinde iniuriam alteri illatam ad causam belli tunc demum nobis posse sufficere, quando, qui eadem afficitur, nos in auxilium euocat. Sumo concessa, & argumentor: Foedere vel pacto ad id agendum me non possum obligare, ad quod faciendum mihi non competit ius (§. 394. Cor. 4. I. N.). Sed ad bellum pro alio suscipiendum foedere vel pacto in statu naturali me possum obligare (per concessum). Ergo & in statu naturali mihi competit ius bellum pro aliis suscipiendi. Porro. Auxilium, in quod ab altero euocatus sum, alteri non possum portare, nisi tale auxilium alteri portandi mihi competat ius. Sed in statu naturali bellum pro eo possum suscipere, qui me in auxilium vocauit. Ergo & mihi in statu naturali competit ius bellum pro aliis suscipiendi. Et quae sunt reliqua.

OBSERVATIO LXVIII.

DE
MODIS IN STATV NATVRALI COMPO-
NENDI CONTROVERSAS.
IN SPECIE
DE BELLO IVDICIALI.

§. I.

Controuersia
Et contro-
uersiam
componere
quid

Posita controuersia ponuntur duo, quorum alter affirmat, quod alter negat. Et controuersia illa tunc demum composita est, quando alter controuertentium ad alterius accedere debet sententiam.

SCH. Dixi, *accedere debet*, non *accedit*. Aliud enim est controuersiam componere, aliud aliquem *falsi conuincere*. Notandum tamen est, debitum, de quo hoc loco est sermo esse vel logicum, vel morale, vel politicum. Ad sententiam alterius accedere debeo *logice*, si ex veris principiis legitime illata. *Moraliter*, si vltiorem dissensum factis declarare legibus sit prohibitum. *Politice* si vltioris dissensus declaratio contra prudentiam, regulasque, quae de decoro agunt, pugnet.

§. II.

Illius

Controuersia, de qua hoc loco sermo est, ea, quae generatim a nobis dicta sunt, magis determinat, nimirum id quod alter affirmat, & quod ab altero negatur. Affirmet alter, sibi competere ius postulandi, vt per alterum aliquid fiat, & neget hicce, tale ius illi competere. Et mutua adserti huius impugnatio atque defensio erit controuersia, de qua hoc loco dicendum.

§. III.

Et huius no-
tio ad ca-
sum obuium
ad omne-
d a iur

Haecce controuersia tunc demum composita est, quando alter ad adquiescendum est obligatus, ideoque quando vltior dissensus, qui factis declaratur, animum alterum laedendi manifeste inuoluit.

SCH. Sic in foro ciuili controuersia est composita, si res iudicata, hoc enim facto alter litigantium obligatus est,

est, vt adquiescat: huius obligationis fundamentum est subiectio.

§. IV.

Quaeritur, quomodo in statu naturali, in quo non datur superior, cui competit ius sua voluntate id determinandi, quod fieri debet, eiusmodi controuersiae possint componi. Inquiramus in omnes, qui poni possunt, modos. Secundum CICERONEM duo sunt genera disceptandi, vnum per disceptationem alterum per vim. Sed saltus est in diuisione. Accipe rem, ea, quae sequitur, ratione. Si non detur superior, qui habet ius, id, quod fieri debet, sua voluntate determinandi, nulla concipi poterit obligatio, nisi, quae ipsa natura, aut voluntate eorum, qui obligati sunt, constituta. Quare, quum controuersia tunc demum composita sit, quando alter ad adquiescendum obligatus (§. 3.); sequitur, in statu naturali controuersias non posse componi, nisi accedant, quae aut ipsa natura aut ex voluntate litigantium ad adquiescendum obligant.

Quo sunt modi controuersias in statu naturali componendi.

§. V.

Ipsa natura, extra collisionem non obligati sumus, vt ad alterius accedamus sententiam, nisi eam veram esse cum sufficiente cognoscamus ratione. Ponamus nos ipsa natura obligatos esse, vt ad sententiam alicuius accedamus, consequens erit, ipsa re necesse esse, vt id, quod alter sentit, habeamus pro vero. Quare cum ipsa re non necesse sit, vt aliquid pro vero habeamus, nisi sit probatum; sequitur, natura nos non esse obligatos, vt ad alterius accedamus sententiam, nisi ea sit probata. Probatio aut ita comparata est, vt nobis det rationem sufficientem, ad id, quod dicitur, pro vero habendum, aut ita non comparata est. Si hoc, non est necesse, vt ad illam accedamus sententiam, quia ratio insufficientis non determinat. Si illud, necesse est, quia ratio sufficiens determinat. Ipsa itaque natura non sumus obligati, vt ad alterius accedamus sententiam, nisi eam veram esse cum sufficiente cognoscamus ratione.

Primi modi fundamentum

§. VI.

§. VI.

atque vis

Ponamus controuersiam, qua alter affirmat, sibi competere ius postulandi, vt per alterum aliquid fiat, hic vero negat, tale ius illi competere. Ponamus illum suam sententiam iis probasse argumentationibus, quarum nec materia nec forma cum ratione quadam, quae notari debet, ab altero possit negari; consequens erit, hunc ipsa natura obligatum esse, vt ad illius accedat sententiam (§. 5.). Qui de iure alterus conuictus id non vult facere, quod per ius illud fieri debet, is manifeste declarat animum iura alterius violandi, id est, alterum laedendi (§. 328. I.N.). Primus itaque modus in statu naturali controuersias componendi est alterum de veritate rei conuincere. (§. 3.).

§. VII.

inde colloquium

Huncce controuersias componendi modum GROTIUS ^{a)} vocat *colloquium*, quod hoc loco significat conuentum, quo de re controuersa disputatur, ideoque alter thesin argumentis impugnat, alter vero eam aduersus impugnationem argumentis defendit.

a) Lib. II. Cap. XXIII. §. VII.

§. VIII.

Quis in illo initium sermonis faciat

Primo hoc loco quaeritur de subiecto, cui competit ius in eiusmodi colloquio initium sermonis faciendi. LIVIUS ^{a)} respondet, ius hocce illi competere, qui superior est. Sed quis est in statu naturali superior? Eruamus responsonem ex ipsa disputationis notione. Logica docet, in disputatione respondentem facere initium disputationis. Quare, quum is sit respondens, qui thesin ponit; sequitur, in dubio praesumendum esse, in eiusmodi colloquio ei competere ius initium sermonis faciendi, qui thesin controuersiae ponit, id est, qui affirmat, sibi ius, de quo quaestio ponitur, competere. vid. P. I. Log. §. 404.

a) Lib. XXXII. c. XXXIII.

§. IX.

an ad illud obligati simus

Porro quaeritur, an natura nos obliget, vt in colloquium cum hoste descendamus. Quatenus res in abstracto spectatur

Statatur affirmando respondendum esse censeo. Ratio est in principio supra demonstrato, quod docet, naturam nobis non dare ius cogendi, si alius super sit modus ius nostrum aduersus alios persequendi. Quatenus vero res in concreto spectatur, obligatio illa naturalis non semper habet locum. Saepe enim hostis non bona fide petit colloquium, sed ut colligatur tempus; viresque dispersae recipiantur in unum. Saepe sub specie colloqui paratur insidiae a). Haec si appareant, colloquii effectus nostra erit infecuritas, ideoque colloquium illud vi obligationis naturalis euitandum.

a) vid. TESMAREM in not. ad L. c. Grof.

§. X.

Si in colloquio satis conuictus non adquiescat, alteri secundum ius naturae competet ius belli aut defensui aut reparatiui. Effectus colloquii Is enim, qui in colloquio satis conuictus tamen non adquiescit, declarat animum efficacem alterum laedendi (§. 6.). Ideoque huncce aut re ipsa laesit, aut laesio est imminens (§. 28. obs. 58.). Si prius, huic competet ius belli reparatiui (§. 3. obs. 64.); si posterius, ius belli defensui (§. 4. obs. 63.). Si itaque in colloquio satis conuictus non adquiescat, alteri secundum ius naturae competet ius belli aut defensui aut reparatiui.

§. XI.

Ponamus fieri non posse, ut quis in colloquio de veritate rei conuincatur; consequens erit, in statu naturali controuersiam non posse componi, nisi litigantium voluntate talia sint constituta, quae ad adquiescendum obligant (§. 4.). Ergo aut nudo pacto ad adquiescendum se obligant, aut pacto se obligant ad adquiescendum in eo, quo euentus quidam in potestate litigantium non omnimode positus rem, de qua controuersia est, determinabit. Secundi modi interueniunt duo sunt genera

SCH. An & qua ratione eiusmodi pacta sint licita atque

DARIES OBS. I. N. T. II.

Vv

que

que obligatoria, suo demonstrabo loco. Hoc enim loco sufficiens est, eiusmodi pacta ut obligatoria sumere.

§. XII.

alterum eorum in tres resolvitur species Euentus ille aut est iudicium aliorum de iustitia vel iniustitia causae nostrae, aut est euentus a sola fortuna dependens, aut euentus dependens a ui. De singulis breviter.

§. XIII.

prima est compromissum Prima illa controuersias componendi via constituitur, ut loquuntur doctores, *compromisso*. Est vero *compromissum* reciproca litigantium promissio, qua determinationem eius, quid obuia in controuersia sit iusti vel iniusti, *sententiae tertii*, in quem tamen non transferunt imperium, submittant. Tertius itaque ille fit iudex, qui vocatur *arbiter* (§. 2. & 3. obs. 48.). Ideoque ea hoc loco adcommodari possunt, quae obseruatione citata de iudice atque arbitro demonstrata sunt.

§. XIV.

ea, quae huius ratione notanda Praeter ea quaeritur, *primo* quibus in causis possit compromitti. *Secundo* quo ex fundamento compromittentes obligati sint, ut in sententia arbitri adquiescant. *Tertio*, quando ea, qua diximus, ratione obligati sint. *Quarto*, an quis ad recipiendos arbitros possit cogi.

§. XV.

Primum, quibus in causis locum habeat Quoad *primum*, ea, quae sequitur, ratione argumentor. Ii, qui compromittunt, se obligant promissione (§. 13.). Causae itaque, in quibus quis potest compromittere, tales esse debent, in quibus promittendo se potest obligare. Causas illas suo loco, in quo de promissione erit sermo, determinabo. Hoc ergo loco sumamus compromissum, & in ea inquiramus, quae inde legitime sequuntur.

§. XVI.

§. XVI.

Quoad alteram *quaestionem*, quo nimirum ex fundamento compromittentes, ut in sententia arbitri adquiescant, obligati sint, eam, quae sequitur, pono thesin: *Fundamentum huius obligationis non est voluntas arbitri, sed litigantium pactum.* Primam propositionis partem probat argumentum, quod sequitur: Qui non habet imperium, is sua quoque voluntate alteri non potest constituere obligationem (§. 551. I.N.). Sed in arbitrum non translatum est imperium (§. 13.). Ergo nec arbiter sua voluntate litigantibus constituere potest obligationem. Altera propositionis pars patet ex notione compromissi (§. 13.).

Alterum est fundamentum obligationis.

§. XVII.

Colligimus inde, potestatem arbitri dependere a pacto compromittentium, ideoque regulas eiusmodi potestatem interpretandi sumendas esse ex illis, quae de interpretatione pactorum praescribuntur. Conf. obi. 22. 23. & 24.

Confessionum

§. XVIII.

Hoc posito facile erit respondere ad *quaestionem tertiam*, quando nimirum compromittentes, ut in sententia arbitri adquiescant, obligati sint. Respondeo, *compromittentes tunc demum obligatos esse, ut in sententia arbitri adquiescant, quando ab arbitro satis sit probatum, sententiam, quam tuleris, regulis iusti non repugnare.* Quum enim compromittentes ea solum ex ratione, ut in sententia arbitri adquiescant, obligati sint, quia pacto ad adquiescendum se obligarunt (§. 16.); sequitur, eos tunc demum obligatos esse, quando sententia ab arbitro ea lata sit potestate, quam a compromittentibus accepit. Arbiter id, quod obuia in controuersia sit iusti vel iniusti, aut sua determinat voluntate, aut secundum regulas iusti. Si prius, non agit ex potestate, quam a compromittentibus accepit (§. 16.): Si posterius, agit ex

Tertium est obiectum obligationis

potestate a compromittentibus concessa (§. 13.). Ergo & compromittentes tunc demum, ut in sententia arbitri adquiescant, obligati sunt, quando ab arbitro satis sit probatum, sententiam, quam tulit, regulis iusti non repugnare.

§. XIX.

quod ma-
gis deter-
minatur

Distinguendum hoc loco erit, inter modos compromittendi. Aliquando enim arbiter eligitur, ut secundum certa iuris principia iudicet, aliquando principia iuris, secundum quae iudicandum, non determinantur. Si prius, compromittentes non obligati sunt, nisi arbiter illis ex principis rationes decisionis suae ostendat: si posterius, obligati sunt, si ab arbitro sit probatum, suam decisionem regulis a compromittentibus receptis, ideoque, quatenus res in statu naturali spectatur, iuri naturali esse convenientem (§. 18.).

§. XX.

Et quarta
sum causa
mouens

Sequitur *quaestio quarta*. An quis ad recipiendos arbitros possit cogi? negando respondendum esse censeo. Quum enim obligatio compromittentium, ut ad sententiam arbitri accedant, ex pacto descendat (§. 16.). aliquem vero cogere, ut pacto se obliget, contra naturam pacti pugnet (§. 415. Cor. 3. I. N.); manifestum est, aliquem ad arbitros recipiendos cogere, contra rerum pugnantem notiones.

§. XXI.

Mediator
quis

Distinguas itaque cum *TVEENDORFIO*) arbitrum compromissione electum a *mediatore*, qui litigantibus utroque sese interponit ad litem componendam.

a) I. N. & G. Lib. V. Cap. XIII. §. VII.

§. XXII.

qui ab ar-
bitro distin-
guendus

Mediator itaque, qui litem componere nititur, non agit
ex

5 4 V

ex potestate a litigantibus concessa, sed ex iure, quod aliunde accepit. Quaeritur de fundamento huius iuris. Respondeo, eiusmodi ius ex eo descendere fundamento, ex quo fuit ius pro aliis suscipiendi bellum, de quo satis, vt opinor, dixi obs. 67. Quo enim in casu alicui competit ius, pro aliis bellum suscipiendi, eo quoque in casu ius illi competere debet lites aliorum componendi, quia ius ad maius semper inuoluit ius ad minus.

§. XXIII.

Ex quo simul patet ratio, qua quis ad mediatorem recipiendum possit cogi. *alia dis-
tinctio*

SCH. Sic intelligenda sunt, quae **TESMARVS** a) verbis, quae sequuntur, monuit: sed an cogi quis possit, ad recipiendos arbitros, quaeritur? nefas id sane est iure ciuili ob L. 3. ff. de recept. & ea, quae habet **CARPZOV** Iurispr. Eccles. III. def. 26. Sed fecus esse videtur Gentium iure, ob maxima incommoda, quae ex spreto arbitrio, sequentibusque inde bellis oriuntur in ipsos quoque innocentes; quae cessant reiecto compromisso circa res priuatas. cum illa a iudice possint defini, citra tertii molestiam. Facit elegans locus apud **Cassiodor.** 3. var. 3. *Ideo & vos, quos conscientiae virtus erigit, & consideratio detestabilis praesumptionis accendit, Legatos vestros, vna cum meis & fratris nostri Gundibaldi Regis ad Francorum Regem Ludouicum destinate; vt aut de se visigotharum conflictu considerata aequitate suspendat, & leges Gentium quaerat: omnium patiatur in cursum, qui tantorum arbitrium iudicat esse tenendum. Quid quaerit ultra, cui assertur absoluta iustitia? Dicam plane, quod sentio: qui sine lege vult agere, cunctorum disponit regna quassare.*
a) in not. ad **GROT.** Lib. II. Cap. XXIII. §. VIII.

§. XXIV.

Dissentit **B. GLAFEY** a): Zu einem solchen Mediateur kann *Dissentit*
V v 3 *sich* **GLAFEY**

sich keiner von Selbst aufwerfen, oder denen Partheyen aufdringen, eines Theils, weils kein kriegender Theil zum Vergleich, dergleichen auch durch den Frieden geschehen soll, gezwungen werden kann, andern Theils aber, weils dadurch eines solchen Mittlers Unpartheylichkeit verdächtigt wird, und die Partheyen das Vertrauen auf Ihn sincken lassen. Es muß daher ein Mediateur von beyden Theilen beliebt werden, welches beyde durch Briefe und Schreiben an Ihn zu erkennen zu geben pflegen.

a) Im Wölcker; Recht Cap. VII. §. LXXV.

§. XXV.

Responde-
sur

Respondeo primo: Mediatorem ab arbitro compromisso electo distinguendum esse. Vera sunt, quae monuit, si sermo sit de arbitro, quem non nulli quoque mediatorem vocant, non vero vera sunt, si sermo sit de mediatore proprie sic dicto. *Deinde*, rationes allatas non sufficere ad thesin, quam sumis, probandam. Quod *primam* enim attinet, notandum est, mediatorem, qua talem, litigantes non cogere ad pacem, quae significat pactum, sed ad pacem, quae significat finem belli. Quoad *alteram*, mediatorem, qua talem, litem non componere ex voluntate litigantium, sed ex iure suo, quod ex ea descendit obligatione, ex qua ius bellum pro aliis suscipiendi oritur.

§. XXVI.

Secunda est
fors

Secunda via, qua in statu naturali controversia componitur, de qua §. 12. diximus, est *fors*, quae hoc loco significat argumentum pro veritate, petitum ab euentu a sola fortuna dependente.

§. XXVII.

§. XXVII.

Notes, quae de definitione atque diuisione fortis euoluta sunt a B. de LVDEWIG a). Sic enim ille: Sortis ipsa essentia in hoc consistit, vt *ex euentibus colligatur fides rei alienae*. Huius autem fidei esse possunt plura fundamenta. Aut enim credit, sortilegus, *numen* aliquod sigillatim rectorum esse casum, de quo is concipit sortem, vbi fortis vsus est *diuinitio*: aut reliquit rem *brutae fortunae*, vel casibus caecis, sine vlla altioris regiminis opinione instar *lusus*, inde fors *lusoria* & iacularis. Si vero numina, fas est, distinguere in *bona* & *mala*; vltimaque iterum in *vera* & *falsa*: *diuinationes* fortis aliae erunt *diuinae*, aliae *daemoniacae*, aliae iterum *idololatricae*, siue, quod idem est, *magicae*. Hae tantum diuisiones eius generis sunt, vt faciant ad dicendum fortes vel *iustas* vel *iniustas*. Aliae autem, quae inueniuntur apud auctores, illae vel aliunde petitae sunt, quam a rei ipsius indole & natura, vel minus certe, nostro iudicio, sunt adcuratae. Illud autem verum est, quod sortes recte etiam diuidi possint pro rebus, in quibus illae adhibentur. Sic in causis iudicialis fors audit vel *consultatoria* vel *decisoria*: in eligendo, *suffragatoria*. Et quae sunt reliquae.

a) In Diff. de Sorte: *suffragatoria ecclesiae* Cap. II. §. I. & II. quae exstat Tom. II. Opusc. Lib. III. opusc. III.

§. XXVIII.

Sermo itaque hoc loco est de forte decisoria (§. 25.). Huius ratione quaeritur *primo*, quibus in causis permissum sit, sortibus de iustitia rei consulere. *Secundo* quo ex fundamento litigantes, vt in eo, quod fors determinauit, adquiescant, obligati sint. *Tertio* quando ea, quae diximus, ratione obligati sint. De singulis breuiter.

§. XXIX.

Primo quaeritur, quibus in causis decisio controuersiae fieri queat iudicio fortis? respondeo, iis in causis, de quibus

Quibus in causis admittenda.

liti-

disponendi litigantibus competit ius. Responſionem ea, quae ſequitur, ratione probo. Qui deciſionem controuerſiae ſortis committit iudicio, is ſuam declarat voluntatem de ad-
 quieſcendo in eo, quod euentus a ſola fortuna dependens determinabit (§. 25.), ideoque renunciat iuri rem ſuam defendendi. Sed eiſmodi iuri non poſſumus renunciare, niſi quoad res, de quibus noſtro pro arbitrio deſponendi nobis competit ius (§. 13. obſ. 36.). Ergo et manifeſtum eſt nobis non competere ius rem controuerſam iudicio ſortis committendi, niſi eiſ obiectum ſit tale, de quo ius noſtro pro arbitrio deſponendi nobis competit.

SCH. I. Bene itaque GROTIUS a) hac de re en, quae ſequuntur, monuit: Sortis aleae ſubiici belli exitus licite non ſemper poteſt, ſed tum demum, quoties de re agitur, in quam plenum habemus dominium. Nam non ſubditorum vitam, pudicitiam, & ſimilia tuenda ciuitas, & ad bonum ciuitatis tuendum rex arctius obligatur, quam vt omittere poſſit eas rationes, quae ad ſui & aliorum tutelam maxime ſunt naturales. Attamen ſi vera aeſtimatione qui in iuſto bello impetitur, tanto ſit inferior, vt reſiſtendi nulla ſpes ſit, videtur ſortem afferre poſſe, vt certum periculum incerto euadat, hoc enim eſt de malis minimum.

a) l. c. Lib. III. Cap. XX. §. XLII.

SCH. II. Illuſtrat quoque hanc theſin controuerſia de ſorte ſuffragatoria eccleſiae, vom Prieſter. 1606. De qua, vt opinor, recte B. de LVDEWIG ſentit, quod ſequitur: *quoties duo candidati, iudicio ſuffragatorum ſint meritis aequales, tum non diuerſis ſtudiis inuicem contendendum, ſed rem ſortis committendam eſſe ſuffragatoriae.* His enim ſub determinationibus patronis de re obuia diſponendi competit ius. Et huc pertinet, quod SALAMO docet b) *ſortem eſſe finem diſſidii etiam inter pars praepotentes.*

a) L. c. Cap. IV. §. IV.

b) Pron. XVIII. 18.

§. XXX.

§. XXX.

Secundo quaeritur de caussa, ob quam litigantes, vt in *Causa ob eo*; quod fors determinat, adquiescant, obligati sunt. *Haec quam obligat.* *est pactum litigantium.* Argumentum, quod sequitur, eam probat thesin. Sortis iudicio controuersiae decisionem committere, idem est, ac iuri suo rem suam defendendi renunciare (per dem. §. 28.). Sed qui iuri suo renunciat, suam de aliqua re declarat voluntatem (§. 355. I. N.) Sors itaque illa non obligat, nisi voluntate litigantium eiusmodi obligatio sit constituta. Quare cum eiusmodi obligationis constitutio inuoluat pactum (§. 415. fqq. I. N.); sequitur, causam ob quam litigantes, vt in eo, quod fors determinat, adquiescant, sunt obligati, esse pactum litigantium.

§. XXXI.

Hocce ex principio facile inferri poterit responsio ad *Huius re-* quaestionem tertiam, quando litigantes ad id, quod posui- *quisita si* mus, sint obligati ex pacto. Respondeo, *eos tum demum sit obliga-* *obligatos esse, quoties fors secundum ea, quae pactum illud* *permittit, est coniecta vel educta.* Qui enim pacto solummodo obligatus est, is ex pacto non obligatus est, quoties alter paciscentium agit contra pactum (§. 442. cor. 4. I. N.). Sed obligatio, vt in iudicio fortis adquiescamus, solo constituitur pacto (§. 29.). Ergo et iudicium fortis litigantes non obligat, quoties fors contra pactum est coniecta vel educta.

§. XXXII.

Euoluas notionem fortis §. 25. datam, et perspicies *Quae ma-* *gis euol-* *uantur.* fortem esse contra pactum coniectam, vel eductam, si quis euentum sua determinauerit voluntate. Dolus itaque, qui fortis iudicium direxit, iustam litigantibus dat causam, vt illo in fortis iudicio non adquiescant. (§. 30.).

§. XXXIII.

*Tertia est
bellum iu-
diciali.*

Tandem de vltima via controuersias in statu naturali componendi, de qua §. 12. diximus, *bello nimirum iudiciali*, quo vis rem controuersam componat, (§. obl. 62.). Huius effectus sit, vt alter litigantium fiat obligatus, vt ad alterius, qui vincit, accedat sententiam. Tres hoc loco ponuntur quaestiones. *Prima* de victore in bello iudiciali. *Secunda* an et quibus sub circumstantiis tale bellum in statu naturali sit licitum. *Tertia* qua ex causa victus ad adquietendum sit obligatus.

§. XXXIV.

*Victor in
hocce bello
quis.*

Primo de victore. Quaeritur, quis in tali bello pro victore habendus? victor in bello in genere vocatur is, qui durante bello alterum ea eneruauit ratione, vt eius vires insufficientes factae ad illi resistendum. Eiusmodi enervatio aut sola vi, aut aliis effecta est mediis v. gr. pecunia, falsiloquio, insidiis, aquarum corruptione, & quae sunt eiusdem generis. In bello iudiciali sola vis componat controuersiam. Victoria itaque, quam quis posteriori ratione reportat, non est iudicium decisorium. Si itaque sit tale, priori ratione reportata esse debet.

§. XXXV.

*Confecta-
rium.*

Sequitur inde, id quod in bello non iudiciali licitum, non statim licitum esse in bello iudiciali. Qui bellum suo iure gerit, ei quoque competit ius ad omnia media, quae ad belli finem obtinendum necessaria. In bello vero iudiciali, si sit tale, sola vis efficiat victoriam (§. 33.).

§. XXXVI.

*Quibus in
causis sit
licitum.*

Secunda quaestio: An et quibus sub circumstantiis tale bellum secundum ius naturale sit licitum. Accipe meam hac de re sententiam. *Sumas casum, quo compositio controuersiae ob obligationes, quibus obstricti sumus, est necessaria: sumas*

sumas porro, fieri non posse, ut controuersia illa colloquio componatur: sumas tandem, obiectum obuiæ controuersiae esse tale, de quo disponendi nobis non competit ius, & facile perspicies ius sub determinationibus bellum iudiciale in statu naturali esse licitum. Corroborabo veritatem eius, quod posuimus, argumantatione, quae sequitur. Si compositio controuersiae per obligationes, quibus obstricti sumus, sit necessaria, consequens erit, ius naturæ nobis dare ius ad media ad controuersiam illam componendam necessaria (§. 3. obs. 36. & §. 94. I. N.). Controuersia componi non potest, nisi per argumenta, aut per voluntatem litigantium, aut per euentum quandam, qui nobis iniungit necessitatem adquiescendi; (huius diuisionis veritatem res ipsa docet). Hypothesis, quam sumimus, primum remouet diuisionis membrum. Ergo remanebit ius, controuersiam aut sua voluntate, aut per euentum illum componendi. Si litigantes sua voluntate controuersiam componant, obiectum controuersiae tale esse debet, de quo suo pro arbitrio possunt disponere. Sed nec hoc per hypothesin, quam sumimus fieri potest. Vnicum itaque adhuc superest medium componendi controuersiam, euentus nimirum, qui nobis necessitatem adquiescendi iniungit. Huius euentus electio aut inuoluit renunciationem iuris rem suam defendendi, aut eam non inuoluit. Ponamus illud, Ergo obiectum controuersiae tale esse debet, de quo litigantes suo pro arbitro disponere possunt (§. 13. obs. 36.). Sed & hoc est contra hypothesin, quam posuimus. Ergo remanebit solummodo ius controuersiam componendi per talem euentum, cuius electio non inuoluit renunciationem iuris rem suam defendendi. Talis itaque solummodo remanet euentus, cui non possumus resistere, id est, qui vi constituitur. Iis ergo sub circumstantiis, quas posuimus, nobis per naturam competit ius belli iudicialis, bellumque iudiciale est licitum (vid. dem. §. 4. obs. 63)

§. XXXVII.

*Quae ma-
gis involuntur*

Ius vim inferendi nobis non competit, si alia media ad finem quem iuste posuimus, obtinendum, sint sufficientia. Ex quo sequitur, nobis per naturam non competere ius belli iudicialis eo in casu, quo controuersia per colloquium potest componi (§. 7. ff.). Porro, eo in casu: quo obiectum controuersiae est tale, cuius ratione litigantes suo pro arbitrio disponendi habent ius, cessare iustitiam belli iudicialis, si fieri possit, vt controuersia aut per pactum (§. 11.) aut per arbitrum (§. 12. ff.), aut per sortem (§. 25. ff.) componatur.

§. XXXVIII.

*Causa ob
quam obli-
gat, huius
ratione diff.
voluntaria
iurium a ne-
cessario*

Hoc praemisso facile erit respondere ad tertiam quaestionem de causa ob quam bello iudicali victus ad adquietendum est obligatus. Rem ea, quae sequitur, ratione accipe. Litigantes aut pacto se obligarunt ad controuersiam bello iudicali componendam, aut alter litigantium ab altero ad eiusmodi bellum cogitur. Si prius, bellum iudiciale vocabo *voluntarium*, si posterius, *necessarium*.

§. XXXIX.

*In illo fun-
dam. nimum
obligationis
est pactum*

In bello iudicali voluntario obligatio illa ad adquietendum descendit ex pacto. (§. 37.) Sed quaeritur, an tale bellum, secundum ius naturale sit permissum. Distinguendum est inter obiecta controuersiae, vtrum sit tale, de quo litigantes disponere possunt, nec ne. Si hoc, eiusmodi pactum non est permissum, (quod fluit ex natura pacti). Si illud, permissum erit, si nimirum compositio controuersiae per obligationes, quibus obstricti sumus, sit necessaria, & litigantes de alia via componendi controuersiam non conueniant. (quod patet ex principio illo: ius ad finem dat ius ad media sufficientia).

§. XL.

*In hoc prim.
iur. nat.
principium*

Pomanus bellum iudiciale, quod iustum est, esse necessarium, obli-

obligatio victi ad adquietendum, ex primo iuris naturalis descendet principio. Bellum iudiciale iustum vltima est. via componendi controuersiam (§. 35. 36.). Eiusmodi itaque bello victus, si non adquietescat, ea agit ratione, qua controuersiae atque liti finis adferri nequit. Perpetuae itaque inter homines erunt perturbationes. Quare, quum hoc contra perfectionem & vltimum rerum finem pugnet (§. 2. ff. obl. 10); sequitur, ex primo iuris naturalis principio, perfectionibus rerum conuenienter viuas (§. 1. ff. obl. 33), descendere obligationem eiusmodi bello victi, vt tandem adquietescat (§. 29. l. N.).

§. XLI.

Eorum, quae demonstrauius ope sententiam B. GLAEY de *Prima B.* iure victoriae limitare & ad ea, quae in contrarium adduxit, respondere possumus. Die erste Frage; inquit a) allhier ist wohl: *Classey hac* Ob ein Krieg durch einen Sieg ein Ende nehme? worauf einige mit *de re sciunt* der Distinction antworten, daß ein gerechter Sieg allerdings des *in* Streits ein Ende mache, dahingegen ein Sieger, wenn er keine iustam belli causam habe, kein Recht dadurch über den Ueberwundenen erlange, obwohl derselbe der Gewalt weichen, und das Unglück eine zeitlang verschmerzen müsse. Deswegen verliere selbiger seine Freyheit nicht, sondern bleibe in stetiger Befugniß, bey sich ereignender Gelegenheit nach der vorigen Freyheit wieder zu streben, und selbige mit dem Degen wider seinen Ueberwinder zu behaupten. Denn wenn man das Gegentheil statuiren wollte, werde man unschuldig Ueberwundenen alle Hofnung bey sich anbietender Gelegenheit, Ihre vorige Freyheit zu erlangen, abschneiden, und der Unschuld eine grosse Last durch die Gesetze selbst auf den Hals büden. Man werde auf solche Art der Bosheit Thür und Thor öffnen, und einem ungerichten Aggressor durch die Gesetze selbst dahin zu statten kommen, daß seine ungerichte Unternehmungen einen Effectum iuris erlangten. Allein diese Raisons halten gar keinen Stich, wenn man Sie etwas genauer beleuchten will. Denn erstlich ist ein Unterschied zwischen einem Sieg, durch eine geuonnene Feldschlacht und einer völligen und endlichen Ueberwindung meines

Feindes zu machen. Jene können deswegen noch nicht vor das Ende des Krieges angesehen werden, weiln mein Feind noch nicht gänzlich überwunden ist, sondern die Waffen noch in Händen hat, und solchergestalt sich recolligiren kan: allermassen denn gar oft zu geschehen pfleget, daß ein Feind nach verlohrener Schlacht seine Kräfte nochmals zusammen nimmt, und das Kriegs-Blücke auf seine Seite bringet, daß man daher nach einer erhaltenen Baraille die völlige Submission von einem Feinde nicht gleich praetendiren kann. Bey einer gerechtlischen Ueberwindung aber befiehl einem jeden Volk seine eigene Conseruation, einem Ueberwinder sich lieber zu submittiren, als des gänzlichen Untergangs gewärtig zu seyn.

a) l. c. Cap. VI. §. 1. ff.

§. XLII.

Quae l'nt
16:17

Respondeo: Distinguendum esse inter bellum iudiciale & non iudiciale. Bellum non iudicialis victoria, qua tali, non finitur, sed suspenditur. Finitur pace, quatenus significat pactum, quo bellum componitur. Bellum vero iudiciali finitur victoria vi reportata, quod ipsa eiusmodi belli confirmat notio.

SCH. De illo suo loco, quo sermo erit de iure victoriae, plura dicturi sumus.

§. XLIII.

Secunda

Endlich, pergit, a) bringen auch noch einige zum Beweiß meines Haupt-Satzes dieses an, daß ein Sieg naturam rei iudicatae habe. Denn weiln Souvraine Völker (generatim homines in statu naturali viuentes) keinen Richter über sich hätten; in propria causa auch nicht Richter seyn könnten; gleichwohl aber solches sich ereignen werde, wenn eine jede kriegende Parthey sich selbst die Gerechtigkeit der Strafe zuschreiben, und von der iustitia belli das Urtheil fällen wollte: So müste der Krieg als ein Gerichte Souverainer Völker, in welchem der Kriegs-Gott Mars oder das Schwert den Praesidem

dem und die Fortuna den Urtheil. Sprecher vorstelle, angesehen werden. Gleichwie nun in bürgerlichen Gerichten eine Parthey zu Frieden seyn mußte, wenn das Urtheil wieder sie ausfalle, und solcher Gestalt eine gerechte Sache defectu probationis oder sonst verlohren gehe: also muß auch ein kriegender Theil bey dem iudicio Martis acquiesciren. Allein die Allegorie oder Vergleichung des Sieges mit der re iudicata enthält, so wohl ausgesonnen Sie auch klingt, dennoch viel Disparitäten in sich, woraus hernachmahls widrige Schlüsse erfolgen. Denn vor eins werden nicht alle Kriege durch Siege und Ueberwindungen ausgemacht, sondern es greiffen oft zwey Partheien zum Frieden, wenn sie sich, wie man im gemeinen Sprichwort sagt, nur erst berochen, und, daß Sie einander nichts abgewinnen können, gesehen haben. Oft machen zwey Partheien Friede, wenn Sie einander mürbe geschlagen, und dennoch nichts angehabt haben, in welchem Falle nicht das Schwerdt, sondern der Friede der Siegenden den Ausschlag giebt, und der Streitigkeit ein Ende macht. Alldieweil nun ein Friede, er mag erzwungen, gerecht oder ungerecht seyn, nach oben angeführten principiis zu halten ist: So könnte man eher sagen, daß ein Friede naturam rei iudicatae habe, als daß man solches von dem Kriege behaupten wollte: ohnerachtet dennoch bey dieser Comparailon des Friedens mit der Re iudicata noch vielerley beträchtlicher Unterschied übrig bleiben würde. Oft geschicht es zwar, daß ein Volk Meister über das andere wird, und dasselbe völlig subjugirt, da denn die Ueberwundenen berührter massen ohne Absicht, ob sie mit recht oder Unrecht überwunden worden sind, auch unbesrent, um Ihrer eigenen Conseruation willen, pariren und sich submittiren müssen; in welchem Fall das Schwerdt der Sache ohne einem Frieden den Ausschlag zu geben scheint: wenn man aber dargegen erweget, daß eine solche Subjugation dem ehemaligen Herrn, wenn er sich auffer der feindlichen Gewalt befindet, und die Ergebung seiner Unterthanen an den Feind durch einen Friedensschluß nicht ratihabiret hat: sein Recht nicht nehmen kan; ein rea iudicata aber, einen obsiegenden Theil von allen Ansprüchen derjenigen, mit welchen licigiret worden ist, frey spricht: So siehet man wohl, daß auch dadurch die obige Comparation eine schlech-

schlechte Stütze bekommt. In weltlichen Berichte muß oft eine Parthey mit der gerechtesten Sache deswegen unterliegen und mit dem wieder Ihn über alles Vermuthen ausgefallenen Urtheil sich vergnügen, weil es Ihr am Beweß ermangelt: unter kriegenden Parthien aber findet sich kein Tertius, dem man die Beweise darlegen könnte, sondern es hat jede Parthei die innerliche Ueberzeugung in seinem Busen, und der Streit wird vor dem Richters- Stuhle des ohne Beweß alles wissenden Gottes geführt, bey welchen Umständen eigentlich nicht gesagt werden mag, daß einer defectu probationis succumbiren und Unrecht leiden könne. Nachdem auch die Erfahrung giebt, daß bey Kriegen mehrentheils eine Parthey wider Willen die Waffen zu ergreifen genöthiget wird, und lieber sehe, wenn Sie ders unrechtmäßigen feindlichen Zündthigungen euthoben seyn könnte: Gleichwohl aber bey einem Compromis, so ebenfals formam iudicii hat, ein freier und ungebundener Wille zweyer dahn sich vergleichender Theile seyn muß: So folgt, daß auch dadurch die Comparailon des Krieges mit der re iudicata einen Anstoß leide, gestalten denn auch derselben nicht geholfen seyn würde, wenn man gleich sehen wollte, daß das Schwerdt ein solcher Richter sey, worauf die kriegende Theile compromittirten, und solcher gestalt dessen Ausspruch sich unterwürfen: In mehreren Betracht, daß der unrechtmäßiger Weise belcidigter Theil das Schwerdt nur zu seiner Beschützung wider unrechtmäßige Gewalt ergreift, keines weges aber dadurch in Evacuum belli consentirt. Et quae sunt reliqua.

a) l. c. § 20. ff.

§. XLIV.

Ad quam
respondetur

Respondeo. Primo, hoc etiam loco bellum iudiciale a non iudiciale non satis distinguitur. Bellum quatenus pacto finitur non est iudiciale sed non- iudiciale. Secundo idea rei iudicatae omnino locum habet in iudicio belli iudicialis. Verum quidem est bella saepe per pactum finiri. Sed quid inde? Lites saepe quoque in iudicio civili componuntur.

nuntur per transactionem. *Tertio* nego pacem habere naturam rei iudicatae. Pax enim, de qua hoc loco est sermo, est pactum, quo bellum finitur, ideoque habet naturam transactionis. *Quarto*. ei, qui in bello non-iudiciali victus, manere potest ius bello amissa recuperandi, hoc vero ei non manet, qui iusto bello iudiciali victus. *Quinto*. verum est, defectum probationis posse efficere, vt bellum iudiciale fiat iustum. vid. §. 35. 36. *Sexto* tandem nego, fundamentum huius belli semper esse compromissum. vid. §. 37. ff.

§. XLV.

Non-nulli bellum iudiciale, de quo diximus, sine omni restrictione referunt inter illicita. Audiamus eorum argumenta, & ^{Argum. disj.} ~~Primum~~ deinde responsuri sumus. *Primum*, quo vtuntur, argumentum est, quod sequitur: Quicumque actus directo aduersatur iuri diuino & naturae, illum nec vltro quisquam suscipere, nec iudices aut magistratus licite in illum possunt consentire. Atqui bellum iudiciale est talis actus. Ergo hoc bellum nec vltro suscipere quisquam, nec in illud iudices aut magistratus licite consentire possunt. Minorem probant ex praeceptis: *non occides: Quicumque sanguinem humanum effuderit, eius sanguis vicissim effundetur: Nemo iniuria est laedendus.* Et quae sunt reliqua.

§. XLVI.

Sed concedo argumenti maiorem, nego vero minorem: *leges Responso* laudatae eundem non probant. Non occides, nimirum sine iure. Qui sanguinem humanum, nimirum sine iure, effuderit, eius sanguis vicissim effundetur. Verum est, neminem iniuria esse laedendum, ergo bellum iudiciale sine iure non gerendum. Quis vero inde inferre poterit, omne bellum iudiciale esse iniustum. Latet itaque in argumentatione illa petitio principii.

DARIES OBS. J.N. T. II.

Y y

§. XLVII.

§. XLVII.

alterutro

Alterum argumentum hoc est: Quocumque actu Deus tentatus
 is sua natura ac simpliciter est illicitus. Bellum iudiciale est talis
 actus. Ergo hocce bellum sua natura est illicitum. Minorem probant
 exemplo, quod Alphonsi castiliae Regis imperio contigisse refert
 Scriptor quidam Gallus in libro, qui inscribitur: *Les diverses*
legons: „Quidam Rupas de Vidima, nobilitate & rebus bello gestis
 „clarus alium nobilem Rodigem de Avila apud Regem proditoris
 „falso insinulauerat, quod uturparet insignia Lusitaniae, cum esset
 „vasallus Castiliae Regis, idque se armorum concursu confirmaturum
 „iactauerat. Aberat eo tempore Rodiges de Avila, qui cum calu-
 „mnia hanc rescuisset, Regi pari fide rescripsit, nihil opus esse pur-
 „gatione, quod Rupas in ipsum conspirasset Regem. & de eo e me-
 „dio tollendo consilia inisset: idque duello se probaturum affirma-
 „uit. Rex animi pendens copiam tandem iis fecit Duelli, quo de tan-
 „tis criminibus liquida testaretur veritas. Concurrunt illi magno fu-
 „tore & impetu, totoque decertant die aequis viribus, fortuna dubia,
 „donec nox conflictum diremit. Reditum est altero die ad arma &
 „certamen paribusque animis & exitu gestum est, in neutram incli-
 „nante partem fortuna. Congressi etiam tertio die, eo animo &
 „comatu, vt tandem alterutro succumbente explicaretur veritas. Cum
 „itaque diu & pertinacissime contendissent, cum alii spectatores tra-
 „Rex in admirationem & misericordiam rapti sunt, virosque cum
 „acres se mutuo conficere debere iniquum putauerunt. Rex itaque
 „auctoritate sua interposita finem duello imposuit, & vtrumque ad se
 „arcessitum criminis insinulati absoluit. „Hoc ex exemplo argu-
 „mentantur a). En Duelli vtrinque a calumnia constati euentum!

a) BACHELII *Tract. de Duellis* Tb. 37.

§. XLVIII.

responsio

Respondeo. Primo nego argumenti minorem. A particulari
 enim ad vniuersale non valet consequentia. *Secundo*, omne bellum
 tristes habet euentus, Sequitur inde, ergo non datur ius belli?

§. XLIX.

§. XLIX.

Ex iis, quae §. 35. de bello iudiciali a nobis euoluta atque demonstrata sunt, definiri quoque potest quaestio a multis agitata, *an bellum ratione causae vtrunque iustum esse possit.* Affirmando respondendum esse censeo. Quum enim bellum ratione causae sit iustum, quod iure belli geritur, in bello vero iudiciali necessario vtraque pars ius belli secundum naturam habere possit (§. 35. & 37.); manifestum est, tale bellum ratione causae vtrunque posse esse iustum.

